CANDIDATUS JURISPRUDENTIAE SACRAE, SEU JURIS CANONICI, SECUNDÙM...

Veit Pichler

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
2 VI
10

13-21-6-74-78

13-12-6-1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google



Digitized by Google

CANDIDATUS JURISPRUDENTIÆ SACRÆ,

Seu

Juris Canonici, ſecundùm GREGORII PAPÆ IX. Decretalium Titulos explanati;

LIBER I.

Exhibens brevi, clara, & ſolida methodo copioſam SS. Canonum doctrinam, Candidatis ad Examen pro conſequenda Juris laurea aſpirantibus maximè proficuam, & ſolutis paſſim Adverſantium Argumentis firmatam.

In lucem datus

A

P. VITO PICHLER, Soc. JESU, SS. Theolog. & SS. Canon. Doctore, atque ho-
tum in Alma & Electorali Univerſitate Ingolſtadienſi Profeſſore Ordinario Actuali, & Juris Primario.

Editio Altera.

Cum Facultate Superiorum.

Pertinet ad Bibliothecam S. Francisci Romæ



Sumptibus GEORGII SCHLÜTER, & MARTINI HAPPACH, Bibliopol. Auguſtan.

Typis Thomæ Graſs, Typog. Acad. Ingolſtad.

Anno M. DCC. XXI.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

FACULTAS
R.P. Provincialis

Cum Privilegio Cæſareo.

Cùm D. Georgius Schlüter, & D. Martinus Happach, Bibliopolæ Auguſtani, altera editione vulgare deſiderent Librum, quinque Libros Decretalium Greg. Papæ IX. complectentem, & à P. Vito Pichler, *Societatis noſtræ Sacerdote, nec non SS. Theol. ac SS. Can. Doctore conſcriptum, cui titulus eſt :* Candidatus Jurisprudentiæ Sacræ &c. *Ego Franciſcus Xaverius Amrhyn, Societatis JESU per Germaniam Superiorem Præpoſitus Provincialis, poteſtate, ab Adm. R. P. Mich. Ang. Tamburino, Societatis noſtræ Præpoſito Generali, mihi conceſſâ, eisdem ad hanc editionem alteram Facultatem impertio, ſimúlque communico Privilegium Cæſareum, quo alijs Bibliopolis & Typographis interdicitur, ne dictum Librum citra conſenſum Superiorum, vel recudere, vel intra fines Imperij & hæreditarias Sac. Cæſ. Majeſtatis Provincias inferre præſumant. In cujus confirmationem has Litteras chirographô meô & conſuetô Officij Sigillô munitas dedi. Ingolſtadij 18. Martij 1721.*

(L.S.)

Franciſcus Xaverius Amrhyn.

Digitized by Google

APPROBATIO THEOLOGICA.

CAndidatus Jurisprudentiæ Sacræ, ſeu JurisCanonici Liber I. paucis abhinc annis vulgatus, tanto omnium plauſu exceptus eſt, ut ardentiſſimis Orbis Litterati ſtudijs ſatisfieri non poſſit, niſi iteratò, & formâ quidem duplici, typis vulgetur. Et verò jure ſuo novam lucem aſpicit, tum quòd ad Fidei ac Morum regulas examusſim ſit exactus, tum quòd multitudinem cum ordine, brevitatem cum claritate ita conjungat, ut doctrinæ ſolidæ, claræ, ac ſubtilis dotes in hunc unum confluxiſſe videantur *Candidatum*, tum quòd eum Authorem habeat, qui per multos jam annos & Academiam Dilinganam, & Celeberrimam noſtram Ingolſtadienſem maximâ nominis ſui famâ illuſtrat, etiam apud Exteros tam à *Controverſijs Fidei*, quas ſolidiſſimè elucubravit, quàm à Commentarijs, quos in *Univerſum Jus Canonicum* doctiſſimè elaborat, dudum notus, celebratúsque. Unde, ſi hodiedum illius celebre eſt nomen, qui Homeri Iliadem nuci incluſit, non minùs etiam huic *Candidato Jurisprudentiæ Sacræ* ſemper honos, nomènque ſuum, laudéſque manebunt.

Ita cenſet

PAULUS ZETL, Soc. JESU, SS. Theol. Doct. & Profeſſ. Ordinar. ac Sacræ Facultatis p. t. Decanus.

APPROBATIO JURIDICA.

C*Andidatus hic Jurisprudentiæ Sacræ*, Conſtitutiones, Reſcripta, Conſuetudines penitiſſimè examinat, Prælatos, Clericos, Officiales, Paſtoralibus Dignitatibus ac Præbendis ita præficit, ut indè, ſicut ex intricatiſſimis materijs de Pactis, Tranſactionibus, atque Reſtitutionibus in integrum, nullum relinquat decidendi dubium. Proinde, cùm acutis & nervoſis fundamentis, ac rationibus, profundam Jurisprudentiæ Sacræ notitiam mirificè complectatur, digniſſimum judico, ut cum Admodum Reverendi ac Præſtantiſſimi Authoris ſummo applauſu, & famigeratâ nominis ſui excellentiâ ad utilitatem publicam denuo in lucem prodeat.

Ita cenſet

LAURENTIUS ALBERTUS VERLOHNER, J. U. Doctor, Sereniſſ. Elect. Bavar. Conſil. Act. Pandect. & Feud. Prof. Ordinar. ac p. t. Facultatis Juridicæ Decanus.

Digitized by Google

ELENCHUS TITULORUM.

PRolegomena. Pag. 1.
Quid & quotuplex ſit Jus. 4.
Jus Naturale & Poſitivum. 11.
Jus Divinum. 19.
Jus Gentium. 22.
Jus Civile. 27.
Jus Canonicum. 36.
§. 2. Quid & quotuplex ſit Juſtitia. 54.
§. 3. Objectum Juris Canonici, præſtantia &c. 59.
Titulus I. De Summa Trinitate &c. 68.
Titulus II. De Conſtitutionibus. 78.
§. 1. Quid ſit Lex: quæ ejus materia, forma, finis. 85.
2. An & qualis Promulgatio, & Acceptatio Legis, ſpectent ad rationem Legis. 99.
3. De Cauſa efficiente Legis: ſeu quinam poſſint ferre Leges. 114.
4. De effectu Legis, nempe de Obligatione. Ubi etiam de Ignorantia & Metu excuſantibus. 126.
5. De Subjecto Legis: ſeu quinam obligentur Legibus. 142.
6. De Legibus odioſis: in ſpecie de Legibus Tributorum: de Lege Pœnali: & Lege Irritante. 159.
7. De interpretatione Legis, & Epijkia. 180.
8. De modis, quibus ceſſat Lex, præcipuè de Diſpenſatione. 186.
Titulus III. De Reſcriptis. 199.
§. I. Quid & quotuplex ſit Reſcriptum. 201.
2. Quomodo vitientur Reſcripta, maximè per ſub- & obreptionem. 207.
3. Reliqua de Reſcriptis. 221.

Titulus IV. De Conſuetudine. 232.
§. 1. Quid ſit Conſuetudo, & quas requirat conditiones. 233.
2. De effectibus, reprobatione, & ceſſatione Conſuetudinis. 252.
Titulus V. De Poſtulatione Prælatorum. 259.
Titulus VI. De Electione & Electi poteſtate. 273.
§. 1. Quid ſit Electio: & quæ præparatoria ad eandem. 277.
2. Quinam vocari debeant ad Electionem: quo tempore, & loco illa inſtitui. 283.
3. Quinam eligere poſſint &c. 293.
4. Quinam eligi &c. 304.
5. De forma ſubſtantiali Electionis &c. 317.
De Scrutinio. 321.
De Compromiſſo. 329.
6. De libertate Electionis, & appellatione ab eadem. 335.
7. De intimatione, & acceptatione Electionis. Ubi etiam de jure & poteſtate Electi. 338.
8. De Confirmatione Electionis. Ubi etiam de jure & poteſtate Confirmati. 344.
9. De Conſecratione, & Benedictione Confirmati. 353.
10. De Electione Prælatorum & Præfectarum Regularium &c. 358.
11. De Electione Summi Pontificis. 368.
Titulus VII. De Translatione Epiſcopi. 373.
Titulus VIII. De auctoritate & uſu Pallij. 379.
Titulus IX. De Renuntiatione. 384.
Titulus X. De ſupplenda negligentia Prælatorum. 399.
Titulus XI. De Temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum. 406.
§. 1. De natura & varietate Ordinum. 408.
2. De qualitate Ordinantis. Ubi etiam de Litteris Dimiſſorijs. 422.
3. De qualitate Ordinandorum. Ubi etiam de Titulo Menſæ. 431.

4. De

4. De temporibus Ordinationum. Ubi etiam de Interſtitijs. 440.
5. De pœnis malè Ordinantium & Ordinatorum. 446.
Titulus XII. De Scrutinio in Ordine faciendo. 448.
Titulus XIII. De Ordinatis ab Epiſcopo, qui renuntiavit. &c. 455.
Titulus XIV. De ætate, & qualitate, & Ordine Præficiendorum. 457.
Titulus XV. De Sacra Unctione. 469.
Titulus XVI. De Sacramentis non iterandis. 477.
Titulus XVII. De filijs Presbyterorum &c. 481.
Titulus XVIII. De Servis non Ordinandis &c. 489.
Titulus XIX. De Obligatis ad Ratiocinia &c. 494.
Titulus XX. De corpore vitiatis Ordinandis &c. 496.
Titulus XXI. De Bigamis non Ordinandis. 502.
Titulus XXII. De Clericis peregrinis. 509.
Titulus XXIII. De Officio Archidiaconi. 512.
Titulus XXIV. De Officio Archipresbyteri. 515.
Titulus XXV. De Officio Primicerij. 518.
Titulus XXVI. De Officio Sacriſtæ. 520.
Titulus XXVII. De Officio Cuſtodis. 521.
Titulus XXVIII. De Officio Vicarij. 522.
§. 1. De Vicario Epiſcopi. 523.
2. De Vicario Capituli. 536.
3. De Vicario Parochi, ac in Divinis. 538.
Titulus XXIX. De Officio & Poteſtate Judicis Delegagati. 542.
§. 1. Quid & quotupſex ſit Judex; Jurisdictio; & Imperium. 544.
2. De poteſtate & officio Delegati. 556.
3. Reliqua de Judice Delegato. 568.
Titulus XXX. De Officio Legati. 575.
Titulus XXXI. De Officio Judicis Ordinarij. 584.
§. 1. De poteſtate ſummi Pontificis, Cardinalium Patriarcharum, Primatum, Archiepiſcoporum. 587.

2. Epiſco-

Digitized by Google

2. Epiſcoporum. Etiam in Exemptos. 602.
3. Prælatorum Epiſcopô inferiorum, & Regularium. Ubi etiam de Protonotarijs & Parochis. 614.
Titulus XXXII. De Officio Judicis. 622.
Titulus XXXIII. De Majoritate & Obedientia. 641.
Titulus XXXIV. De Treuga & Pace. 646.
De Bello. 650.
Titulus XXXV. De Pactis. 657.
§. 1. De Pactis in ſpecie. 659.
2. De Contractibus in Genere. 682.
Titulus XXXVI. De Tranſactionibus. 693.
Titulus XXXVII. De Poſtulando. 701.
Titulus XXXVIII. De Procuratoribus. 709.
Titulus XXXIX. De Syndico. 724.
Titulus XL. De his, quæ vi metúsve causâ fiunt. 727.
Titulus XLI. De in integrum Reſtitutione. 745.
Titulus XLII. De alienatione Judicij mutandi causâ. 763.
Titulus XLIII. De Arbitris. 766.

DECRE-

DECRETALIUM GREGORII P. IX.

LIBER I.

NE in decurſu remoram injiciat imperitia vocum, quarum recta intelligentia maxime neceſſaria eſt; vel ignorantia objecti, circa quod ſacra verſatur Juriſprudentia, quam aggredimur explanare, à ſcopo aberrare nos faciat; conſultum duxi præmittere *Prolegomena*, ut fieri amat in aliis Scientiis; in quibus exponam, quid & quotuplex ſit *Jus*, & *Juſtitia*: quod ſit *objectum* Juris Canonici: quæ præſtantia, utilitas, & neceſſitas ejusdem: item quæ confœderatio & pugna cum Jure Civili.

Prolegomena.

SUMMARIUM.

1. *VAriæ acceptiones Juris.*
2. *Jus activum Proprietatis & Jurisdictionis quid?*



Digitized by Google

CANDIDATUS JURISPRUDENTIÆ SACRÆ,

Seu

Juris Canonici, ſecundùm GREGORII PAPÆ IX. Decretalium Titulos explanati;

LIBER I.

Exhibens brevi, clara, & ſolida methodò copioſam SS. Canonum doctrinam, Candidatis ad Examen pro conſequenda Juris laurea aſpirantibus maximè proficuam, & ſolutis paſſim Adverſantium Argumentis firmatam.

In lucem datus

A

P. VITO PICHLER, Soc. JESU, SS. Theolog. & SS. Canon. Doctore, atque horum in Alma & Electorali Univerſitate Ingolſtadienſi Profeſſore Ordinario Actuali, & Juris Primario.

Editio Altera.

Cum Facultate Superiorum.

Pertinet ad Bibliothecam S. Francisci Romæ



Sumptibus GEORGII SCHLÜTER, & MARTINI HAPPACH, Bibliopol. Auguſtan.

Typis Thomæ Graſs, Typog. Acad. Ingolſtad.

Anno M. DCC. XXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FACULTAS
R.P. Provincialis

Cum Privilegio Cæſareo.

C*ùm D. Georgius Schlüter* , & *D. Martinus Happach* , *Bibliopolæ Auguſtani* , *altera editione vulgare deſiderent Librum*, *quinque Libros Decretalium Greg. Papæ IX. complectentem* , & *à* P. Vito Pichler, *Societatis noſtræ Sacerdote*, *nec non SS. Theol. ac SS. Can. Doctore conſcriptum* , *cui titulus eſt* : Candidatus Jurisprudentiæ Sacræ &c. *Ego Franciſcus Xaverius Amrhyn* , *Societatis JESU per Germaniam Superiorem Præpoſitus Provincialis*, *poteſtate*, *ab Adm. R. P. Mich. Ang. Tamburino* , *Societatis noſtræ Præpoſito Generali*, *mihi conceſsâ*, *eisdem ad hanc editionem alteram Facultatem impertio* , *ſimúlque communico Privilegium Cæſareum*, *quo alijs Bibliopolis* & *Typographis interdicitur*, *ne dictum Librum citra conſenſum Superiorum* , *vel recudere* , *vel intra fines Imperij* & *hæreditarias Sac. Cæſ. Majeſtatis Provincias inferre præſumant. In cujus confirmationem has Litteras chirographô meô* & *conſuetô Officij Sigillô munitas dedi. Ingolſtadij 18. Martij 1721.*

(L.S.)

Franciſcus Xaverius Amrhyn.

Digitized by Google

APPROBATIO THEOLOGICA.

C*Andidatus Juriſprudentiæ Sacræ*, ſeu JurisCanonici Liber I. paucis abhinc annis vulgatus, tanto omnium plauſu exceptus eſt, ut ardentiſſimis Orbis Litterati ſtudijs ſatisfieri non poſſit, niſi iteratò, & formâ quidem duplici, typis vulgetur. Et verò jure ſuo novam lucem aſpicit, tum quòd ad Fidei ac Morum regulas examusſim ſit exactus, tum quòd multitudinem cum ordine, brevitatem cum claritate ita conjungat, ut doctrinæ ſolidæ, claræ, ac ſubtilis dotes in hunc unum confluxiſſe videantur *Candidatum*, tum quòd eum Authorem habeat, qui per multos jam annos & Academiam Dilinganam, & Celeberrimam noſtram Ingolſtadienſem maximâ nominis ſui famâ illuſtrat, etiam apud Exteros tam à *Controverſijs Fidei*, quas ſolidiſſimè elucubràvit, quàm à Commentarijs, quos in *Univerſum Jus Canonicum* doctiſſimè elaborat, dudum notus, celebratúsque. Unde, ſi hodiedum illius celebre eſt nomen, qui Homeri Iliadem nuci incluſit, non minùs etiam huic *Candidato Juriſprudentiæ Sacræ* ſemper honos, nomênque ſuum, laudêsque manebunt.

Ita cenſet

PAULUS ZETL, Soc. JESU,
SS. Theol. Doct. & Profeſ. Ordinar. ac Sacræ Facultatis p. t. Decanus.

APPROBATIO JURIDICA.

C*Andidatus hic Juriſprudentiæ Sacræ*, Conſtitutiones, Reſcripta, Conſuetudines penitiſſimè examinat, Prælatos, Clericos, Officiales, Paſtoralibus Dignitatibus ac Præbendis ita præficit, ut indè, ſicut ex intricatiſſimis materijs de Pactis, Tranſactionibus, atque Reſtitutionibus in integrum, nullum relinquat decſdendi dubium. Proinde, cùm acutis & nervoſis fundamentis, ac rationibus, profundam Juriſprudentiæ Sacræ notitiam mirificè complectatur, digniſſimum judico, ut cum Admodum Reverendi ac Præſtantiſſimi Authoris ſummo applauſu, & famigeratâ nominis ſui excellentiâ ad utilitatem publicam denuo in lucem prodeat.

Ita cenſet

LAURENTIUS ALBERTUS VERLOHNER, J. U. Doctor, Sereniſſ. Elect. Bavar. Conſil. Act. Pandect. & Feud. Prof. Ordinar. ac p. t. Facultatis Juridicæ Decanus.

Digitized by Google

ELENCHUS TITULORUM.

PRolegomena. Pag. 1.
Quid & quotuplex ſit Jus. 4.
Jus Naturale & Poſitivum. 11.
Jus Divinum. 19.
Jus Gentium. 22.
Jus Civile. 27.
Jus Canonicum. 36.
§. 2. Quid & quotuplex ſit Juſtitia. 54.
§. 3. Objectum Juris Canonici, præſtantia &c. 59.
Titulus I. De Summa Trinitate &c. 68.
Titulus II. De Conſtitutionibus. 78.
§. 1. Quid ſit Lex: quæ ejus materia, forma, finis. 85.
2. An & qualis Promulgatio, & Acceptatio Legis, ſpectent ad rationem Legis. 99.
3. De Cauſa efficiente Legis: ſeu quinam poſſint ferre Leges. 114.
4. De effectu Legis, nempe de Obligatione. Ubi etiam de Ignorantia & Metu excuſantibus. 126.
5. De Subjecto Legis: ſeu quinam obligentur Legibus. 142.
6. De Legibus odioſis: in ſpecie de Legibus Tributorum: de Lege Pœnali: & Lege Irritante. 159.
7. De interpretatione Legis, & Epijkia. 180.
8. De modis, quibus ceſſat Lex, præcipuè de Diſpenſatione. 186.
Titulus III. De Reſcriptis. 199.
§. I. Quid & quotuplex ſit Reſcriptum. 201.
2. Quomodo vitientur Reſcripta, maximè per ſub- & obreptionem. 207.
3. Reliqua de Reſcriptis. 221.

Titulus IV. De Conſuetudine. 232.
§. 1. Quid ſit Conſuetudo, & quas requirat conditiones. 233.
2. De effectibus, reprobatione, & ceſſatione Conſuetudinis. 252.
Titulus V. De Poſtulatione Prælatorum. 259.
Titulus VI. De Electione & Electi poteſtate. 273.
§. 1. Quid ſit Electio: & quæ præparatoria ad eandem. 277.
2. Quinam vocari debeant ad Electionem: quo tempore, & loco illa inſtitui. 283.
3. Quinam eligere poſſint &c. 293.
4. Quinam eligi &c. 304.
5. De forma ſubſtantiali Electionis &c. 317.
De Scrutinio. 321.
De Compromiſſo. 329.
6. De libertate Electionis, & appellatione ab eadem. 335.
7. De intimatione, & acceptatione Electionis. Ubi etiam de jure & poteſtate Electi. 338.
8. De Confirmatione Electionis. Ubi etiam de jure & poteſtate Confirmati. 344.
9. De Conſecratione, & Benedictione Confirmati. 353.
10. De Electione Prælatorum & Præfectarum Regularium &c. 358.
11. De Electione Summi Pontificis. 368.
Titulus VII. De Tranſlatione Epiſcopi. 373.
Titulus VIII. De auctoritate & uſu Pallij. 379.
Titulus IX. De Renuntiatione. 384.
Titulus X. De ſupplenda negligentia Prælatorum. 399.
Titulus XI. De Temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum. 406.
§. 1. De natura & varietate Ordinum. 408.
2. De qualitate Ordinantis. Ubi etiam de Litteris Dimiſſorijs. 422.
3. De qualitate Ordinandorum. Ubi etiam de Titulo Menſæ. 431.

4. De

4. De temporibus Ordinationum. Ubi etiam de Interſtitijs. 440.
5. De pœnis malè Ordinantium & Ordinatorum. 446.
Titulus XII. De Scrutinio in Ordine faciendo. 448.
Titulus XIII. De Ordinatis ab Epiſcopo, qui renuntiavit. &c. 455.
Titulus XIV. De ætate, & qualitate, & Ordine Præficiendorum. 457.
Titulus XV. De Sacra Unctione. 469.
Titulus XVI. De Sacramentis non iterandis. 477.
Titulus XVII. De filijs Presbyterorum &c. 481.
Titulus XVIII. De Servis non Ordinandis &c. 489.
Titulus XIX. De Obligatis ad Ratiocinia &c. 494.
Titulus XX. De corpore vitiatis Ordinandis &c. 496.
Titulus XXI. De Bigamis non Ordinandis. 502.
Titulus XXII. De Clericis peregrinis. 509.
Titulus XXIII. De Officio Archidiaconi. 512.
Titulus XXIV. De Officio Archipresbyteri. 515.
Titulus XXV. De Officio Primicerij. 518.
Titulus XXVI. De Officio Sacriſtæ. 520.
Titulus XXVII. De Officio Cuſtodis. 521.
Titulus XXVIII. De Officio Vicarij. 522.
§. 1. De Vicario Epiſcopi. 523.
2. De Vicario Capituli. 536.
3. De Vicario Parochi, ac in Divinis. 538.
Titulus XXIX. De Officio & Poteſtate Judicis Delegati. 542.
§. 1. Quid & quotupſex ſit Judex; Jurisdictio; & Imperium. 544.
2. De poteſtate & officio Delegati. 556.
3. Reliqua de Judice Delegato. 568.
Titulus XXX. De Officio Legati. 575.
Titulus XXXI. De Officio Judicis Ordinarij. 584.
§. 1. De poteſtate ſummi Pontificis, Cardinalium Patriarcharum, Primatum, Archiepiſcoporum. 587.

2. Epiſco-

Digitized by Google

2. Epiſcoporum. Etiam in Exemptos. 602.
3. Prælatorum Epiſcopô inferiorum, & Regularium. Ubi etiam de Protonotarijs & Parochis. 614.
Titulus XXXII. De Officio Judicis. 622.
Titulus XXXIII. De Majoritate & Obedientia. 641.
Titulus XXXIV. De Treuga & Pace. 646.
De Bello. 650.
Titulus XXXV. De Pactis. 657.
§. 1. De Pactis in ſpecie. 659.
2. De Contractibus in Genere. 682.
Titulus XXXVI. De Tranſactionibus. 693.
Titulus XXXVII. De Poſtulando. 701.
Titulus XXXVIII. De Procuratoribus. 709.
Titulus XXXIX. De Syndico. 724.
Titulus XL. De his, quæ vi metúsve causâ fiunt. 727.
Titulus XLI. De in integrum Reſtitutione. 745.
Titulus XLII. De alienatione Judicij mutandi causâ. 763.
Titulus XLIII. De Arbitris. 766.

DECRE-

Digitized by Google

DECRETALIUM GREGORII P. IX.

LIBER I.

NE in decurſu remoram injiciat imperitia vocum, quarum recta intelligentia maximè neceſſaria eſt; vel ignorantia objecti, circa quod ſacra verſatur Juriſprudentia, quam aggredimur explanare, à ſcopo aberrare nos faciat; conſultum duxi præmittere *Prolegomena*, ut fieri amat in aliis Scientiis; in quibus exponam, quid & quotuplex ſit *Jus*, & *Juſtitia*: quod ſit *objectum* Juris Canonici: quæ præſtantia, utilitas, & neceſſitas ejusdem: item quæ confœderatio & pugna cum Jure Civili.

Prolègomena.

SUMMARIUM.

1. *VAriæ acceptiones Juris.*
2. *Jus activum Proprietatis & Jurisdictionis quid?*

Digitized by Google

3. 5. *Jus in re, ad rem, & mixtum quid?*
4. *Jus in re quomodo acquiratur.*
6. *Dominium perfectum & imperfectum quid?*
7. *Publicum & Privatum?*
8. 9. *Jus Naturale & Poſitivum: Divinum & Humanum?*
10. *Jus Naturale ſolos homines afficit.*
11. *Complectitur præcepta tam particularia quàm generalia.*
12. *Quoad utraque eſt immutabilis.*
13. *Impropriè tamen & indirectè mutabilis dici poteſt.*
14. *Jus Divinum Poſitivum dividitur in Vetus & Novum Teſtamentum.*
15. *In Veteri Teſtamento nullum continetur præceptum merè humanum; bene tamen in Novo.*
16. *Præcepta Ceremonialia & Judicialia Antiquæ Legis abrogata ſunt.*
17. 18. 19. 20. *Jus Gentium differt à Jure Naturali.*
21. *Et defacto exiſtit.*
22. *Jus Civile differt à Jure Gentium.*
23. *Aliud eſt Commune: aliud Particulare. Illud varia ſortitur nomina.*
24. *Quid ſit Jus Civile.*
25. *Corpus Juris Civilis Inſtitutiones,*
26. *Digeſta ſeu Pandectas,*
27. *Codicem Juſtinianeum,*
28. *Authenticum, ſeu Novellas,*
29. *Et Feudum complectitur.*
30. *Alia, quæ vim Juris habent, recenſentur volumina.*

31. 32. *Jus*

31\. 32. *Jus Canonicum quid ſit, & quomodo à Jure Civili differat.*

33\. *Corpus Juris Canonici Decretum Gratiani,*

34\. *Quinque libros Decretalium Greg. IX.*

35\. *Sextum Bonifacii VIII.*

36\. *Clementinas Clementis V.*

37\. 38. *Extravagantes Joannis XXII. & Communes complectitur.*

39\. *Liber VII. Decretalium, & Inſtitutiones Lancelloti non habent authoritatem Juris.*

40\. *Bene tamen recitatæ aliæ partes Corporis Juris Canonici, cum limitatione quoad Decretum.*

41\. 42. *Quid ſentiendum de Rubrica : quid de Gloſſa.*

43\. *Qualem auctoritatem habeat Concilium Tridentinum, & alia Concilia Oecumenica, item Particularia.*

44\. *Qualem Bullarium Magnum, & Bullæ extra Corpus prædictum vagantes.*

45\. *Qualem Regulæ Cancellariæ.*

46\. *Qualem Declarationes Cardinalium.*

47\. *Qualem Deciſiones Rotæ Romanæ.*

48\. 49. 50. 51. *Quid ſit Juſtitia in genere; quid Commutativa, Diſtributiva, Legalis, & Vindicativa in ſpecie.*

52\. *Juſtitia Commutativa habet aliquid ſpeciale à tribus reliquis, & obligat ad reſtitutionem.*

53\. *Jus Canonicum verſatur circa omnes quatuor Juſtitiæ ſpecies.*

54\. 55. *Jus Canonicum practicè verſatur circa ſuum objectum; quod ſunt actiones Chriſtianorum dirigibiles.*

A 2 56. 57. *Præ-*

56. 57. *Præſtantia & utilitas Juris Canonici.*
58. *Obſervari illud debet etiam in materia profana, ubi Jus Civile nihil, vel dubiè tantùm diſponit: ſi utrumque diſponat clarè & diverſimode, quodlibet obſervandum eſt in ſuo foro.*
59. 60. *In materia autem concernente peccatum, aut rem ſpiritualem, vel Eccleſiam, vel perſonas Eccleſiaſticas, ubique prævalet diſpoſitio Juris Canonici.*

Quid & quotuplex ſit Jus?

1. SCiendum 1. *Jus* diverſimode accipi. 1. pro loco, in quo decîduntur cauſæ, & exercetur Judicium: in hoc ſenſu dicitur quis *in jus vocari*, in jure comparere. 2. Pro ſententia Judicis, per quam alicui decernitur vel dicitur jus, ſeu adjudicatur, quod debetur. 3. Pro Scientia Juris, nempe Canonum & Legum, ſive pro Jurisprudentia ipſa, quam Ulpianus *l. 1. ff. de J. & J.* vocat *artem æqui & boni*, Imperator autem §. *1. Inſt. eodem* appellat *Divinarum atque humanarum rerum notitiam, juſti atque injuſti Scientiam*: unde qui huic arti vel Scientiæ, vel potiùs Prudentiæ, dant operam, Juris ſtudioſi, Juris Profeſſores, Juris-Conſulti ſalutantur. 4. Pro ipſa Lege, Canone, vel regula juſti; & in hoc ſenſu §. *fin. Inſt. de J. & J.* dividitur in Naturale, Jus Gentium, & Civile. Item in hoc ſenſu opponitur Facto; hinc enim ſunt illæ phraſes: *quæſtio Juris, quæſtio Facti: ignorantia Juris, ignorantia Facti*. 5. Pro poteſtate ſeu facultate

tate aliquid agendi vel omittendi, vel alterum obligandi ad aliquid dandum, faciendum, aut omittendum: in hoc ſenſu dicitur aliquis conſervare jus ſuum, transferre in alium, ſuccedere in jus alterius, uti jure ſuo, de jure alterius pronuntiare, lædere jus alienum &c. Jus hoc, quatenus eſt poteſtas obligandi alterum ad actionem vel omiſſionem actionis, vocatur *Activum*, actio verò, vel omiſſio Actionis, ab altero præſtanda dicitur jus *Paſſivum*, vel terminus Juris activi, quia correſpondet, & correlativum eſt Juri activo alterius. v.g. vendidiſti equum, & per hoc àdversùs emptorem acquiſiviſti Jus activum ad pretii ſolutionem: iſta autem pretii ſolutio ab emptore præſtanda, vel obligatio ſolvendi pretii reſidens in emptore, eſt jus paſſivum. Sic ſemper, quando in aliquo datur jus activum & poteſtas obligandi alios, in iſtis reſpondet jus paſſivum & obligatio aliquid faciendi, vel omittendi; quod jus paſſivum etiam vocatur *debitum*.

Sc. 2. Jus Activum dividi in jus Proprietatis & Jurisdictionis. *Jus Proprietatis* eſt legitima poteſtas liberè obligandi alios ad aliquam actionem, vel illius omiſſionem, principaliter in bonum proprium obligantis. Tale jus eſt omne dominium rerum corporalium & incorporalium, jus utendi fruendi, jus decimandi &c. Ut autem acquiratur hoc jus, requiritur aliquis titulus, ſeu cauſa, propter quam poſſit aliquis obligare alios, & ſic præferri cæteris: cujusmodi tituli ſunt vel à Natura, uti eſt collatio membrorum humani corporis: vel à Jure 2.

 gentium

Digitized by Google

Gentium, ut eſt prima rerum diviſio: vel alii, qui quidem non ſunt primævi, uti jam recitati, ſed tamen fundati in alio priore, uti eſt donatio, venditio, & alii contractus, qui in Jure Gentium fundantur; vel à Jure Civili ſubminiſtrantur, uti Præſcriptio. Hujusmodi titulus eſt jus Proprietatis incompletum, & ſiquis velit rem, per talem titulum ſibi oblatam, habere ut ſuam, naſcitur jus Proprietatis completum. *Jus Jurisdictionis* eſt poteſtas publica ſubditos obligandi voluntate ſua ad aliquid faciendum vel omittendum in bonum Communitatis, aut etiam privatorum: quale habent Papa, Imperator, Magiſtratus, & Judices omnes. Itaque jus Proprietatis immediatè, directè, & principaliter tendit in bonum proprium obligantis; quamvis etiam ſimul poſſit cedere in bonum aliorum, & ultimatò in utilitatem totius Communitatis: Jurisdictionis autem immediatè, directè, & principaliter tendit in bonum ſubditorum & Communitatis; licèt aliquo modo etiam tendat in bonum habentis jurisdictionem; qua ratione ſemper habet admixtum jus proprietatis; quatenus nempe habens jurisdictionem ſimul habet jus & facultatem obligandi alios, ne ſe impediant à poſſeſſione vel exercitio jurisdictionis.

3\. Sc. 3. Jus Activum proprietatis aliud dici in re, & aliud ad rem. *Jus in re*, ſeu *Jus Reale* eſt, quando res ipſa mihi devincta ſeu obligata eſt, ita ut, ad quemcunque poſſeſſorem ea devenerit, ſemper tranſeat cum hoc onere, ut illam perſequi, repetere, & vindicare valeam: ſic equum,

Digitized by Google

equum, qui mihi venditus & traditus eſt, poſſum perſequi & vindicare, à quocunque detineatur: ſic Beneficium Eccleſiaſticum poſſum repetere, in quo Canonicè inſtitutus fui &c. Unde à poſteriori & ab effectu Civili jus Reale definiri poteſt, quòd ſit tale jus, quod parit actionem Realem: quæ actio Realis vocatur *Rei Vindicatio*, & pro varietate rerum, quæ vindicari & repeti poſſunt in Judicio, varias ſortitur appellationes: nam alia vocatur Actio *Confeſſoria*, alia *Publiciana*, alia *Reſciſſoria*, alia *Pauliana*, alia *Serviana*, & alia *quaſi Serviana* ſeu Hypothecaria, quarum explicationes vide apud Civiliſtas ad *tit. 6. l. 4. Inſt.* & apud me in *libro II. tit. 1. §. 3.* *Jus ad rem* ſeu *jus Perſonale* datur tunc, quando non immediatè ipſa res mihi devincta eſt, ſed perſona, nimirum ex contractu vel quaſi contractu, ex delicto vel quaſi delicto: tale jus perſonale habet emptor, cui res empta nondum eſt tradita, electus ad Prælaturam ante obtentam Confirmationem, præſentatus ad beneficium Eccleſiaſticum ante Inſtitutionem, paſſus ab altero injuriam, vel damnum. Ab effectu Civili definiri poteſt, quòd ſit tale jus, quod tribuit vel parit actionem Perſonalem: quæ actio dicitur *Condictio*, id eſt, jus cogendi perſonam in Judicio, ut ſatisfaciat. Jus ad rem igitur differt à jure in re, quòd per illud ſit res *mea in ſpe*, per iſtud verò ſit *mea in re*.

Jus in re ordinariè acquiritur per traditionem actualem. *L. 20. C. de Pactis*, non verò per pacta & contractus; quia ſine traditione non 4.

datur applicatio rei, ut eâ uti poſſim tanquam meâ; quamvis per pactum vel contractum detur mihi titulus ad illam. Dixi, *ordinariè*; nam ſæpius acquiritur jus in re ſine traditione, videlicet 1. in beneficiis Eccleſiaſticis, ubi ſufficit collatio & acceptatio. *c. 17. de Præb. in 6.* 2. in hæreditatibus ex teſtamento, ubi ſufficit aditio hæreditatis. *l. 23. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* aditur autem hæreditas, dum acceptatur verbo vel facto. §. 7. *Inſt. de hæred qualit.* 3. in legatis, à Teſtatore relictis, ubi iterum ſufficit acceptatio, per *l. 80. §. 2. ff. de leg. 1.* 4. quando aliquid donatur, relinquitur, vel venditur Eccleſiis, piis locis, vel civitatibus. *l. fin. C. de SS. Eccl.* quia ſufficit acceptatio Eccleſiæ &c. 5. in contractu Societatis omnium bonorum per Matrimonium. 6. ſi alteri donâſti fundum, domum &c. ſub ea conditione, ut tibi præbeat alimenta, is verò ea non præſtet, ſtatim iterum acquiris jus in re antea donata. 7. ſi princeps contrahat cum aliquo, vel donet, & intendat transferre dominium, tunc donatarius vel contrahens cum principe ſtatim acquirit jus in re. 8. in hypotheca vel pignore, in quo acquiritur jus in re ſine apprehenſione vel traditione: ſiquidem in his 4. ultimis caſibus ſufficit conſenſus conjugum, negatio alimentorum, voluntas principis, ac nuda conventio, ut ex variis Juribus deſumunt Doctores.

5. Inter Jus Rèale & Perſonale agnoſcunt multi *jus mixtum*, ſeu ex utroque conflatum; ſcilicet caſu quo res injuſtè ablata partim adhuc

exſtat,

exſtat, & ad hanc partem dominus habet jus in re, partim non exſtat, & ad hanc habet jus ad rem, ſeu tantùm adversùs perſonam, ut cogatur ſatisfacere. Ac propterea admittunt etiam *Actiones mixtas*, quæ nimirum ſint partim reales partim perſonales: cujusmodi dicunt eſſe tres illas, quæ enumerantur *tit. 6. cit. Inſt.* & ſunt *actio familiæ Herciſcundæ*, qua petit hæres portionem hæreditatis ſibi competentem à cohærede, & ſimul præſtationes perſonales, v.g. compenſationem damni emergentis, vel fructuum mala fide conſumptorum &c. *Actio communi dividundo*, quæ datur illis, inter quos aliquid ex cauſa legati, donationis, vel alia quacunque eſt commune: & *actio finium regundorum*, qua agitur de confuſis finibus prædiorum ruſticorum, iterum dirigendis & determinandis. Huc etiam adducunt *actionem ad exhibendum*, quæ datur illi, qui habet probabilem ſuſpicionem, equum v.g. vel veſtem ſuam latère apud alium, ut ſcilicet iſte per Judicem cogatur præbere rem inſpiciendam. Alii tamen actiones mixtas refugiunt. Nobis ſufficit intelligere terminos, qui frequenter occurrunt.

Sc. 4. Jus proprietatis Reale ſubdividi in 6. dominium plenum ſeu perfectum, & in non plenum ſeu imperfectum. *Dominium perfectum* eſt jus perfectè diſponendi de re citra ullius injuriam: ſeu eſt legitima poteſtas diſponendi de re quovis modo poſſibili, nimirum utendo, alienando, deſtruendo &c. pro libitu; niſi fortè lex obſiſtat, & diſpoſitionem per ac-

cidens reddat illicitam vel invalidam. Quæ tamen lex non obſtat dominio: modò nulli alteri competat jus in tali re, diſpoſitionem liberam impediens. *Imperfectum* eſt quidem jus diſponendi de re, at non perfectè, pura vel de rei ſubſtantia tantùm, uti poteſt proprietarius & *Dominus directus*, non verò de fructibus ejus; vel vice verſa de fructibus & utilitate rei tantùm, non verò de ſubſtantia & proprietate, uti poteſt *Dominus utilis*, nempe feudatarius, emphyteuta &c. Species dominii imperfecti ſunt ſervitutes omnes, emphyteuſis, feudum, libellus, ſuperficies, uſus, uſusfructus, habitatio, & reductivè etiam poſſeſſio: quamvis aliqui, fortè non malè, quasdam ex recitatis ſpeciebus non dominia, ſed ſolùm jura realia vocitent, præſertim ultimas.

7. Sc. 5. Jus pro Lege ſeu Regula juſti acceptum dividi in Jus *Naturale* & *Poſitivum*; Poſitivum verò in *Divinum* & *Humanum*; Humanum rurſus in *Jus Gentium, Civile, & Canonicum*, quæ ſingula nunc explanatum imus. Priùs tamen adverto, Jus *in l. 1. ff. de J. & J.* aliud dici Publicum, & aliud Privatum. *Jus Publicum* immediatè & principaliter ſpectat ipſius Reipublicæ ſtatum, & gubernationem, & ideo tractat de Religione, de ſacris profaniſque Magiſtratibus, de pace & bello, de fœderibus & induciis, de legationibus, de exercitationibus militaribus & litterariis, & univerſim de omnibus, quæ immediatè concernunt publicam totius communitatis utilitatem. *Jus Privatum* immediatè & principaliter reſpicit privatam

tam ſingulorum civium utilitatem, nimirum proſpicit Pupillis, Minoribus, Mulieribus, Eccleſiis: dirigit Judicia, Contractus, Succeſſiones &c.

Jus Naturale & Poſitivum.

Sciendum 1. *Jus Naturale* à multis confun- 8.
di cum lumine rationis, omnibus hominibus indito: ſed meliùs dicitur eſſe voluntas Dei neceſſariò obligantis, intimata nobis per lumen rationis, à Deo auctore Naturæ omnibus inſitum: ferè ſicut Promulgatio non bene dicitur tota lex humána, ſed potiùs medium, per quod ea innoteſcit, & ex parte conſtituitur; ita nobis innoteſcit voluntas Dei per lumen naturale & dictamen rationis, quo diſcernimus intrinſecè honeſtum ab intrinſecè inhoneſto, & agnoſcimus, aliqua nobis eſſe *neceſſariò facienda* tanquam honeſta, uti ſunt colere & amare Deum, honorare parentes, legitimo Magiſtratui obedire, ſtare promiſſis, reſtituere injuſtè ablata, & univerſim facere proximo, quod ſibi quisque vult fieri ab illo: aliqua econtra eſſe *neceſſariò omittenda* tanquam inhoneſta, uti ſunt blasphemare Deum, pejerare, mentiri, & univerſim, quod nobis fieri nolumus ab aliis, non facere illis. Atque hoc pacto completur lex Naturalis: & in hac lege Naturali per lumen rationis nobis propoſita fundantur præcepta Decalogi. Demum aliqua nobis permitti tanquam *indifferentia* ex ſe, quæ nec præcipiuntur, nec prohibentur, ut ambulare, ludere &c.

Sc. 2. *Jus Poſitivum*, quod opponitur Natu- 9.
rali,

rali, ſic appellari, quòd ultra ea, quæ Jus Naturale præcipit, vel prohibet, vel permittit, aliquid ponat: ſi Deus aliquid liberè ſuperaddat, eſt *Poſitivum Divinum*: ſi homo, eſt *Poſitivum Humanum*. In genere ſic deſcribi poteſt: eſt ordinatio quædam rationis liberâ Dei vel hominum voluntate introducta, vi cujus diſcernimus bonum à malo, quæ non neceſſariò & intrinſecè ſunt talia, ſed ex libera legislatoris diſpoſitione: *liberâ*, inquam; nam quæ Jure Naturali præcepta vel prohibita ſunt, non liberè, ſed neceſſariò præcepta vel prohibita ſunt, & ipſa iſtarum rerum natura ſibi identificatam habet honeſtatem vel inhoneſtatem, exigúntque præcipi vel prohiberi: unde dici ſolet, ea præcipi vel prohiberi, quia bona ſunt vel mala: econtra, quæ Jure Poſitivo præcepta ſunt vel prohibita, dicuntur bona, quia præcepta, & mala, quia prohibita; eò quòd potuiſſent non præcipi, non prohiberi. Quæ autem nec præcipiuntur nec prohibentur, permittuntur tamen, *Jus Permiſſivum*, vel *Conceſſivum* conſtituunt; ſicut reliqua *Præceptivum* vel *Prohibitivum*; nam

Sc. 3. Juris tam Naturalis quàm Poſitivi præcepta alia eſſe *Negativa*, quæ nimirum aliquid prohibent tanquam malum, uti: non occîdes: non comedes carnes in Quadrageſima: alia autem *Affirmativa*, quæ nempe aliquid præcipiunt tanquam bonum, uti: honora parentes: confitere peccata tua ſingulis annis. Præcepta Negativa obligant *ſemper & pro ſemper*, & implentur per ſolam actûs prohibiti omiſſio-

omiſſionem. Affirmativa obligant quidem
ſemper, non tamen *pro ſemper*, ſed pro illis tan-
tùm circumſtantiis, in quibus omiſſio actûs
præcepti eſt mala, nec implentur niſi per acti-
onem poſitivam, & quidem ordinariè diſtin-
ctam à voluntate implendi.

Dico 1. Jus Naturale homines tantùm af- 10
ficit, non bruta & homines ſimul. Ita contra
veteres Juriſconſultos plerique RR. omnes.
Probatur: Jus ſeu lex ſupponit creaturam uſu
rationis præditam, libertate inſtructam, obli-
gationis & pœnæ capacem: ſed ſoli homines,
non verò bruta, præditi ſunt ratione, libertate
&c. *Ma.* indè conſtat; quia ſine uſu rationis non
agnoſcitur vis legis, actiones noſtras dirigere in-
tendentis; ſine libertate illius, cui præcipitur vel
prohibetur, ſtultè præcipitur vel prohibetur ali-
quid &c. aliàs enim & plantis & lapidibus dari
præcepta poterunt; cùm & iſtæ creaturæ habe-
ant propenſionem & vim naturalem ad propa-
gationem ſpeciei, vel ad certum motum &c.
Oppones. Ulpianus *in l. 1. ff. de J. & J.* atque hunc
ſecutus Imperator pr. Inſt. de J. N. G. & C.
ajunt. *Jus Naturale eſt, quod Natura omnia anima-
lia docuit; nam Jus iſtud non humani generis pro-
prium, ſed omnium animalium commune eſt: hinc
deſcendit maris atque fœminæ conjunctio &c.* ergo
Jus Naturale afficit etiam bruta. ℞. hos Juris
conditores vel in hoc erráſſe, vel (quæ mitior
eſt cenſura) locutos eſſe impropriè & Meta-
phoricè, quatenus in brutis aliquam Juris Na-
turalis umbram conſpexerunt: quo ſenſu
brutis etiam adſtruitur prudentia, fortitudo, &
aliæ

aliæ virtutes. Hæc interpretatio videtur tenenda tanquam reverentior erga tantos viros.

11 Dico 2. Non ſolùm generalia quædam principia, uti ſunt, *declina a malo: fac bonum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c.* ſpectant ad Jus Naturale, ſed etiam omne id in particulari, quod eſt intrinſecè honeſtum vel inhoneſtum, & ex illis generalibus principiis evidenter deducitur, uti ſunt, Deum eſſe colendum, parentes honorandos, non occidendum, non furandum, non adulterandum, non pejerandum &c. Ita contra ſat multos Theologos & Jurisconſultos multi præclari DD cum S. Thoma & Suarez *de LL. lib. 2. c. 7. à n. 2.* Ratio eſt, quia etiam ex principiis illis generalibus evidenter per diſcurſum deducta, ſunt talia, ut ea antecedenter ad omne Jus Poſitivum facienda vel omittenda dictet lumen naturale. Deinde particularia continentur in generalibus: ergo ſi generalia ſunt Juris Naturalis, etiam erunt particularia, ex generalibus evidenter deducta; ſecundùm regulam 147. *ff. de R. J.* Unde malè ſentiunt, qui ajunt, Jus Naturale *Primævum* eſſe immutabile, non verò Jus Naturale *Secundarium*, intelligendo per illud principia generalia, & per illud particularia præcepta, ex illis evidenter tamen deducta, ut ſtatim patebit.

12 Dico 3. Jus Naturale, etiam quoad præcepta particularia, eſt immutabile, ſcilicet mutatione vera & propriè dicta: ut adeò nec deſinere poſſit ex toto, nec ei per conſuetudinem vel diſpenſationem derogari. *Gibalinus de Scientia*

tia Canonica l.3. q.3. cum S. Th. Alenſ. Cajetan. Suar. Molin. ac aliis plurimis & præclariſſimis. Diſſentit tamen Scotus, Durandus, Felinus. Probatur: Præcepta Juris Naturalis verſantur circa ea, quæ habent honeſtatem vel turpitudinem intrinſecam & eſſentialem, independenter ab omni libera voluntate Divina vel Humana: ergo circa eadem verſantur etiam dictamina rationis noſtræ, per quæ proponuntur nobis hæc præcepta: ergo hæc dictamina ſunt neceſſariò & ſemper vera, conſequenter immutabilia per ſe, cùm eorum objectum ſit neceſſarium & immutabile, utpote eſſentialiter bonum vel malum. Itaque quamdiu manebit idem objectum, debet manere idem dictamen rectæ rationis, & idem judicium. Addidi tamen, *mutatione vera & propriè dicta*; nam

Dico 4. Jus Naturale poteſt dici mutabile 13
impropriè & indirectè. Senſus eſt: materia & objectum, circa quod verſatur Jus Naturale, per certas circumſtantias poteſt recipere mutationem. v.g. Jus Naturale vult quidem, omnes homines eſſe liberos, ſed ſecluſis circumſtantiis juſti belli, in quo victos permittit occîdere, conſequenter & in captivitatem redigere, ac facere ſervos: Jus Naturale prohibet quidem occîdi hominem, non tamen in iis circumſtantiis, in quibus id permittit Deus tanquam ſupremus dominus vitæ humanæ, vel in quibus occîdi oportet malefactorem Reipublicæ noxium, vel in quibus aggreſſoris occiſio eſt neceſſaria ad ſe defendendum: Jus Natu-

Naturale prohibet quidem actum carnalem extra Matrimonium, in quod vir & fæmina mutuò conſenſerunt, plures habere uxores quàm unam, res ſuas auferre alteri; ſed ſolùm ſub conditione, niſi ille, in cujus dominio ſunt humana corpora, & res hominum, dederit facultatem, nimirum Deus, concedendo alicui uſum corporis fæminæ ſine hujus conſenſu in Matrimonium, uſum ſui corporis in plures uxores, ablationem rerum alienarum, uti conceſſit Oſeæ Prophetæ, Patriarchis Antiquæ Legis, & Iſraëlitis Ægyptios exſpoliantibus. Si enim mutentur circumſtantiæ, vel ponantur certæ conditiones, mutatur materia & objectum Juris Naturalis: mutatô autem objectô mutatur ipſa Lex, & poſitâ, vel non repertâ certa conditione lex non ſtringit; imò mutatæ circumſtantiæ, & conditiones, faciunt, ut tale objectum vel res nunquam fuerit præcepta vel prohibita, nempe in his circumſtantiis, vel ſub his conditionibus. Jam ſic argumentor: per mutationem impropriam & indirectam Juris Naturalis intelligitur illa, quando mutatur materia & objectum Juris Naturalis: ſed iſta materia mutatis circumſtantiis, & poſitis, vel non poſitis, certis conditionibus, ſub quibus obligat vel non obligat Jus Naturale, mutabilis eſt & ſæpe mutatur: ergo Jus Naturale patitur mutationem impropriam & indirectam. Unde etiam non malè videntur loqui illi, qui dicunt: Jus Naturale *Abſolutum* eſſe quidem immutabile, non verò *Conditionatum*, ſub certis tantùm conditionibus obligans vel non obligans.

Sed

Digitized by Google

Sed quando materia Juris Naturalis pendet à certa conditione, quæ auferri poſſit, & ſic mutatâ materiâ Jus Naturale mutari? ℞. maximè tunc, quando materia dependet à dominio & poteſtate Dei, vel hominis. A ſupremo Dei dominio pendet vita, & res hominum; atque ideo poteſt dare licentiam & illam & has etiam innocentibus auferendi, ac proin Jus Naturale tantùm obligat ſub hac conditione, *niſi Deus dederit licentiam*: ſi itaque det licentiam, Jus Naturale non obligat, imò poſita hac conditione nunquam obligavit, & ſic nunquam exſtitit. In dominio autem & poteſtate Dei non eſt permittere idololatriam, blasphemiam, odium Dei &c. & ideo materia horum actuum nunquam poteſt ullis circumſtantiis & conditionibus ita veſtiri, ut fiat objectivè bona, vel ſaltem non mala; conſequenter Jus Naturale iſtos actus, utpote eſſentialiter & ſemper malos, prohibens mutari aut abrogari nequit. A dominio & poteſtate *hominis* pendent conventiones, pacta, contractus, & etiam res fortunæ &c. quamvis conventionum obligatio ſit Juris Naturalis, & illud prohibeat retinere rem alienam. Nihilominus tamen poſſunt homines ob hoc dominium mutare materiam Juris Naturalis, vel remittendo obligationem, vel nunquam obligare incipiendo. Sic Magiſtratus humanus facere poteſt, ut Minor non obligetur contractu, ut conſenſus Matrimonialis clandeſtinus nullam pariat obligationem, ut bona fide detinens rem alienam poſt certum tempus fiat talis rei domi-

nus: imò & privati homines poſſunt remittere debitum, injuriam &c. atque ſic auferre obligationem Naturalem, nempe tollendo ejus materiam, dum cedunt jure ſuo.

Oppones 1. Datur Jus Naturale etiam *Permiſſivum*: ſed ipſum eſt mutabile; nam Lex humana ſæpe imponit obligationem in iis, quæ Jus Naturale reliquit libera, v. g. prohibendo comeſtionem carnis in Quadrageſima. 2. Juramentum & votum obligant ad ſui obſervationem Jure Naturali; & tamen juramentum poteſt relaxari, & in voto diſpenſari: ergo Jus Naturale eſt mutabile. ℞. ad 1. N. *Min.* quia Jus Naturale non permittit aliqua ſic, ut prohibeat ea per legem Poſitivam vetari vel præcipi, ſed tantùm pro illis circumſtantiis, in quibus non vetantur vel præcipiuntur per legem Poſitivam. Ad 2. N. *Conſ.* nam ſolùm relaxatur vel diſpenſatur in lege humana, quam ſibi poſuit ipſe jurans vel vovens, & qua ſtante tenebatur quidem Jure Naturali ſervare juramentum vel votum (ſicut ſtante qualibet lege humana juſta tenetur ſubditus Jure Naturali, & Divino, parêre Superiori) ea tamen lege, quam aliquis ſibimet poſuit, ceſſante ceſſat conſecutivè obligatio Juris Naturalis: hanc autem legem humanam tollere poteſt legitimus ſuperior, poteſtate à Deo accepta: proinde ſi eam tollit, non tollit Jus Naturale, ſed tantùm illius materiam, videlicet legem humanam. Gibalin. *l. c. conſectario* 7. Ferè ſicut facta remiſſione Creditoris, vel vices gerentis, debitum omne extinguitur: vel ſicut

Digitized by Google

ſicut debitum ceſſat, ſi illud nomine principis, qui à principe ad id poteſtatem accepit, remittit Officialis, non obſtante, quòd remiſſione non facta detur obligatio Juris Naturalis.

Jus Divinum.

Sciendum, cùm Jus Poſitivum partiti ſimus 14
in Divinum & Humanum, illud verò in Jus Gentium, Civile, & Canonicum, modò de ſingulis agendum eſſe. Jus *Divinum, Poſitivum* videlicet (nam Naturale Jus, quamvis etiam à Deo, ut Auctore Naturæ, cordibus noſtris inſcriptum ſit, ordinariè non ſolet appellari Divinum, quamvìs revera ſit) vocatur illud, quod à Deo latum & promulgatum eſt vel per Prophetas in Antiquo Teſtamento, vel à Chriſto Deo-homine, & ab Apoſtolis in novo Teſtamento, ſive dein ſcriptum ſive traditum ſit. Itaque Jus Divinum eſt Verbum Dei, & præcepta in utriusque Teſtamenti tabulis, ſeu ſacris Scripturis, comprehenſa, vel per Traditionem Divinam propagata. *Vetus Teſtamentum*, quod duravit usque ad Chriſti adventum & mortem, complectitur triplicis generis præcepta. 1. *Ceremonialia*, quæ præſcribebant modos Deum colendi maximè per Sacrificia & multiplicis generis hoſtias. 2. *Judicialia*, quæ ordinabant regimen Politicum Reipublicæ Judaicæ, præſertim in ordine ad adminiſtrandam juſtitiam tam in cauſis Criminalibus, quam in Civilibus. Ceremonialia potiſſimùm in *Levitico*, Judicialia verò in *Exodo* prodita ſunt. 3. *Moralia*, nempe Decalogi, & ſimilia; quamvis enim hæc ſint Juris Naturalis; tamen, ut

paſſionibus ſuis excæcati mortales eorum vim vivaciùs cognoſcerent & clariùs, illa ſpecialiter etiam & exteriùs ſenſibili modo promulgare voluit Deus. *Novum Teſtamentum*, à Chriſto conditum, comprehendit potiſſimùm præcepta de Fide, Spe. Charitate, de Sacramentis, de Sacrificio Miſſæ &c. quæ Apoſtoli ex Chriſti ore accepta nobis tradiderunt vel in Evangelio & per ſcripturas, vel oretenus & per traditiones.

15 Dico 1. In Veteri quidem Teſtamento nullum continetur præceptum merè humanum, bene tamen aliqua in Novo. Ita communis Theologorum. Prior pars colligitur ex *Jo.c.1. v. 17.* ubi dicitur: *Lex per Moyſem data eſt*: ergo Moyſes non conditor, ſed ſolùm promulgator fuit præceptorum Legis Antiquæ. Dein non habemus ſufficiens fundamentum adſtruendi præceptum merè humanum pro illis temporibus. Poſterior pars probatur tum ex *Actus Apoſt. c. 15.* ubi ab Apoſtolis prohibetur eſus ſanguinis & ſuffocati; atque ex iis Epiſtolis S. Pauli, in quibus ait: *ego dico, non Dominus*: tum ex *Canonibus Apoſtolorum*, Juri Canonico inſertis: ex præceptis de Jejunio Quadrageſimali, de homicida & bigamo non ordinando, de die Dominica loco Sabbathi celebranda &c. cujusmodi præcepta poſuerunt Apoſtoli, ùt Prælati Eccleſiæ, utì conſtat ex traditione Apoſtolica.

16 Dico 2. Præcepta *Ceremonialia* & *Judicialia* Antiqui Teſtamenti per mortem Chriſti abrogata ſunt, & exſpirârunt. Ita omnes Catholici,

Digitized by Google

lici. Patet ex *c. 3. de Conſtit.* ex *c. 7. ad Hebræos*, ibi: *tranſlato Sacerdotio* (Veteris Teſtamenti) *neceſſe fuit, ut etiam Legis tranſlatio fieret*, nimirum Veteris in Novam. *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem. Luc. 16.* Dein præcepta Ceremonialia præcipua tanquam *Figuræ* indicabant Meſſiam, & Chriſti Redemptionem, ac Sacrificium Novæ Legis futurum: ergo debebant ceſſare *figurato* præſente, nimirum Chriſtô & ejus Sacrificiô &c. Oppones cum Hæreticis: Papiſtæ tenentur obſervare diſcrimen ciborum abſtinendo à carnibus die Veneris, ſicut olim Judæi tenebantur abſtinere à carne ſuilla, quæ lex erat Ceremonialis. 2. Obſervare tenentur alios ritus, quos obſervabant Judæi, ut eſt aſperſio aquæ, thurificatio &c. ℞. ad 1. Catholici non obſervant illud diſcrimen ciborum, quod Judæi; quia non prohibent carnem ſuillam tantùm & ſemper, ſed omnem carnem & certis tantùm diebus. Dein etiamſi idem omnino obſervarent, non obſervarent ut præceptum ceremoniale Antiquæ legis, ſed tanquam præceptum in Nova Lege datum ab Eccleſia. Ad 2. Eccleſia de illis ritibus, qui non fuerunt figura rerum futurarum, poteſt aliquos iterum præſcribere, in Sacramentorum & Sacrificii uſu, vel aliàs adhibendos, ſi videantur conducere ad decentem Dei cultum & populi ædificationem: quo caſu obligantur Catholici ejuſmodi quidem ritus obſervare, ſed ſolùm ideo, quia Eccleſia illos de novo præſcribit & quaſi reſuſcitat; non quia Lex Antiqua præſcripſit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Jus Gentium.

17 Sciendum 1. homines tripliciter conſiderari poſſe. 1. quatenus ſunt creaturæ rationales; & ſub hac ratione reguntur *Jure Naturali*. 2. quatenus ſunt cives, ſeu membra, alicujus Communitatis particularis, nempe hujus vel illius Principatus, aut Reipublicæ; & ſub hac ratione reguntur *Jure Civili*, proprio tali Principatui vel Reipublicæ. 3. quatenus ſunt cives, ſeu membra, totius Communitatis humanæ; & ſub hac ratione regendi ſunt *Jure Gentium*, ad felicitatem per commercium populorum gentiúmque omnium ordinato. Siquidem populi, utut in varias provincias diviſi, retinent aliquam unitatem ſocietatémque moralem & politicam inter ſe, fundatam in præcepto naturali mutui amoris & auxilii. Neque enim Natura, licèt liberalis, ullam gentem tot prærogativis, ac tantis divitiis inſtruxit, ut ei ad completam felicitatem nihil deeſſet; ſed bona ac dona ſua ita providè diſtribuit, ut Gentes ſingulæ juvamen & præſidium mutuum ab aliis quærere cogerentur, vel neceſſitate, vel utilitate urgente. Et hinc opus eſt Jure, quo gentes in ordine ad hoc mutuum commercium dirigerentur mediante aliqua conventione vel expreſſa vel tacita omnium, aut ſaltem plurium Gentium. Et ex hac conventione conſurgens Jus appellatur Jus Gentium: cujus obligatio quidem non inducitur ab ipſis Gentibus, vel ſingulis, vel univerſis; cùm in ſe ipſas poteſtatem non habeant Legislativam, ſed ſingulæ ſunt ſupremæ Poteſtates, nec aliis, ſeu

ſeu ſimul ſeu ſeorſim ſumptis, ſubjectæ: ſed inducitur & proximè fundatur in illo principio Juris Naturalis: *fides data eſt ſervanda*: fidem autem dederunt Gentes, dum convenerunt vel expreſſis verbis in quædam mutua commercia, vel tacitè moribus & uſu conſtanti; ex tali enim praxi & uſu ſatis colligitur animus introducendæ & retinendæ obligationis, præſertim ſi data occaſione provocent ad talem conſuetudinem velut ad Jus ſibi commune, aut conquerantur, Jus Gentium eſſe violatum ab illo populo, qui contra talem praxim agere deprehenditur.

Sc. 2. Jus Gentium aliud eſſe propriè tale, 18
aliud impropriè. Jus Gentium *Proprium* eſt, quod inter Gentes quâ tales receptum eſt cum obligatione mutua. Hujus exempla ſunt 1. Jus Legationum, vi cujus admittuntur Legati, & dimittuntur incolumes. 2. Jus Belli ad vindicandam injuriam vel damnum ab alio populo illatum: vi cujus bellum debet ſolenniter denuntiari per fecialem, antequam inchoëtur: nec etiam durante illo fontes aut inſtrumenta bellica veneno inficienda ſunt: nec hoſtis per ſicarium ſubordinatum occidendus: rerum autem in bello captarum acquiritur dominium, uti & impunitas propter cædes & deprædationes, in bello etiam injuſto factas. 3. fœdera pacis & induciarum, cùm rationabiliter petuntur. 4. Jus Servitutis, vi cujus homines in bello juſto captos & ſervatos pro ſervis habere licet. 5. Jus commercii quæſtuoſi apud exteras & non hoſtiles Nationes exercen-

Digitized by Google

di. 6. Jus ſepulturæ, vi cujus cadavera terræ mandari debent. *Improprium* dicitur, quod receptum eſt inter Gentes (omnes, vel ſaltem complures) citra obligationem mutuam, utì 1. uſus panis pro cibo. 2. conſtructio ædium. 3. munitio civitatum. 4. rerum diviſio, ſeu dominiorum diſtinctio. 5. contractus non pauci, ut emptio, venditio, locatio, conductio &c. & plerique modi acquirendi. Quæ Leges, licèt apud plures gentes obſerventur, quia tamen pro fine non habent communem plurium nationum felicitatem, mutuam inter illas obligationem non inducunt; & ideo non propriè ſunt Jus Gentium, ſed potiùs Jus Civile, quia obligationem ſolùm pariunt inter membra particularium Communitatum: vocantur tamen abuſivè JusGentium, quia à pluribus populis obſervantur: forſan non malè iſtud vocaveris Jus Gentium *Permiſſivum*: ſicut illud prius, propriè dictum, *Præceptivum*.

19 Dico 1. Jus Gentium propriè dictum ex Bernardo Gletle in *Selectis Juris quæſtionibus p. 1. q. 2.* ſic definiri poſſe: Eſt Jus, quo Gentes quâ tales mutua obligatione, ex conſenſu tacito vel expreſſo ſibi impoſita, conſociantur in ordine ad ea, quæ ad communem earum felicitatem, & commercium pertinent. Seu: eſt Jus ab hominibus pro commodo humani commercii inventum. Etſi enim Jus Naturale ſuggerat regulas non paucas dirigendis Gentium commodis proficuas; illæ tamen nimis generales ſunt, & ideo ab ipſis gentibus ſaltem communi uſu & conſuetudine magìs determinan-

minandæ, mutua ſibi obligatione impoſita, à qua aliàs per ſe forent liberæ. Unde

Dico 2. Hoc Jus Gentium diſtinguitur à 20
Jure Naturali, & eſt libero Gentium conſenſu introductum. Probatur ab inductione eorum, quæ Juris Gentium eſſe cum communi DD. ſenſu diximus; ſic Jus Legationum, etſi ingentem præſeferat æquitatem naturalem, tamen in principiis Naturæ potuiſſet quælibet gens ſecum ſola vivere, neque per Legatos cum aliis communicare: ſic licèt valde conveniens ſit bellum indici per fecialem, fontes & arma non infici veneno, hoſtem non occidi per ſicarium, tamen hæc abſolutè neceſſaria non ſunt, & ſtando in principiis Naturæ licitum eſt in bello juſto adhibere omnia media, quæ ſerviunt ad frangendam hoſtis, vel iniquè damnum inferentis proterviam (ſaltem ſi injuſta damnificatio aliter ſiſti vel arceri nequeat) modò perfidia non interveniat, &c. Ergo Jus Gentium à Naturali diſtinctum, & libera populorum voluntate introductum eſt.

Quæres, in quibusnam Jus Gentium differat à Jure Naturali? ℞. in ſequentibus. 1. quia ortum habet à libera Gentium voluntate, Jus verò Naturale à Deo humanæ Naturæ Conditore. 2. quia non obligat omnes omnino Gentes, ſicut Jus Naturale, ſed ſolùm illas, apud quas vel expreſſa voluntate receptum eſt, vel uſu & conſuetudine invaluit. 3. quia quæ præcipit, non intrinſecè honeſta, & quæ vetat, non intrinſecè inhoneſta ſunt, uti tamen quæ præcipit vel vetat Jus Naturale. 4. quia quando-

que malum permittit, ut humanæ fragilitati condeſcendat, Jus verò Naturale nunquam. 5. quia promulgatur per uſum & praxim gentium ordinariè, Jus verò Naturale per adeptionem usûs rectæ rationis. 6. quia mutabile eſt, & tolli poteſt ſaltem communi Gentium conſenſu, ſicut ab iis libero conſenſu introductum eſt, per *reg. 1. de R.* J. nec enim intrinſecè bona vel mala ſunt, quæ præcipit vel prohibet, ſicut illa, quæ præcipit vel prohibet Jus Naturale, ſed contingenter tantùm, cùm non ſint neceſſariò & evidenter deducta ex principiis generalibus Juris Naturalis: ſed omne contingens eſt de ſe mutationi obnoxium. Id tamen verum eſt, quòd Jus Gentium proprium ab una ſola gente pro libitu & directè mutari nequeat; quia conventiones & pacta cuſtodiri debent, nec ab uno obligationis nexus, invitô alterô, ſolvi poteſt; quamvìs poſſit indirectè, quando nimirum gens aliqua particularis, dum advertit, obligationem ex conventione cum Gentibus aliis initam, ſibi noxiam eſſe, aut minùs convenire, adeóque prudenter credere poteſt, gentes alias non fore invitas, ſi illam nitatur tollere vel uſu contrario, vel Lege publicata; cui ſi cæteræ gentes non reclamant, ſed connivent, obligatio ceſſabit. Gibal. q. 3. Gletle loc. cit. Sic hodie Chriſtiani juſto bello captos Chriſtianos non efficiunt ſervos ſtrictè dictos, cùm id Chriſtianæ Legi videatur minùs convenire.

21 Dico 3. Exiſtit tale Jus Gentium, paulò ante deſcriptum. Probatur 1. ex communi Gentium

tium ſenſu, ad Jus Gentium ſæpe provocantium, ut patet ex Hiſtoriis. 2. ex communi ſenſu Doctorum, ut patet ex libris. 3. ex ratione, quia datur Jus, quo Gentes conſociantur ad ea, quæ pertinent ad earum felicitatem, ut patet ex allatis *n.* 18. exemplis: ſed hoc Jus vocatur *Jus Gentium*: ergo. Neceſſe tamen non eſt, ut omnes ſimpliciter Gentes conſpirent, modò aliquæ, magis moratæ, ita conſocientur. Et hinc Barbaræ Nationes, quas nunquam conſenſiſſe facta contraria probant, Jure Gentium non obligantur.

Jus Civile.

Sciendum 1. per *Jus Civile* intelligi illud, quod quisque populus vel Civitas ſibi proprium conſtituit. §. 1. Inſt. de J. N. G. & C. ſic olim Leges, quas ſibi poſuêre Athenienſes, Lacedemonii, Longobardi, Franci &c. dicebantur Jus horum populorum: paſſim verò & ex recepto uſu ac per antonomaſiam per Jus Civile intelligitur Jus *Romanorum*. Hoc Jus Civile, ab hominibus in particularium Communitatum utilitatem liberè conditum, eſt *Poſitivum humanum*, atque differt à Jure Gentium tripliciter. 1. quòd feratur pro unius tantùm Reipublicæ ſubditis & bono, Jus Gentium verò reſpiciat plurium Communitatum & populorum felicitatem. 2. quòd introducatur per Leges, explicitè verbo vel ſcripto poſitas, Jus verò Gentium plerumque moribus tantùm & uſu. 3. quòd proximè fundetur in voluntate Legiſlatoris humani, & remotè tantùm in illo naturali principio, *Legiſlatori juſtè imperanti parendum* 22

eſt:

eſt: econtra Jus Gentium proximè fundetur in illo Naturæ principio, *fides data eſt ſervanda*; proindè quamvìs omne Jus Poſitivum ultimatò fundetur in convenientia Naturali, Jus tamen Gentium vicinius eſt Juri Naturali quàm Civile, & mutationi minùs obnoxium.

23 Sc. 2. Jus Civile dividi in Commune & Particulare. *Jus Commune*, quod apud nos hodie eſt *Romanum*, vel potiùs *Romano-Germanicum*, ſuis Legibus obligat provincias, urbes, & ſubditos omnes Imperii Romani, ſeu Romano-Germanici. *Particulare* ſeu *Statutarium* eſt vel *Provinciale*, Land-Recht / vel *Municipale*, Stadt- oder Burger-Recht / quod non omnes, ſed unius tantùm Provinciæ vel Civitatis Imperialis ſubditos adſtringit, utì Jus Auſtriacum, Bavaricum, Saxonicum, item particularia locorum ſtatuta. Jus Commune Romanum varios habuit Conditores; ſiquidem initiò regebat populus, & *Plebs* (quo nomine intelliguntur Cives absque Patritiis & Senatoribus.) Leges condebat; & quidem initiò, poſtquam Populus Romanus à Regibus & Regiis Legibus pulſo Tarquinio ſuperbo VII. & ultimo Romanorum Rege, liberatus eſt, primas conſtituit duodecim æneis tabulis inciſas, eásque vocare ſolemus Leges *Duodecim tabularum*: creſcente nimiùm populo poteſtas ferendi Leges conceſſa eſt *Senatui* cum *Conſule*, dein *Tribuno-plebis*, poſtea Magiſtratui, nempe in Urbe Romana vel *Prætori*, vel *Ædili*, in Provinciis autem *Præſidi*, & in Provinciarum urbibus *Proconſuli*, tum denique *Principi Supremo* ſeu *Imperatori*, qui ſubinde

inde etiam *Prudentum* opiniones pro Lege ſuſcepit. Unde præter Leges 12. *tabularum* numerantur ſex Legum Species in Jure Comuni ſcripto, quæ à diverſis Conditoribus diverſa ſortiuntur nomina. Nam 1. *Lex* ſtrictè & ſpecificè ſumpta dicitur, quam ipſe populus Romanus interrogante Conſule vel Magiſtratu Senatorio poſuit. 2. *Plebis-ſcitum*, quod plebs interrogante Magiſtratu plebeio, nimirum Tribuno-plebis, edixit. 3. *Senatus-Conſultum*, quod fecit Senatus excluſo populo. 4. *Edicta Prætorum*, quæ fuerunt ſententiæ à Prætoribus, quorum jurisdictio erat annua, pronuntiatæ ſecundùm æquitatem, Juris Civilis adjuvandi, vel corrigendi, vel ſupplendi gratiâ. 5. *Reſponſa Prudentum*, ſcilicet eorum, quibus à Principe ſpecialiter conceſſum erat ſuam opinionem pro Jure ſtatuere: at hodie Reſponſa & Conſilia Jurisconſultorum magnam quidem faciunt probabilitatem, vim tamen Legis non habent. 6. *Conſtitutio*, ſpecificè accepta, ſeu *Placitum Principis*, quod eſt Jus ab Imperatore latum loco totius populi, uti accidit à temporibus primi Imperatoris Auguſti. Hæ conſtitutiones quoque erant in duplici claſſe; quando enim fiebant motu proprio absque determinatione alicujus perſonæ, vel circumſtantiæ, vocabantur *Edicta*: quando verò cum tali determinatione, ita tamen, ut etiam in aliis ſimilibus circumſtantiis valerent, dicebantur *Decreta*, vel *Reſcripta*, vel *Sanctiones Pragmaticæ*, uti *L. 10. C. de SS. Eccleſ.* Hujusmodi decreta ferè ſunt omnes Conſtitutiones Codicis.

Dico

24 Dico 1. Jus Civile ſic poteſt definiri: eſt Jus Poſitivum, authoritate Principis vel Magiſtratûs ſæcularis conditum, ad politicam Reipublicæ Civilis gubernationem, pacem, ſalutémque temporalem Civium promovendam & conſervandam immediatè ordinatum. Poteſt eſſe vel *Imperatorium*, ſi ab Imperatore, vel *Regium*, ſi à Rege, *Provinciale*, ſi à Principe particularis Provinciæ, *Municipale*, ſi à certæ Civitatis Magiſtratu feratur. Hodie autem à populo ſolo ferri ampliùs non ſolet, & ideo in definitione non facta eſt mentio populi.

25 Dico 2. *Corpus* Juris Civilis & Communis complectitur quatuor volumina. 1. Inſtitutiones. 2. Digeſta. 3. Codicem. 4. Authenticum, ſeu Novellas. Quibus additur *Feudum* vel Liber Feudorum, ſeu duo Libri de Feudis. *Inſtitutiones*, alio nomine *Inſtituta*, ſunt quaſi quoddam compendium Legum, prima elementa ſcientiæ Legalis, imò univerſam Juris materiam exhibens; nam *omne Jus, quo utimur, vel ad Perſonas pertinet, vel ad Res, vel ad Actiones*, §. *ult. Inſt. de* J. *N. G. & C.* ſcilicet *Perſonis* redditur jus de *Rebus* per *actiones*: & de his omnibus tractant Inſtitutiones Imperiales, quas juſſu & Auctoritate Imperatoris *Juſtiniani* ſenioris tres ejus Miniſtri Tribonianus, Theophilus, & Dorotheus ex *Digeſtis* & *Codice* Juſtinianeo antiquo (non quo nunc utimnr) & ex aliis antiquiorum Conſtitutionibus collegerunt, ac in quatuor libros, certis titulis & §§. diſtinctos, diviſas anno 533. ediderunt in lucem, priùs tamen lectas auctoritatéque donatas à Juſtiniano, qui per

Digitized by Google

per Antonomaſiam *Imperator* ſalutari ſolet à Juriſtis. Quando allegantur Inſtitutiones, primo loco citatur §. deinde *titulus*, in hunc modum, §. *inter eas 2. Inſt. de Nuptiis* : ſubinde omittitur numerus, & ſtatim dicitur, §. *inter eas Inſt. de Nupt.* vel viciſſim ponitur numerus, & omittitur initium §. hoc modo : §. *2. Inſt. de Nupt.* Quandoque additur *pr.* quæ litteræ indicant *principium* §. in quo res reperitur. Inſtitutiones nonnunquam exprimuntur per unicam litteram *J.* vel *S.*

Digeſta, Græcè *Pandectæ*, ita appellantur, quia 26 Juſtinianus omnia veterum Juriſconſultorum reſponſa, quibus auctoritatem Legum conceſſit, in 50. libros digeſſit & redegit operâ præfatorum virorum, quibus acceſſit etiam Conſtantinus quidam & alii. Hos 50. libros comprehendit triplex volumen. 1. vocatur *Digeſtum Vetus*, quod 24. libris conſtat. 2. dicitur *Digeſtum Infortiatum*, fortè quia continet Leges de Teſtamentis & ultimis voluntatibus, quæ ſunt fortiſſimæ : vel quia verſatur circa *fortuitas* ſucceſſiones : complectitur 14. libros. 3. nuncupatur *Digeſtum Novum*, quod abſolvitur 12. libris ; atque ſic prodeunt univerſim 50. libri. Quando citantur Digeſta, formatur duplex *ff.* vel majuſcula littera *D.* vel Græcum *π*. Duplex *ff.* fortè invaluit ex inſcitia vel incuria librariorum, ſeu libros ante inventionem typi deſcribentium, qui pro Græca littera *π* ſubſtituerunt duplex *ff.* Latinum. Primò loco citatur Lex per litteram *l.* deinde initium vel numerus Legis, vel initium & numerus ſimul:

ſimul: tum additur *ff.* demum *titulus* libri ſeu *Rubrica*, in hunc modum: *l. Jus publ. 38. ff. de Pactis.* vel: *l. Jus publicum ff. de Pactis.* vel: *l. 38. de Pactis.* Quando autem lex eſt longior & in §§. diviſa, allegatur vel ejus principium per litteras *pr.* vel §. & quandoque etiam verſus per litteram *v.* nimirum ſic: *l. Juris Gentium 7. §. 8. v. in rem. ff. de Pactis.*

27 *Codex* modernus & Juſtinianeus, quem ex triplici Codice antiquiori, nempe Gregoriano, Hermogeniano, & Theodoſiano concinnavit Juſtinianus, quædam ex illis expungens, alias autem tum ſuas tum Anteceſſorum Leges interea conditas inſerens, complectitur 12. libros. Modus citandi ferè eſt idem, qui in Digeſtis, niſi quòd ſæpiùs primo loco ſtatim allegetur Codex per majus *C.* Dein hoc eſt ſpeciale in Codice, quòd, quando lex aliqua allegatur ex tribus ultimis libris Codicis, nempe X. XI. XII. etiam addatur numerus libri, hac ratione: *C. de Jure Fiſci l. 1. lib. 10.* vel *l. omnes profugi 8. §. cæterùm. Cod. de Agricolis lib. 11.* Cæterùm quasdam *Novellas* in epitomen redactas Codici ſub convenientibus titulis inſeruit Irnerius, quæ appellantur *Authenticæ*, & ſic citari ſolent: *Auth. bona damnatorum. C. de bonis proſcriptorum.* vel: *in Cod. de Naturalibus liberis Auth. licèt.* vel: *l. Generaliter. C. de Epiſcopis & Clericis Auth.* Hæ Authenticæ eatenus tantùm obtinent vim Juris, quatenus cum ſuo fonte conſonant.

28 *Authenticum* (alio nomine *Novellæ*, vel *Authenticæ*, ſubintellege Conſtitutiones) continet novem

Digitized by Google

novem *Authenticas Collationes*, quæ diſtinguuntur in *titulos*, & *capita*, & quandoque etiam in §§. habétque pariter Auctorem Juſtinianum, qui in his novem Collationibus poſuit Conſtitutiones ſuas poſt Codicem jam editum factas, & ideo *Jus Noviſſimum* etiam vocantur, vel *Novellæ*, quæ in citationibus ſubinde indicantur per majus *N.* de Reliquo modus allegandi Novellas vel Authenticum eſt hujusmodi: In*Authentico de teſtibus 90. cap. Sancimus autem. collat. 7.* Vel: *Authentica de hæredib. ab inteſt. venient. collat. 9. tit. 1. cap. 2.* Hodie verò expeditior & uſitatior modus citandi eſt iſte: *Nov. 118. cap. 2. v. ſi autem.* Vel: *cap. ſit igitur 2. Novell. 74. quibus modis Naturales filii.* Vel: *In Epilogo N. 1. de hæredib. & falcidia.* Denique notandum eſt, quod hodierno tempore, quando allegantur *Authenticæ*, plerumque non intelligantur Novellæ iſtæ, ſed aliæ, quas Codici diximus eſſe inſertas ab Irnerio. Summa omnium Novellarum hodie exſtantium eſt 168.

Et hæc ſunt illa *Juris Juſtinianei*, ſeu quod habet Juſtinianum vel Auctorem vel Reſtauratorem, atque in vulgato Juris Civilis *Corpore* clauditur, quatuor volumina. Solent quidem in eodem *Corpore* (ſaltem in quibusdam editionibus) adjungi aliorum Imperatorum (quin & tredecim Edicta Juſtiniani) conſtitutiones, Novellæ &c. quarum tamen quia rara & quarundam propè nulla apud Auctores fit mentio, eas referre omitto. Item addi ſolet

Digitized by Google

29 *Feudum*, ſeu liber, vel potiùs duo libri Feudorum, ubi comprehenduntur conſuetudines feudales, partim ex Conſtitutionibus Imperatorum, qui in Occidente imperârunt poſt Juſtinum, nimirum Conradi II. Henrici II. Lotharij III. Friderici I &c. partim ex obſervationibus, quas *Gerardus Niger* & *Obertus de Orto*, Conſules Mediolanenſes, ſcriptô annotârunt temerè & ſine ulla methodo, collectæ. Dividuntur hi libri in *titulos*, iſti in *capitula* (alij vocant *capita*) hæc rurſus in §§. Quando citantur libri Feudorum, ponitur unum vel duplex *FF.* magnum, ferè ſequentibus modis: 2. *F. 55.* Vel: *1. FF. tit. 14. §. ult. de feudo Marchiæ.* Vel: *Feud. 8. de Succeſſione feudi §. 1. & 2.* Vel: *c. 1. de feud. March. in uſibus Feudorum.* Vel: *cap. un. de natura feudi.* Vel: *cap. clientulus §. ſi vero 1. F. 13.* Poſt hos duos libros ſubjungitur adhuc alius, qui appellatur *Quintus* de feudis: qui omnes habent Auctoritatem Juris partim ab Imperatoribus citt. partim ex uſu immemoriali, exceptis tamen textibus, qui poſt libri II. titulum 58. usque ad librum V. exſtant; quia adjecti ſunt à Cujatio & aliis Juriſconſultis Papienſibus, Juris condendi poteſtate deſtitutis; niſi & his auctoritatem tribuat uſus & conſuetudo recepta.

30 Dico 3. Præter recitata volumina dantur adhuc aliæ Conſtitutiones, vim Juris perpetui obtinentes in Imperio Romano-Germanico, quæ tamen in ordinario *Corpore* Juris non clauduntur: nimirum 1. *Aurea Bulla* (ſic dictà ab appenſo ſigillo aureo) quæ agit de Ele-

ctione

ctione Imperatoris, de Officiis & Juribus Principum Electorum. Facta eſt à Carolo IV. & Norimbergæ promulgata an. 1356. 2. *Capitulatio Cæſarea*, hoc eſt, conventio, qua Imperator electus ante coronationis ſolennia certas conditiones ſibi propoſitas acceptat juratus. 3. *Pax Profana*, hoc eſt, Pragmatica Sanctio, qua omnis injuſta vis arcetur à Statibus & ſubditis Imperii. 4. *Pax Religioſa*, id eſt, Pacificatio Paſſavii ex dira neceſſitate ad evitandum majus malum inita à Ferdinando I. an. 1552. firmata Auguſtæ an. 1555. & per Inſtrumentum Pacis Oſnabrug-Monaſterienſis renovata an. 1648. in qua certarum Sectarum, nimirum initiò Lutheranæ, & tum etiam Calvinianæ, liberum exercitium in Imperio permiſſum eſt. 5. *Ordinatio Judicii Cameræ Imperialis*, edita à Maximiliano I. an. 1495. & à Carolo V. 1584. renovata. 6. *Ordinatio Judicii Aulico-Imperialis*, cujusmodi an. 1654. prodiit noviſſimè. 7. *Nemeſis*, ſeu *Ordinatio Criminalis Carolina*, vulgò die Peinliche Halß-Gerichts-Ordnung / ubi determinatur proceſſus Criminalis, & plerisque criminibus ſtatuuntur certæ pœnæ ac determinatæ. 8. *Receſſus Imperii*, vulgò die Reichs-Abſchied / quos etiam nominant Conſtitutiones vel *Ordinationes Imperii*. Receſſus Imperii in citationibus denotantur per initiales litteras majuſculas R. J. & Bulla Aurea per B. A. Pacificatio Oſnabrug-Monaſterienſis per P. O.

Afferre hæc pro informatione placuit, quia

ignorari illa à Canoniſta , cui ingens commercium cum Jure Civili intercedit, turpe imò noxium foret.

Jus Canonicum.

31 Sciendum 1. Jus *Canonicum* à Græca voce Kánon, Latinè Regulam denotante, appellari, quia continet Regulas ab Eccleſia propoſitas ad dirigendas actiones Chriſtiani populi in ordine ad felicitatem ſupernaturalem. Et quia hæ regulæ & præcepta proveniunt ab Eccleſia, ac ad finem ſanctum ordinantur, nominatur etiam *Jus Eccleſiaſticum*, vel *Jus Sacrum*. Per Eccleſiam intellige Prælatos Eccleſiæ, nimirum ſummos Pontifices (à quibus etiam Jus *Pontificium* audit) vel extra Concilium, vel unà cum aliis Prælatis inferioribus in Concilio congregatis, legem ferentes & morum decreta. Hujusmodi Conſtitutionum Eccleſiaſticarum ſeptem numerantur ſpecies ſecundùm rigorem acceptæ. 1. vocatur *Canon*, qui eſt Conſtitutio edita in Concilio. 2. *Decretum*, quod eſt conſtitutio edita à Pontifice de conſenſu Cardinalium ad nullius conſultationem. 3. *Decretalis epiſtola*, quam edit Papa & ſcripto transmittit ad alicujus Conſultationem, vel cum, vel ſine conſilio Cardinalium. 4. *Dogma*, quod eſt conſtitutio de re ad fidem pertinente. 5. *Mandatum*, quo Superior Eccleſiaſticus ordinat ea, quæ pertinent ad diſciplinam Eccleſiaſticam. 6. *Interdictum*, quod tendit ad correctionem malorum. 7. *Sanctio*, quâ dictatur pœna ad cautelam futurorum. Verùm iſta ſæpe à Juriſtis inter ſe confunduntur.

Dico

Digitized by Google

Dico 1. Jus Canonicum ſic poteſt deſcribi: 32
eſt Jus Poſitivum à ſummis Pontificibus Eccleſiæ Catholicæ nomine traditum, vel conſtitutum, vel approbatum, quo actiones & mores Chriſtianorum ad cultum Divinum, ad ordinem politicum in Statu Eccleſiaſtico, ad pacem & juſtitiam in populo fideli conſervandam & augendam, ultimatè verò ad finem ſupernaturalem æternæ beatitudinis diriguntur. Exprimit hæc deſcriptio non tantùm naturam & cauſas Juris Canonici, ſed etiam ſimul indicat multiplicem illius differentiam à Jure Civili; nam diſcrepat 1. ratione cauſæ efficientis, quæ eſt Pontifex Maximus, Chriſti in terris Vicarius, ad paſcendas omnes omnino oves Chriſti conſtitutus. *Jo. 21.* & cui ſoli poteſtas ligandi illimitata, etiam per Leges, conceſſa eſt. *Mat. 16.* 2. ratione materiæ, quæ ſpiritualis eſt. 3. ratione ſubjecti, ſeu illorum, qui Jure Sacro & Pontificio obligantur, qui ſunt omnes Chriſtiani per totum Orbem diffuſi, in quos omnes nulla Poteſtas ſæcularis ſeſe extendere poteſt. 4. ratione finis tam proximi, qui eſt dirigere homines ad Deum per fidem & pia opera; quàm ultimi, qui eſt æterna & ſupernaturalis felicitas animæ, quam non ſpectat per ſe Jus Civile, ſed felicitatem politicam & temporalem populi.

Oppones. In Jure Canonico reperiuntur multi textus S. Scripturæ, & præcepta tum Divina tum Naturalia. 2. item dicta innumera SS. Patrum. 3. traditiones & conſuetudines. 4. Placita & Leges Imperatorum:

ergo Jus Canonicum non habet Conditorem ſummum Ponticem & Eccleſiæ Prælatos. ℞. Ad 1. non repugnat, ut idem ſit ſimul materia Juris Divini, Naturalis, & Poſitivi Eccleſiaſtici. Dein in definitione dixi, Jus Canonicum eſſe à ſummis Pontificibus *vel traditum, vel conſtitutum, &c.* ſed Jus Divinum ſeu textus Scripturæ traduntur à Pontificibus, ſi referantur in Jure Canonico. Adde, quòd Jus Canonicum præcepta Divina, v. g. de non occidendo, de non exercendis uſuris &c. utpote nimis generalia magis declaret circa particulares caſus. Ad 2. dicta SS. Patrum vim Legis primùm obtinent ab approbatione Pontificum, ea per modum Legis proponentium. Ad 3. traditiones Eccleſiaſticæ, & conſuetudines pariter à conſenſu Legislatoris Eccleſiaſtici, nimirum Papæ, robur accipiunt. Ad 4. placita Imperatorum in Jus Canonicum translata eatenus valent, quatenus à Pontificibus canonizata & approbata ſunt. Unde negatur conſequentia Objectionis.

33 Dico 2. Jus Canonicum, in *Corpore* Juris clauſum, prout de facto circumfertur, continet ſex volumina ſeu partes principales, videlicet 1. Decretum Gratiani. 2. Quinque Decretales Gregorij IX. 3. Sextum Decretalium Bonifacij VIII. 4. Clementinas Clementis V. 5. Extravagantes Joannis XXII. 6. Extravagantes Communes. Dixi, *Prout de facto circumfertur;* nam antehac ſolum Gratiani Decretum, excluſis etiam Decretalibus, erat in *Corpore;* & ideo quando ex Decretalibus

Digitized by Google

bus fiebat citatio, addebatur vox *extra*, vel ejus loco littera Ẍ. x, ut indicaretur, *titulum* & *capitulum*, citatum non in *Decreto*, ſed extra illud reperiri, v. g. *c. dudum extra de præbendis*; quod & hodie, ſed raró, fit à quibusdam. Quod monere volui, ne quis, dum fortè legit *extra. x.* Ẍ. putet, per id indicari Extravagantes. Jam ad ſingulas partes explicandas accedamus.

Decretum, quod Gratianus, Monachus Bononienſis, circa annum 1151. ex SS. litteris, SS. Patrum dictis, varijs ſummorum Pontificum reſponſis, & Conciliorum tum Generalium tum Particularium decretis, & Jure etiam Civili collegit, illúdque, quia ad conciliandos textus contrarios ſuam quandoque ſententiam adjecit, *Concordiam diſcordantium Canonum* appellavit, dividitur in tres partes. Prima complectitur 101. *Diſtinctiones*, diviſas in *Canones*, vel *capitula*, ut nonnunquam vocantur; atque ſic citari ſolent: *Can. Jus Gentium diſt. 1.* Vel: *can. 9. D. 1.* Vel: *c. Jus Gentium 9. D. 1.* Vel: *D. 1. c. Jus Gentium 9.* Vel: *Diſt. 1. c. 9.* Secunda pars continet 36. *Cauſas*, ſeu Caſus & Controverſias, quarum ferè ſingulæ habent plures *quæſtiones*, iſtæ autem ſuos *Canones*, quos iterum aliqui vocant *Capitula*, & citantur his modis: *can. quicunque cauſ. 1. q. 1.* Vel: *1. q. 1. can. quicunque.* Vel: *2. q. 3. §. notandum in fine.* Ubi adverte vocabulum *cauſa* plerumque non exprimi ſcripto, ſed pronuntiari tantùm: ut autem aliquis ſciat, num cifra

Digitized by Google

indicet numerum & qualem *Cauſæ*, vel *Canonis*, attendere debet, utrùm ſequatur littera *q.* ſeu *quæſtio;* quotiescunque enim ſequitur *q.* tunc hanc litteram præcedens cifra, etiam ſolitariè poſita, ſignificat quotam *cauſæ*, non canonis. Adverte 2. *Cauſæ 33. quæſtionem 3am* ſubdividi in 7. Diſtinctiones, *de Pœnitentia* tractantes, quæ ſic allegantur: *can. homicidiorum d. 1. de Pœnit.* Vel: *de Pœnit. diſt. 1. c. homicidiorum.* Proinde quando adduntur hæc verba, *de Pœnit.* quærendum eſt in *Cauſa 33. q. 3.* Tertia & ultima pars Decreti inſcribitur *de conſecratione*, & habet 5. *Diſtinctiones* diviſas in *canones* ſeu *capitula*. Modus citandi eſt hujusmodi: *c. nocte diſt. 1. de Conſecr.* Vel: *de Conſecr. d. 1. c. nocte.* Quando igitur allegatur *diſtinctio* cum addito *de conſecrat.* quærendum eſt in ultima *Decreti* parte; ſicut quando allegatur *Diſtinctio* cum addito *de Pœnit.* quærere oportet in ſecunda parte, & quidem *in Cauſ. 33. q. 3.* Dum verò allegatur *Diſtinctio* ſine addito, quæri debet in prima parte.

Decreto inſperſa ſunt quædam capita ſub nomine *paleæ*, non quòd ſint res leves, & nullius ponderis quisquiliæ, ſed *Additiones* quædam, vel ab ipſo Gratiano vel ab alio adjectæ in margine. Rurſus in fine *Decreti* recenſentur *Canones Pœnitentiales*, numero 47. ex variis Patrum ſcriptis collecti, in quibus pro gravioribus criminibus certum tempus & modus ad agendam pœnitentiam decernitur: ſed horum canonum rigor, quamquam olim pro foro maximè externo accuratè obſervati ſint cum pecca-

cato-

catoribus manifeſtis, hoc tempore propè antiquatus eſt. Poſt Pœnitentiales ponuntur *Canones Apoſtolici*, ſic dicti, quòd fuerint ab ipſis Apoſtolis traditi tanquam regulæ ad formandos Chriſtianorum mores: eos collegit S. Clemens Pontifex Romanus, D. Petri Diſcipulus. Circa illorum numerum ingens eſt opinionum varietas, inde veriſimiliter orta, quòd aliqui ſubinde duos vel tres conjungerent in unum. In *Corpore* Juris noſtri recenſentur 84. Baronius autem refert tantùm 52. tanquam Authenticos cum Turriano, qui integro libro eorum auctoritatem vindicat. Iſti Canones non ſunt de libris S. Scripturæ, atque in hoc ſenſu cum Gelaſio *P. c. 3. D. 15.* vocari poſſunt *Apocryphi*, non verò quaſi ſint ſuppoſititii & non verè Apoſtolici; quamvis fatendum, aliquos abiiſſe in deſuetudinem, uti 36. um, in quo jubetur, ut bis in anno celebretur Epiſcoporum Synodus.

Decretalium libri, qui ſunt alterum volu- 34
men Juris Noſtri, ita vocantur, quia ex epiſtolis *Decretalibus*, quas varii Pontifices, de dubiis quæſtionibus interrogati, reſcripſerunt, potiſſimùm conſtant, quæ modò in *Corpus* relatæ obtinent auctoritatem Legis Univerſalis: quomodo Juſtinianeus quoque Codex compilatus eſt, nimirum ex Imperatorum reſponſis ad dubios caſus ſibi propoſitos reſcriptis. Hos *Decretalium* libros juſſu & auctoritate Gregorii IX. collegit *S. Raymundus de Penniafort*, Pœnitentiarius ejusdem Pontificis, qui eosdem tanquam Jus Eccleſiaſticum in Foro &

Digitized by Google

Judicijs obſervandum, ac in Scholis prælegendum vulgavit anno 1230. Sicut ante S. Raymundum antiquiores Canones compilârat *S. Ivo* Epiſcopus Carnotenſis an. 1114. & *S. Brocardus* ſeu *Burcardus* Epiſcopus Wormatienſis an. 1020. atque primus omnium *S. Clemens* Canones Apoſtolorum circa an. Chriſti 90. En! quantos Compilatores habuerit Jus Canonicum, & primos Auctores etiam ipſos Apoſtolos. Singuli *Decretalium* libri dividuntur in *titulos*, hi in *capitula*, quorum citatio ſic fieri conſuevit: *c. ſuper litteris 20. extra de Reſcriptis*; ſed hodie, ut monui, plerumque omittitur tò *extrà*. Vel: *c. 20. de Reſcriptis*. Vel: *c. ſuper litteris de Reſcriptis*. Vel: *c. 32. eodem*. Quando enim citatur *c.* ex eodem titulo, ex quo immediatè antè fuit aliquid citatum, uſurpatur tò *eodem*. In libro I. *Decretalium*, poſt aliquot titulos Generales *de Conſtitutionibus, Conſuetudine, & Reſcriptis* agitur de modo conſtituendi Prælatos & ordinandi perſonas Eccleſiaſticas: in II. de Proceſſu Judiciali: in III. de Clericorum tum ſæcularium tum Regularium vita, obligationibus, & rebus: in IV. de Sponſalibus & Matrimonio: in V. de Delictis eorûmque pœnis. Quæ omnia pro juvanda memoria proponit *Gl. in Prologo* his verſibus:

Pars prior officia parat, Eccleſiæque Miniſtros:
Altera dat teſtes & cœtera Judiciorum:
Tertia de rebus, & vita Presbyterorum:
Quarta docet, quales ſint nexus Conjugiorum:
Ul-

Ultima de vitiis,& pœnis tractat eorum.
Idem alii exprimere volunt hoc unico verſu :
Judex : Judicium : Clerus : Sponſalia : Crimen.

Sextus Decretalium , ita appellatus , quia 35
quinque libris Gregorij IX. tanquam complementum additus eſt à Bonifacio VIII. circa annum 1300. collectus fuit ex ſummorum Pontificum, Gregorio IX. poſteriorum , item ex duorum Generalium Conciliorum Lugdunenſium Conſtitutionibus, Reſcriptis , & Decretis : complectitur pariter 5. libros , qui eodem modo dividuntur, quo Decretales priores , in *titulos* eosdem (licèt non omnes, cùm plures ſint omiſſi) iſti vero rurſus in *capitula.* Unde & eadem citandi ratio hic obſervatur , quæ in 5. Decretalibus , niſi quod in fine citationis vel tituli addatur tò *in Sexto* , nimirum ſic : *c. Romana 5. de Sent. Excomm. in 6.* Ad finem hujus libri ponuntur famoſæ *Juris Regulæ*, numero 88.

Clementinæ (ſubintellige Conſtitutiones) 36
Auctorem habent Clementem V. qui eas vel ante- vel in- vel poſt Concilium Viennenſe , in Gallia an. 1310. celebratum , à ſe latas compilari juſſit, ſed morte præventus non vulgavit ; publicavit tamen ejus Succeſſor Joan. XXII. Avenione reſidens an. 1317. Conſtant itidem 5. libris , iisdem *titulis*, licèt paucioribus , quibus 5. Decretalium libri : *tituli* dividuntur iterum in *capitula.* Citantur hoc modò : *Clement. un. de Renunt.* Vel : *Clement. cùm illuſio de Renunt.* Vel : *Clement. ad noſtrum 3. de hæreticis.* Vel : *Clem. 3. de hæret.* Vel : *c. ad noſtrum*

ſtrum

Digitized by Google

ſtrum 3. *in Clementinis*. Vel: *de hæret. multorum §. porro in Clement*. Vel: *Clement. 1. multorum de hæret.*

37 *Extravagantes Joannis XXII.* ſic appellatæ, quia diu extra *Corpus* Juris quaſi incerta ſede vagabantur; & licèt poſtea in *Corpus* Juris aſſumptæ ſint, primævum tamẽ nomen retinent. Editæ ſunt à dicto Joanne P. numerô 20. habéntque iterum 5. libros, diſtributos in eoſdem *titulos*, ſed valde paucos, & in *capitula*, more Clementinarum, in quarum modum etiam citantur, v. g. *Extravag. Joan. XXII. ad Conditorem de V. S.* Vel: *c. ad Conditorem de V. S. in Extravag. Joan. XXII.* &c. Pro vocibus *Extravag.* vel *Extravagant.* ponitur ſubinde ſola ſyllaba *ex.* vel littera *x.*

38 *Extravagantes Communes*, ſic nominatæ, quia multis Pontificibus communes, ſeu à pluribus editæ, ſunt itidem in 5. libros diviſæ, ac olim extra *Corpus* Juris vagatæ. Citari ſolent ſicut *Extravagantes Joan. XXII.* cum hoc ſolo diſcrimine, quòd locò *Joan. XII.* addatur *inter Communes*, vel *in Communibus*, vel, *Commun.* v. g. *Extrav. Ambitioſæ inter Commun. de rebus Eccleſ. non alienan.* Vel: *c. Ambitioſæ inter Extravag. commun. de Reb. Eccl. non alien.* Vel: *in Extravag. comm. Ambitioſæ de rebus* &c.

39 Noviſſimè prodierunt & aliæ Extravagantes Conſtitutiones, à Poſterioribus Pontificibus editæ, in unum volumen, ordinem, & formam Decretalium collectæ à Petro Matthæo J. C. Lugdun. vocantúrque *liber VII. Decretalium*, hodie *Corpori* Juris inſertus. Verùm quia

quia ſine juſſu, auctoritate, vel approbatione alicujus Pontificis id factum eſt, authoritatem Juris non habet, ſed relatæ ibi Bullæ vel Conſtitutiones Pontificiæ eum duntaxat valorem retinent, quem independenter ab iſta collectione habent. Idem judicium eſto de *Inſtitutionibus Juris Canonici* à Lancelloto JC. conſcriptis, & nunc appreſſis *Corpori* Juris. Verùm de auctoritate præcedentium voluminum, uti & de Rubrica, & Gloſſa

Quæres 1. An recitatæ ſex partes omnes, & 40
quoad omnes textus, habeant auctoritatem Legalem, & vim Juris Eccleſiaſtici? ℞. 1. *Decretum* Gratiani per ſe non habet auctoritatem Legalem & vim Juris deciſivi in Foro & Scholis; contenta tamen in eo retinent illam vim, quâ pollent fontes, ex quibus ſua ſcripta hauſit Compilator Gratianus. Ratio primæ partis eſt clara; quia Gratianus tanquam vir privatus condendæ Legis poteſtate caruit, neque ejus volumen ab ullo Pontifice donatum eſt auctoritate Legali, vel in vim Juris approbatum. Ratio 2. partis; quia juſſu Gregorii XIII. à variis erroribus, quibus priùs ſcatebat, ſolerter repurgatum eſt, ut adeò Canones hujus Decreti cenſeantur nunc eſſe conformes ſuis Originalibus ſeu fontibus, ex quibus deſumpti ſunt. Qui fontes, quia varij ſunt, variam quoque vim obtinent, conſequenter & *Decretum*: proinde quæ refert Gratianus ex SS. Litteris, auctoritatem Divinam: quæ ex ſummorum Pontificum & Conciliorum Generalium Decretis, vim Juris Eccle-

ſiaſti

ſiaſtici obtinent: quæ verò ex SS. PP. adducit, majorem quidem probabilitatem, quàm aliorum Doctorum ſententiæ meritò ſibi vendicant; auctoritate tamen Legis non pollent, niſi fortè per ſummum Pontificem ſint canonizata; nam SS. PP. in materia diſputabili cenſentur loco privatorum Doctorum. Quæ addit Gratianus de ſuo, propriam ſententiam dicendo, probabilitatem faciunt, ſicut judicium alterius viri periti: quæ demum ex Conſtitutionibus Imperatorum & Legibus Civilibus inſpergit, accipienda tunc ſunt in foro Eccleſiaſtico, quando ſupplent defectum Juris Canonici, neque contraria ſunt Immunitati Eccleſiaſticæ, nihilque determinant circa res & perſonas Eccleſiaſticas, vel quando ab Eccleſia ſunt approbata, aut communi uſu recepta. ℟. 2. Reliqua 5. volumina, videlicet libri 5. Decretalium, Sextus, Clementinæ, Extravagantes tum Joan. XXII. tum Communes, habent auctoritatem legalem. Ita communis; quia ipſos ſummos Pontifices, Legislatores legitimos, habent Auctores vel Approbatores.

℟. 3. Singuli horum voluminum textus deciſivi pariter pollent auctoritate Legali, niſi vim Juris amiſerint per Conſuetudinem vel Conſtitutionem contrariam. Ratio; quia ſinguli textus deciſivi in vim Juris ab habente poteſtatem ferendi Leges conditi ſunt. Dixi 1. *niſi vim Juris amiſerint per Conſuetudinem*; hæc enim abrogare legem, vel ei derogare poteſt, ut dicetur ad titulum *de Conſuetudine*.

Dixi

Dixi 2. *vel Conſtitutionem contrariam;* lex enim poſterior, ſi conciliari nequeat cum priore, hanc tollit, ut apud omnes certum eſt. Cœterùm textus ſingularum partium, quæ eundem habent Auctorem (ut libri 5. Decretalium Gregorium IX. & Sextus Bonifacium VIII.) ab omni antilogia, contrarietate, & correctione paſſim abſolvunt, vel ſaltem abſolvere conantur Doctores, niſi in textu poſteriori clarè exprimatur correctio prioris, uti expreſſit Bonifacius VIII. *c. felicis 3. de Cenſibus in 6.* ubi corrigit *c. exigit* 2. immediatè præcedens: Siquidem in una eadémque legum compilatione non debet eſſe contrarietas. *l. 1. C. de vet. Jure enucl.*

Q. 2. Quid ſit *Rubrica*, & an alicujus Au- 41
ctoritatis? ℞. 1. Rubrica eſt ſumma quædam brevis materiæ ſubſequentis, textui vel conſtitutioni præfixa; & quia, olim ſaltem, rubris litteris exprimi ſolebat, *Rubrica*, vel *Rubrum* dicitur. ℞. 2. Rubricæ eſt maxima auctoritas interpretativa. Ita *cum gl. in prœm. ad 6tum v. titulis.* Panormit. infrà citandus, Jaſon, & alij; quia ſicut textus, ita & tituli illis præfixi ab Auctoritate Apoſtolica proveniunt. Unde *à rubro ad nigrum*, ſeu ex præfixo titulo ad ſubjectum canonem non ſatis perſpicuum deſumitur utile argumentum & interpretatio ad deciſionem cauſarum, *arg. l. 1. ff. de reb. cred.* Minor tamen Auctoritas Rubricarum eſt, quæ in Decreto Gratiani præmittuntur textibus; quia nec Pontificem, nec ipſum etiam Gratianum, ſed alium quendam habent aucto-

auctorem. Panormit. *in procem. Decretal. Greg. IX. ad finem n. 8.*

42 Q. 3. Quid ſit *Gloſſa*, & quantæ auctoritatis? ℞. 1. Gloſſa eſt uberior explanatio Canonum & textuum, in margine appoſita, & facta ab Accurſio, antiquo Gloſſatore Juris Canonici. Unde *Corpus* Juris, fuſiorem hanc explicationem continens, dicitur *Gloſſatum*, vel *Majus*. Aliud autem *Corpus*, cui adjectæ ſunt breves tantùm notæ, ſeu brevior explicatio, & variæ citationes, vocatur *Notis illuſtratum*. Hujusmodi notas in *Corpore* Juris Civilis fecit Dionyſius Gothofredus JC. Quando in textu vel Gloſſa occurrit littera *C.* ſignificat *contra*, quado littera I. ſignificat *infrà*, & quando littera *S.* ſignificat *ſuprà*. ℞. 2. Gloſſa (idem eſt de *Notis*) non habet auctoritatem Juris, licèt fundet valde magnam probabilitatem, ut præferri debeat ſententiæ alterius Doctoris, etiam eximii, niſi conſuetudo, optima legum interpres, vel communis Doctorum ſenſus, vel etiam unius tantùm, ſi meliori nitatur fundamento Juris, obſiſtat Gloſſæ. Unde Juris peritiores non adorant Gloſſam tanquam Idolum, ut eam continuò pro comperta veritate habeant, ſicut adorare gloſſam Juris Civilis arguuntur Advocati.

43 Dico 3. Extra *Corpus* Juris dantur adhuc aliæ ſanctiones Canonicæ, nimirum 1. liber Concilii Tridentini. 2. Bullarium Magnum, uti & aliæ Bullæ, quæ identidem à ſummis Pontificibus emanant. 3. Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ. 4. Declarationes Cardinalium. 5. Deciſiones Rotæ Romanæ. Quæ-

Quæres, qualem hi libri & ſanctiones Canonicæ obtineant Auctoritatem? ℞. 1. *Concilium Tridentinum*, quod anno 1545. inchoatum, & anno 1563. finitum, definivit complures fidei articulos contra Lutheranos & Calviniſtas, ſimúlque plurima ac ſaluberrima fecit morum decreta, *quoad articulos fidei* eſt infallibilis Auctoritatis, & ab omnibus Chriſtianis ubique recipi atque conſtanter retineri debet, utpote congregatum, directum, & approbatum à Papa, infallibili in rebus fidei Doctore: quoad *Decreta morum & Reformationes* autem pollet Auctoritate Legali, & Jus Noviſſimum ac Univerſale conſtituit, ubicunque promulgatum, vel contraria conſuetudine, vel privilegio Apoſtolicô ei derogatum non eſt; cùm in Eccleſia non ſit major poteſtas Legiſlativa, quàm Concilium Generale ſuo Capiti, Romano Pontifici, unitum. Aliud eſt de Concilijs Particularibus; hæc enim non tantùm in rebus fidei carent infallibili Auctoritate, ac tali, qualem habent Sancta Evangelia, ſed etiam deſtituta ſunt auctoritate Juris Univerſalis, ſeu totam Eccleſiam obligentis, niſi Canones & Decreta eorum à Pontifice approbata, & toti Eccleſiæ ſequenda proponantur, ſicut à Leone IV. cum quatuor primis Conciliis Oecumenicis ſeu Generalibus approbata ſunt hæc Particularia, *Ancyranum*, *Neo-Cæſarienſe*, *Gangrenſe*, *Antiochenum*, *Laodicenſe*, & quædam alia. *Can. 1. d. 20.* Quot & qualia hactenus celebrata ſint Concilia Generalia, quid in ijs geſtú &c. videri poteſt in meo *Curſu Theologiæ*

logiæ Polemicæ nuper tertia vice edito, quem etiam in aliis materiis, Juri Canonico affinibus, utiliter inſpicies propter hæreticos, quibus circumdamur.

44 Rℽ. 2. *Bullarium Magnum*, quod auſpicio Sixti V. primitus vulgatum, à Laërtio Cherubino JC. Romano, & poſteaab aliis continuatum eſt, complectitur ſeriem omnium Romanorum Pontificum, eorúmque diverſas Bullas, & Conſtitutiones; majori tamen Auctoritate præditum non eſt, quàm Bullæ extravagantes in Bullario non contentæ; quia à nullo Pontifice approbatum. Sed quam Auctoritatem tribuere debemus Bullis extravagantibus, quæ hinc indè emanârunt poſt illas, quæ in *Corpus* Juris jam ſunt relatæ, vel adhuc emanant, in Bullario tamen non continentur? Repono: ſi de illis certò conſtet, & ſint promulgatæ pro tota Eccleſia, faciunt quidem Jus Univerſale; quia verò ſæpe non debito modo conſtat, an talis Bulla, quæ allegatur, ſit ritè promulgata, vel uſu recepta, vel cum Originali ſuo in omnibus & per omnia correſpondeat, in rigore non obligat, nec in Judicio plenam facit probationem, ubi de re magni momenti vel præjudicij agitur; niſi producatur in forma Authentica, & quidem extra Curiam Romanam ſub plumbo & ſubſcriptione debita, in Curia verò Romana ſub ſigillo Cancellarij vel Camerarij Auditoris. Vid. Card. Tuſchus *lit. E.* Cœterùm *Bulla* Pontificia differt à *Brevi* Apoſtolico, quòd ſit Scriptura in membrana, plumbo de funibus pendendeu-

dente munita, ſalutationem cum narratione & conceſſionem Papæ &c. continens: *Breve* autem ſit diploma ſeu Reſcriptum à Papa (aut Pœnitentiario Magno) emanatum, ſitque Scriptura modica in parvis conceſſa negotijs, in papyro frequenter ſcribi ſolita, cerâ rubrâ annulóque Piſcatoris ſigillata, ac ſigno Secretarij notata & ſubſcripta.

℟. 3. *Regulæ Cancellariæ*, hoc nomine appellari ſolitæ; vel quòd magna earum pars concernat expeditionem litterarum Apoſtolicarum, quæ fit in Cancellaria, vel quod in Cancellaria Apoſtolica publicentur, nihil aliud ſunt, quàm certæ ordinationes Pontificiæ circa cauſas maximè Beneficiales, & potiſſimùm obſervandæ ab Officialibus Cancellariæ. Quatenus generaliter aliquid ſtatuunt v. g. de Reſervationibus Beneficiorum & Reſignationibus, de Diſpenſationibus & Indulgentiis impetrandis, de triennali poſſeſſore beneficij &c. obtinent Auctoritatem Juris Univerſalis, atque vim etiam in Judicio extra Curiam, ſaltem ſi à S. R. E. Vice-Cancellario ſub plumbo impetratæ producuntur, vel per libellum in Camera Apoſtolica impreſſum, ut docent Chokier & Wagnereck. Id præterea habent ſpeciale, quòd cum morte ſummi Pontificis exſpirent, ac Sede Papali vacante nullam habeant vim, donec à Succeſſore iterum reſuſcitentur & reaſſumantur vel omnes, vel aliquibus omiſſis, vel additis, ad libitum recèns electi Pontificis, qui altero mox ab electione die eas inſtaurare ſolet. Initium ſumpſerunt circa tempora Jo. XXII. 45

46 ℟. 4. *Declarationes Cardinalium*, qui nempe conſtituti ſunt à Papa *Interpretes* Concilii Tridentini in Decretis morum (non quoad fidei dogmata, quæ Pontifex ſibi reſervat exponenda) ademptâ omnibus aliis facultate gloſſas, annotationes, commentarios, vel quodcunque Interpretationis genus in præfatum Concilium edendi, probabiliùs ſunt Authenticæ, ſeu Jus inducunt, ſed ſub tribus conditionibus. 1. Si ſint datæ conſulto priùs Pontifice, hujúsque expreſſo in litteris nomine; ſic enim ſtatuit Sixtus V. & Greg. XIV. raró autem conſulunt Cardd. ut Pelliz. *tract. 4. c. 4. n. 108.* notat ex Salas. 2. Si ſint *comprehenſivæ*, hoc eſt, ſi comprehendantur in Verbis Concilii, atque ſint ſecundùm tenorem & proprietatem verborum Legis, eámque interpretentur tantùm, non extendant, aut legem novam ponant; atque ſic voluêre Pius V. & Gregor. XIII. Si enim Cardinales recederent à propria & uſu recepta verborum Concilii vel Legis ſignificatione, extendendo ultra verba ſecundùm ſenſum communem accepta, vel diſpenſando, foret declaratio extenſiva, quæ non eſt *Authentica*, ſed *doctrinalis* tantùm; quia non ad extenſionem, ſed ad interpretationem conſtituti ſunt Cardinales. 3. Si producantur in forma Authentica, nimirum cum S. Congregationis ſigillo, atque Cardinalis Præfecti & Secretarij ſubſcriptione, uti voluit Urbanus VIII. an. 1631. Quæ tria ſi concurrant, probabiliùs ſunt Authenticæ, partim quia auctoritate & expreſſo nomine Pon-

Digitized by Google

Pontificis ſpecialiter conſulti dantur, partim quia credibile non eſt, quòd his Cardinalibus, quos Pontifex voluit loco ſui explicare decreta morum Concilii, non dederit ampliorem poteſtatem, quàm aliàs habent Doctores privati, Jura alia interpretantes: ergo dedit poteſtatem interpretandi authenticè, & non merè doctrinaliter. Si aliquid ex illis deſit, non tollunt probabilitatem ſententiæ oppoſitæ. Pelliz *tr. 2. c. 9. n. 6.*

Oppones. Leges non obligant, niſi publicè promulgentur ut Leges: ſed declarationes Cardinalium nec ſolenniter promulgantur, ſed tantùm indicantur ſimpliciter petentibus; nec ut leges, ſed per modum opinionis, & per verba *cenſemus*, *cenſuit* Congregatio: ergo. Adde, quòd ſæpius reperiantur prorſus contrariæ declarationes circa eandem rem. ℞. Declaratio *comprehenſiva* non requirit ſpecialem publicationem & ſolennem, quia non condit novum Jus, ſed jam antè conditum & promulgatum explicat. Verbum *cenſendi* Juridicè frequenter ſignificat idem, ac decernere, conſtituere, præcipere, prohibere. *L. 111. ff. de V. S.* Ad ultimum, quod additur, fateor, ſæpe allegari contrarias; quamvis putem, non facilè allatum iri declarationes contrarias in forma Authentica: ſi tamen & tales afferentur, idem reſponderi deberet, quod reſpondemus ad Leges contrarias, nempe poſteriores derogare prioribus, ſi nequeant conciliari. Porro jam ſæpius omnes Declarationes typo impreſſas fuiſſe damnatas, inſinuat

Zypæus *Conſult. Can. conſult. 1. tit. de Elect.*

47 ℞. 5. *Deciſiones Rotæ Romanæ*, quamvis magnæ ſint Auctoritatis, & in Curia Romana, ſi plures exſtent uniformes ſuper eadem quæſtione, inducant conſuetudinem & ſtylum Curiæ, extra Curiam tamen Romanam vim Juris Univerſalis non obtinent; ſed ferè ſe habent, ſicut in foro Imperiali ſe habent deciſiones Aſſeſſorum Cameræ Imperialis Wezlarienſis, cùm ipſis non condendi Leges, ſed ſolùm judicandi ſecundùm Leges data ſit poteſtas. Eſt autem *Rota Romana* tribunal Romani Pontificis ad decîdendas cauſas litigioſas ordinatum, conſtans ex 12. Prælatis, partim Italis & Hiſpanis, partim Germanis & Gallis, iiſque in Jure verſatiſſimis; qui vocantur *Auditores Rotæ*, eò quòd in *orbem* ſedentes *audiant* controverſias ad ſe delatas, examinent, & ſecundùm Jura, prudentiam & æquitatem, dirimere ſatagant.

§. 2.

Quid & quotuplex ſit Juſtitia?

48 Sciendum 1. *Juſtitiam*, ſicut de *Jure* diximus, variè accipi. 1. pro complexione omnium virtutum, & obſervantia totius Legis. 2. pro charitate, ſeu cumulo perfectionis. 3. pro gratia habituali, ſeu ſanctificante, quæ hominem tanquam forma denominat & facit juſtum ac ſanctum coram DEO, ſeu qua dicimur conſtituti in ſtatu gratiæ. 4. pro virtute, quæ ſpecialiter eſt ad alterum, tribuendo cuique ſuum. In hac 4.ta acceptione eam conſiderant Juriſtæ, & ad hanc meliùs intelligendam

Sc.

Sc. 2. per jus, quod hæc virtus intendit 49
tribuere alteri, intelligi jus *paſſivum*, ſeu id, quod alteri debetur; ſive dein ſit jus paſſivum *proprietatis*, quod alteri tanquam perſonæ privatæ debemus ut ſuum, & hoc jus dicitur etiam *ſuitas proprietatis*, quam reſpicit juſtitia Commutativa: ſive ſit jus paſſivum *dignitatis*, quod alteri tanquam membro communitatis debetur ratione meriti ſui, & hoc jus vocatur etiam *ſuitas membri*, quam attendit juſtitia Diſtributiva: ſive ſit jus paſſivum *obſervantiæ*, quod communitati debetur à membro, & appellatur *ſuitas communitatis*, quam procurat Juſtitia Legalis. Siquidem Juſtitia dividitur in Commutativam, Diſtributivam, & Legalem, ut poſtea videbimus. *Commutativa*, dicta à commutationibus rerum inter homines privatos fieri ſolitis, quas dirigit, rectè diſponit partem communitatis ad partem, ſeu hominem privatum ad alium privatum, obligando, ut det alteri, quod ipſi debetur titulo proprietatis. *Diſtributiva* rectè diſponit totum ad partem, ſeu communitatem ad hominem privatum, eam obligando, ut diſtribuat officia & bona communia juxta ſingulorum membrorum merita. *Legalis* rectè diſponit partem ad totum, ſeu membrum communitatis ad ipſam communitatem, quà talem, illud obligando, ut procuret bonum communitatis ſuæ: quoniam verò commune bonum maximè promovetur per bonas leges, appellatur hæc Juſtitia *Legalis*. His tribus ſpeciebus communiter adjicitur quarta, nempe Juſtitia *Vindicati-*

Digitized by Google

va, quæ ſceleratis debitas & proportionatas decernit pœnas.

50 Dico 1. Juſtitia in genere eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. Ita cum Ulpiano *l. 10. ff. de J. & J.* & cum S. Thom. *2. 2. q. 58. a. 1.* Theologi & Juriſtæ plerique omnes. Atque propter hanc tantam auctoritatem etiam nos recipimus hanc definitionem, licèt juxta rigorem Logicum poſſet dari accuratior, v. g. hæc: eſt habitus dirigens actiones humanas ex honeſtate reddendi alteri æquale juri ſuo. Vel iſta: eſt virtus operans ex honeſtate tribuendi cuique jus ſuum. Dixi 1. *conſtans & perpetua voluntas*, id eſt, firmum propoſitum, ac omni tempore paratum, non obſtante quacunque difficultate, reddendi alteri, quod ipſi debetur: ly *voluntas* non modò ſignificat actum, ſed etiam habitum voluntatis, ut definitio conveniat juſtitiæ tam habituali quàm actuali. Dixi 2. *jus ſuum*, nempe paſſivum; quod immediatè eſt actio vel omiſſio actionis alteri debita, mediatè verò eſt id, quod per actionem alteri exhibetur, v. g. equus, qui debetur. Dixi 3. *cuique*, id eſt, alteri cuicunque, penes quem eſt jus activum adversùs nos; ſicut enim nullus ſibi poteſt propriè inferre injuriam, ita nec ſibi præſtare juſtitiam, ſed Juſtitia eſſentialiter eſt virtus ad alterum. Dixi 4. *tribuendi*, quod bifariam fit, nimirum vel poſitivè, faciendo, quod propter jus alterius oportet facere; vel negativè, omittendo, quod oportet omittere.

Dico

Dico 2. Juſtitia rectè dividitur in Commutativam, Diſtributivam, Legalem, & Vindicativam. Suſtinetur hæc diviſio propter maximam auctoritatem ferè omnium, quamvis non ſit univoca; non enim omnes ſpecies univocè & perfectè participant naturam Juſtitiæ in genere, ſed Vindicativa ſaltem eſt pars ſolùm poteſtativa Juſtitiæ, non ſubjectiva, cùm alteri non tribuat debitum *titulo ſuitatis*, ſicut reliquæ ſpecies; ſiquidem Malefactoribus non debentur pœnæ ita, quaſi puniendus haberet jus ad illas, ipſique fieret injuria, ſi non puniretur: ſed pœnæ debentur ipſi ſolùm *titulo honeſtatis*. Id tamen verum eſt, quòd Reipublicæ fieret injuria, ſi Judex absque juſta cauſa non infligeret ſtatutas pœnas delinquentibus, utpote ex contractu tacito, adeóque ex juſtitia Commutativa, obligatus ad puniendos criminoſos Reipublicæ noxios. Aliqui Juſtitiam Vindicativam reducunt ad Juſtitiam Commutativam, alii ad Diſtributivam, alii ad Legalem. 51

Dico 3. Juſtitia Commutativa à cæteris ſpeciebus habet hoc ſpeciale; quòd reſpiciat Jus alterius ſtrictè dictum, ſcilicet *jus proprietatis*, cujus violatio inducat obligationem reſtituendi, & reparandi damnum illatum. Ratio eſt; quia Juſtitia Commutativa reſpicit *medium rei*, ſeu attendit ad objectivam æqualitatem, quæ inter jus activum unius, & inter jus paſſivum alterius intercedit, independenter à circumſtantiis perſonarum, loci, temporis, ab intellectu conſideratis. v. g. dediſti alteri mu- 52

tuos 100. florenos: medium rei, exigente juſtitia ponendum, ſunt 100. floreni reddendi, absque reſpectu ad perſonas, tempus, locum: tantum igitur exigit Juſtitia Commutativa reddi, quantum debetur alteri: Non verò habet *medium rationis*, ſeu tale, quod per intellectum attentis circumſtantiis inveniendum & determinandum eſt; cujuſmodi medium habent pleræque aliæ virtutes. Ex quo etiam eruitur, quòd Juſtitia Commutativa exigat *proportionem Arithmeticam*, ſeu perfectam æqualitatem inter jus activum unius & paſſivum alterius, dum non patitur, ut unus habeat minus in ſuis bonis, quàm ipſi debitum ſit, alter verò habeat plus, quàm ipſi debeatur.

Oppones. Etiam Juſtitia Diſtributiva, ſi lædatur, obligat ad Reſtitutionem faciendam: ergo. Ant. prob. qui alterum impedit à conſecutione boni, v. g. officii rationabiliter ſperati, & ad quod eſt præ cæteris dignus, tenetur ei reſtitutionem facere pro quantitate ſpei, quam alter habuit ad tale officium, ut docent omnes: ergo. R. N. Ant. ad prob. diſt. qui alterum impedit à conſecutione boni, ad quod ille habuit jus proprietatis. C. *Antec.* ad quod habuit jus ſolùm dignitatis. N. *Ant.* vel ſubdiſt. ſi impediat à conſecutione juris dignitatis vi, fraude, vel alio modo injuſto. C. ſecus. N. *Ant.* & *Conſ.* Officium non eſt per ſe debitum titulo proprietatis, ſed ſolùm dignitatis, Qui igitur à conſecutione officii alterum impedit ſine artibus iniuſtis, non tenetur ad Reſtitutionem, etiamſi impediat aliis modis illicitis, v. g. alium minùs dignum

dignum præferendo ex affectu cognationis, ſpe lucri, flexus muneribus &c. Nec oppoſitum docent omnes.

Dico 4. Jus Canonicum verſatur circa omnes quatuor enumeratas ſpecies Juſtitiæ. 53
Probatur: ad Juſtitiam Commutativam pertinent, quæ tractat de Teſtamentis, Matrimonio, & aliis Contractibus, de Proceſſu Judiciali, ad id ordinato per totum librum II. ut ſuum cuique tribuatur per ſententiam Judicis. Ad Diſtributivam, quæ de Electionibus, Inſtitutionibus, Jure Patronatus, ætate, & qualitate præficiendorum &c. Ad Legalem, quæ de Conſtitutionibus, Reſcriptis, Conſuetudine. Ad Vindicativam, quæ de criminibus & pœnis in libro V. potiſſimùm proponit, De Juſtitia agit quidem etiam *Theologia* tum *Speculativa* tum *Moralis* & Practica, ſed principaliter in ordine ad internum conſcientiæ forum juxta Legem Naturalem & Divinam: *Jurisprudentia* verò tam *Canonica* quàm *Civilis* maximè tradit canones & leges humanas, docétque, quid in foro externo agendum, & in Judicio ſecundùm allegata & probata pronuntiandum ſit, quamvis etiam iſta aliquo modo reducantur ad conſcientiæ tranquillitatem, atque ad forum internum.

§. 3.

Objectum Juris Canonici, præſtantia, & confœderatio cum Jure Civili.

Sc. Naturam, præſtantiam, neceſſitatem, 54
utilitatem & alias qualitates alicujus habitûs optimè

optimè dignoſci ex objecto, circa quod tanquam finem, principaliter & immediatè intentum, verſatur habitus, ſive dein ſit ſcientia, ſive ars, ſive prudentia. Si habitus pro objecto habeat aliquid factibile, operabile, dirigibile, eſt practicus, ut Ars, & Prudentia: ſi aliquid ſolummodo cognoſcibile & demonſtrabile, ſpeculativus eſt, ut Scientia, Sapientia. Habitus Canonicus principaliter eſt directivus, conſequenter practicus, quia omnes & præcipui ejus actus ſunt Regulæ, Canones, præcepta, quibus intendit dirigere hominum actiones, adeóque ejus objectum eſt dirigibile; & idcirco meliùs vocatur *Prudentia*, vel *Jurisprudentia*, quàm *Scientia*, quia intendit principaliùs dirigere homines ad rectè operandum per ſuos Canones & Regulas, quàm has præcisè cognoſcere, vel etiam demonſtrare.

55 Dico 1. Objectum Juris Canonici materiale ſunt actiones Chriſtianorum dirigibiles per Canones, tanquam Regulas Eccleſiaſticas, ad piè juſtéque vivendum, & ultimatò ad ſupernaturalem animæ beatitudinem obtinendam. Veritas aſſertionis demonſtrabitur per decurſum, & patet inſpicienti *Corpus Juris Canonici*, ubi nihil ferè occurrit, niſi regulæ, quibus homo Chriſtianus & Eccleſiæ ſubditus dirigatur ad DEUM ritè colendum, neminem lædendum, & jus ſuum cuique tribuendum; nam juxta *l. 10. ff. de J. & J.* actiones à Juſtitia, vel potiùs Jurisprudentia imperatæ & directæ, ſunt *honeſtè vivere*, *neminem lædere*, *jus ſuum cuique*

cuique tribuere. Ergo actiones Chriſtianorum ſunt principalis & immediatus finis Juris Eccleſiaſtici, conſequenter objectum, materiale quidem actiones ut dirigibiles, formale verò earum rectitudo, honeſtas, & æquitas ipſa: ferè quo modo rectæ mentis operationes dicuntur eſſe objectum Logicæ *quà artis*. Jam ex hoc nobili fine & objecto Juris Canonici

Colliges 1. illius præſtantiam haud vulgarem. 56 Quid enim nobilius, creatura rationali dignius, homini magis optabile, quàm regula infallibilis ad DEUM ritè colendum, honeſtè & juxta rectam rationem vivendum quà ſecum ipſo, quà cum proximo, ac tandem ad ſuum ultimum finem, ſupernaturalémque beatitudinem ſecurè obtinendam dirigi? Sed audiamus ternos in Dilingana Academia celeberrimos Juris Pontificii Profeſſores, magna ſacræ Jurisprudentiæ lumina, Paulum Laymannum, Ernricum Pirhing, & Henricum Wagnereck, ſacræ hujus facultatis encomiaſtes, Authoritatis haud vulgaris viros. Primus eorum in *c. firmiter de ſumma Trinit.* ſcribit: *Eccleſiaſtos Canones ideo conſtitutos eſſe conſtat, ut eorum adminiculo homines Chriſtiani ſalutem animæ conſequantur, & ad vitam æternam ordinentur.* Alter *in Epiſt. dedic. tom. 1. quantumcunque labor hic* (circa SS. Canones rimandos) *ſit difficultate ferreus, utilitate tamen eſt aureus.* Poſtremus *in Exegeſi præf. ad Lectorem: Sacri Canones proximum poſt ſacræ Scripturæ theſauros locum habent, dignitatéque ſua & uſu omnes alias ſcientias longè ſuperant.* Imò cùm ſæpe interpreten-

pretentur S. Scripturam, ejúsque genuinum ſenſum declarent, optimo jure ipſis applicaveris, quod Juſtinian. & Ulp. de Jurisprudentia in genere edixerunt: quòd nempe ſint *Divinarum atque Humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia.* *§. Jurisprud. Inſt. de J. & J. l. 10. cit.* Unde Card. Hoſtienſis, purpuratus SS. Canonum interpres, præclarè dixit: *Hæc noſtra Lex ſive Scientia verè poteſt Scientiarum Scientia nuncupari.*

57 Colliges 2. utilitatem & neceſſitatem illius maximam; cùm enim Jus Canon. directè intendat & doceat regimen animarum, ac Eccleſiæ, impoſſibile eſt, ut tam in theoria quàm praxi non ceſpitent ſæpius, graviterque impingant, aut turpiter errent, tum Theologi, tum Civiliſtæ, debitâ SS. Canonum peritiâ deſtituti. Quomodo enim Theologi ſcient, ſecuro tramite ſibi commiſſas deducere animas, curámque illarum ritè exercebunt, niſi probè noverint, quid fidelibus præceptum, vetitúmve ſit? Quomodo Epiſcopi ac Judices Eccleſiaſtici & Magiſtratus, ſi nec formam Judicii aut procedendi normam intelligant? Si nihil de Electionibus & qualitatibus præficiendorum, nihil de Legibus & Privilegiis, nihil de fori Competentia, nihil de Beneficiis & Jure Patronatûs, nihil de Contractibus & Teſtamentis, nihil de Pœnis & Cenſuris &c. quæ ex noſtro Jure potiſſimùm haurienda ſunt, ne primis quidem labiis deguſtaverint? Quomodo Civiliſtas non in varios errores incidere pronum, imò neceſſe eſt absque Juris Sacri adminiculo?

Digitized by Google

culo? dum totum Proceſſum Judiciarium, quo utuntur, ex Pontificii Juris libro II. mutuari debent; dum in pluribus caſibus neceſſe habent Juris Eccleſiaſtici deciſiones ſequi, v. g. ſi tangatur materia concernens peccati fugam, animæ periculum: ſi ſint cauſæ piæ aut miſerabilium perſonarum: ſi agatur de interpretatione Juris Divini aut Naturalis. Unde ſapientiſſimus Henricus Caniſius in *ſua ſumma* ait: *rem igitur neceſſariam agit Theologiæ Studioſus, cùm & SS. Canonum cognitionem ſuæ profeſſioni conjungit, eam aliquando in Eccleſiæ uſum & ornamentum traducturus.* Et Jacob. Pignatell. *to. 1. Conſult. Can. Conſ. 14. n. 11. ſeq. Non dubito pronuntiare indignum Theologi nomine, qui Jus Canonicum ignoret, ſine quo eſt Empiricus inter Medicos. Eſt enim Jus Canonicum portio quædam Theologiæ -- & partialis quædam Theologia, quæ Practica vocatur.* Quid ergo mirum, quòd *can. 1. d. 38.* ſic præcipiatur: *Sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas & Canones.* Quippe à notitia Canonum, ut ait Auguſt. Michel *in q. procem. Theol. Canonico-Moralis*, adeò dependet Doctrina Moralis, ut revera nihil ſit aliud, *quàm ſumma & compendium Juris Canonici. Et certè ſi quis bene verſatus eſſet in Canonibus, omnium fortè caſuum deciſionem ibi reperiret.* Ita Doctiſſimus & expertiſſimus iſte vir. De Civiliſtis autem rectè pronuntiat Jo Andr. *in procem. Speculi*, eos ſine notitia Juris Canonici *ſæpiſſime errare.* Cardin. de Luca verò *in Relat. Rom. Curiæ diſc. 32. n. 89.* Legiſtam ſine Canonibus *parùm valere.* Et *diſc. 31. n. 39.* inſectatur

Digitized by Google

ſectatur illos Practicos, qui vera Juris Canonici cognitione deſtituuntur, ac ait, eos nihil ſcire à priori, ſed totum ſcire per praxim & traditiones, ideóque à ſe appellari *teſtes de auditu, non autem de viſu.* Jam de confœderatione & pugna Juris Canonici cum Civili ulterius

58 Dico 2. Quando Jus Canonicum circa aliquam rem profanam nihil decernit, vel dubiè tantùm, Jus verò Civile circa illam diſponit clarè; tunc ſequi oportet Jus Civile etiam in foro Eccleſiaſtico: & viciſſim quando Jus Civile nihil decernit, vel dubiè tantùm, Jus verò Canonicum clarè diſponit, ſtandum eſt deciſione Juris Canonici in utroque foro. Ita Regulæ inſtar tradunt DD. ex *c. 1. de N. O. N.* ibi: *ſicut Leges non dedignantur ſacros Canones imitari, ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum Conſtitutionibus adjuvantur.* Itaque Jus Civile ſupplet defectum Juris Canonici, & Jus Canonicum ſupplet defectum Juris Civilis, quando deſunt propriæ Leges. Dixi, *circa rem profanam;* nam circa res ſpirituales vel perſonas Eccleſiaſticas ſi aliquid diſponat Jus Civile, nullius eſt Authoritatis, niſi ejus Leges ſint Canonizatæ, h. e. à Jure Canonico vel expreſsè, vel ſaltem uſu, receptæ; præſertim ſi Conſtitutio Juris Civilis non eſſet merè favorabilis, ſed damnoſa vel præjudicioſa rebus aut perſonis Eccleſiaſticis. *c. 10. de Conſtit.*

59 Dico 3. Quando inter Jus Canonicum & Civile eſt pugna ſeu diverſitas Legum, circa rem

rem profanam, vel per ſe non peccaminoſam in conſcientia, quodlibet eſt obſervandum in ſuo foro, videlicet. Canonicum in territorio temporali Papæ, Civile autem in territorio Romani Imperii. Ita rurſus per modum regulæ DD. *ex can. 6. D. 96. & c. 13. v. tria. qui filii ſint legiti.* Ratio eſt; quia in materia profana & peccatum non concernente nec Poteſtas Sæcularis ſubordinata eſt Eccleſiaſticæ, nec Eccleſiaſtica Sæculari. Dixi iterum 1. *circa rem profanam*, cujusmodi ſunt contractus, teſtamentum, ſucceſſio ab inteſtato, conſtitutio dotis, judicia &c. Aliud autem eſt, quando agitur de rebus Spiritualibus, v. g. de Matrimonio aliisque Sacramentis, de ſtatu Clericali vel Religioſo, de Dignitatibus & Beneficiis Eccleſiaſticis, de Decimis, Votis, juramentis &c. In hujusmodi enim prævalet ubique diſpoſitio Juris Canonici. Quia Laici non habent jurisdictionem Eccleſiaſticam, neque negotia Eccleſiaſtica tractandi capaces ſunt. *can. 11. d. 96. c. 2. de Judiciis.* Lex autem omnem vim accipit à poteſtate & jurisdictione Leges ferentium. *c. 21. de Sent. Excom.* Dixi 2. *vel per ſe non peccaminoſam;* quando enim agitur de materia concernente peccatum in conſcientia, uti eſt concubinatus, cædes filiæ in adulterio deprehenſæ, uſura merè lucratoria, præſcriptio cum mala fide &c. quæ à Jure Civili permittuntur, & non puniuntur, à Jure autem Canonico improbantur, ſequi oportet Jus Canonicum tanquam correctorium Juris Civilis: *cùm generaliter omni conſtitutioni derogan-*

dum ſit, quæ absque peccato mortali non poteſt obſervari. c. fin. de Præſcr. Ratio, quia materia peccatum continens impedit ſalutem animæ Spiritualem, ad quam fideles gubernandi ſunt ab iis, quos Chriſtus conſtituit animarum Paſtores, ſuíque Vicarios, qui ſunt Præſides Eccleſiaſtici, non Sæculares.

60 Extenditur aſſertio etiam ad Eccleſias, & ad perſonas Eccleſiaſticas. per *c.10.* & alia Jura citt. ac propter paritatem rationis; cùm Eccleſiæ & perſonæ Eccleſiaſticæ (ſicut res Spirituales, & cauſæ piæ) ſint extra jurisdictionem ſæcularem tanquam res quàm maximè ſacræ. Itaque nec de his aliquid ſtatuendi poteſtatem habet Princeps vel Magiſtratus ſæcularis. *arg. c. 2. de Conſtit. in 6. & l. fin. ff. de Juriſd.* Quod uſque adeò verum eſt, ut de Eccleſiis, perſonis Eccleſiaſticis, & rebus ſacris etiam in earum favorem nihil decernere poſſit præcipiendo, vel judicando, *c. 10. cit.* ne ſcilicet prætextu favorabilis conſtitutionis Poteſtas ſæcularis jurisdictionem uſurpet in Eccleſias, perſonas Eccleſiaſticas, res ſacras, & cauſas pias, ſeu ad cultum divinum ordinatas. Si tamen à Superiore & Poteſtate Eccleſiaſtica ejusmodi Lex à ſæculari lata approbaretur, vel reciperetur, obligaret quidem, non tamen ut ſancita à Poteſtate ſæculari, ſed ut proveniens ab Eccleſiaſtica. Quòd ſi autem hujusmodi Leges Civiles de Eccleſiis &c. continerent merum favorem, & pura privilegia, citra obligationem vel onus aliquod annexum, cujusmodi exſtat in *Auth. Item nulla C. de Epiſc. & Cleric.* ubi

ubi Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ perſonæ pronunciantur exemptæ ab exactionibus & oneribus per ſæculares Magiſtratus imponendis, tunc utique ſubſiſterent, & robur haberent ante omnem approbationem Prælatorum Eccleſiaſticorum: ne, quod in Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum favorem introductum eſt, in earum odium retorqueatur contra Regulam 61. *de R.J. in 6.* Jam ſequuntur

TITULI.

Ordine Decretalium Gregorii P. IX.

A *Jove Principium*, dicebat Antiquitas. Quare & Juris Eccleſiaſtici initium rectè capitur à DEO Trino & Uno, omnis Sapientiæ & Juſtitiæ primo fonte, per quem *Reges regnant, & Legum Conditores juſta decernunt: per quem Principes imperant, & Potentes decernunt juſtitiam.* Prov. 8. *A ſumma Trinitate* fit progreſſus ad generalia Juris Scripti & non ſcripti principia, *Conſtitutiones* nimirum, *Reſcripta*, & *Conſuetudinem*. Tum uſque ad titulum 35. de Electione, juribus, poteſtate, qualitatibus, gradibus, characteribus Prælatorum, Judicum, & Officialium Eccleſiaſticorum, & ordinandorum. Demum uſque ad finem hujus libri, 43. titulos habentis, ſubjiciuntur quædam, quibus aliqua eſt cum Judiciis ſimilitudo, & quaſi præparatoria ſunt ad Proceſſum Judiciarium, in libro II. adornandum, quo negotia & lites Chriſtianorum complanantur. Præparatoria autem illa ſunt Treuga, Pax, Pacta, Tranſactio, Arbitria, quorum beneficio

Digitized by Google

cio terminantur controverſiæ extra ſtrepitum & judicia, item conſtitutio Advocatorum, Syndicorum, quæ perſonæ in Judiciis adhiberi ſolent.

TITULUS I.

De Summa Trinirate & Fide Catholica.

SUMMARIUM.

1. *Ordo titulorum libri I.*
2. *Quid Summæ Trinitatis,*
3. *Et Fidei Catholicæ nomine intelligatur.*
4. *Externa fidei profeſſio quandoque Jure Divino neceſſaria eſt.*

5\. 6. *Quid de Summa Trinitate, & aliis articulis ſpecialiter credendum.*

7\. *Quorum publica profeſſio à quibusdam emittenda Jure Eccleſiaſtico,*

8\. 9. *Sub gravi pœna, ante ſententiam Judicis incurrenda.*

10\. *Quinam dicantur Hæretici materiales & formales.*

11\. *Ad recipiendam Fidem Catholicam cogendi eſſent, ſi vires ſuppeterent.*

a SCiendum 1. cùm Jus Canonicum intendat homines dirigere ad DEUM unum & trinum, atque ad felicitatem Supernaturalem, quæ fide Supernaturali ritè cognoſci, & per media Divinitus revelata obtineri debent, ante omnia de Fide Catholica, ejúsque præcipuo objecto, Summa Trinitate, oportet agere. Per *Summam Trinitatem* intelligitur ens increatum,

tum, ineffabile, unum & ſimplex in Natura, ſubſiſtens tamen in tribus Perſonis, quæ quidem inter ſe realiter diſtinguuntur, cum Natura tamen ſeu Eſſentia Divina in ſe ſimpliciſſima realiter identificantur: ut adeò tres Perſonæ Divinæ, Pater, Filius, & Spiritus S. ſint una eadémque individua Natura ſeu Deitas, diſtinctio tamen realis detur in Perſonis, & in proprietatibus Perſonalibus, ac in prædicatis Relativis, ut vocant, quæ ſunt *generare, generari, procedere;* nam Natura ſeu Eſſentia Divina nec generat, nec generatur, nec procedit, ſed *Pater* generat, *Filius* generatur, & *Spiritus S.* procedit. Unum itaque DEUM in Trinitate & Trinitatem in unitate veneramur, ut loquitur S. Athanaſ. *in Symbolo.*

Sc. 2. Per *Fidem* hoc loco non intelligi fidem formalem ſeu *actum* fidei, qui eſt aſſenſus certus ac firmiſſimus rebus à Deo revelatis præſtitus propter auctoritatem DEI revelantis: à S. Paulo dicitur *Sperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Hebr. 11. Nec ſumitur pro *habitu* fidei, ex quo actus fidei eliciuntur; ſed pro *objecto* fidei ſeu pro *fide objectiva*, quæ ſunt res fide Divina credendæ: imò hîc maximè ſumitur pro præcipuorum fidei Articulorum ſumma ſeu collectione, quos à DEO revelatos, & per Eccleſiam Catholicam propoſitos, ſpecialiter nos credere & publicè profiteri oportet, præcipuè eos, quos ad Paſtoralis curæ vel alterius Dignitatis Eccleſiaſticæ munus evehi contingit. Per

optimè dignoſci ex objecto, circa quod tanquam finem, principaliter & immediatè intentum, verſatur habitus, ſive dein ſit ſcientia, ſive ars, ſive prudentia. Si habitus pro objecto habeat aliquid factibile, operabile, dirigibile, eſt practicus, ut Ars, & Prudentia: ſi aliquid ſolummodo cognoſcibile & demonſtrabile, ſpeculativus eſt, ut Scientia, Sapientia. Habitus Canonicus principaliter eſt directivus, conſequenter practicus, quia omnes & præcipui ejus actus ſunt Regulæ, Canones, præcepta, quibus intendit dirigere hominum actiones, adeóque ejus objectum eſt dirigibile; & idcirco meliùs vocatur *Prudentia*, vel *Juriſprudentia*, quàm *Scientia*, quia intendit principaliùs dirigere homines ad rectè operandum per ſuos Canones & Regulas, quàm has præcisè cognoſcere, vel etiam demonſtrare.

55 Dico 1. Objectum Juris Canonici materiale ſunt actiones Chriſtianorum dirigibiles per Canones, tanquam Regulas Eccleſiaſticas, ad piè juſtéque vivendum, & ultimatò ad ſupernaturalem animæ beatitudinem obtinendam. Veritas aſſertionis demonſtrabitur per decurſum, & patet inſpicienti *Corpus Juris Canonici*, ubi nihil ferè occurrit, niſi regulæ, quibus homo Chriſtianus & Eccleſiæ ſubditus dirigatur ad DEUM ritè colendum, neminem lædendum, & jus ſuum cuique tribuendum; nam juxta *l. 10. ff. de J. & J.* actiones à Juſtitia, vel potiùs Juriſprudentia imperatæ & directæ, ſunt *honeſtè vivere*, *neminem lædere*, *jus ſuum cuique*

cuique tribuere. Ergo actiones Chriſtianorum ſunt principalis & immediatus finis Juris Eccleſiaſtici, conſequenter objectum, materiale quidem actiones ut dirigibiles, formale verò earum rectitudo, honeſtas, & æquitas ipſa: ferè quo modo rectæ mentis operationes dicuntur eſſe objectum Logicæ *quà artis.* Jam ex hoc nobili fine & objecto Juris Canonici

Colliges 1. illius præſtantiam haud vulga- 56
rem. Quid enim nobilius, creatura rationali dignius, homini magis optabile, quàm regula infallibilis ad DEUM ritè colendum, honeſtè & juxta rectam rationem vivendum quà ſecum ipſo, quà cum proximo, ac tandem ad ſuum ultimum finem, ſupernaturalémque beatitudinem ſecurè obtinendam dirigi? Sed audiamus ternos in Dilingana Academia celeberrimos Juris Pontificii Profeſſores, magna ſacræ Jurisprudentiæ lumina, Paulum Laymannum, Ernricum Pirhing, & Henricum Wagnereck, ſacræ hujus facultatis encomiaſtes, Authoritatis haud vulgaris viros. Primus eorum in *c. firmiter de ſumma Trinit.* ſcribit: *Eccleſiaſtos Canones ideo conſtitutos eſſe conſtat, ut eorum adminiculo homines Chriſtiani ſalutem animæ conſequantur, & ad vitam æternam ordinentur.* Alter *in Epiſt. dedic. tom. 1. quantumcunque labor hic* (circa SS. Canones rimandos) *ſit difficultate ferreus, utilitate tamen eſt aureus.* Poſtremus *in Exegeſi præf. ad Lectorem: Sacri Canones proximum poſt ſacræ Scripturæ theſauros locum habent, dignitatéque ſua & uſu omnes alias ſcientias longè ſuperant.* Imò cùm ſæpe interpreten-

pretentur S. Scripturam, ejúsque genuinum ſenſum declarent, optimo jure ipſis applicaveris, quod Juſtinian. & Ulp. de Jurisprudentia in genere edixerunt: quòd nempe ſint *Divinarum atque Humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia. §. Jurisprud. Inſt. de J. & J. l. 10. cit.* Unde Card. Hoſtienſis, purpuratus SS. Canonum interpres, præclarè dixit: *Hæc noſtra Lex ſive Scientia verè poteſt Scientiarum Scientia nuncupari.*

57 Colliges 2. utilitatem & neceſſitatem illius maximam; cùm enim Jus Canon. directè intendat & doceat regimen animarum, ac Eccleſiæ, impoſſibile eſt, ut tam in theoria quàm praxi non ceſpitent ſæpius, gravitérque impingant, aut turpiter errent, tum Theologi, tum Civiliſtæ, debitâ SS. Canonum peritiâ deſtituti. Quomodo enim Theologi ſcient, ſecuro tramite ſibi commiſſas deducere animas, curámque illarum ritè exercebunt, niſi probè noverint, quid fidelibus præceptum, vetitúmve ſit? Quomodo Epiſcopi ac Judices Eccleſiaſtici & Magiſtratus, ſi nec formam Judicii aut procedendi normam intelligant? Si nihil de Electionibus & qualitatibus præficiendorum, nihil de Legibus & Privilegiis, nihil de fori Competentia, nihil de Beneficiis & Jure Patronatûs, nihil de Contractibus & Teſtamentis, nihil de Pœnis & Cenſuris &c. quæ ex noſtro Jure potiſſimùm haurienda ſunt, ne primis quidem labiis deguſtaverint? Quomodo Civiliſtas non in varios errores incidere pronum, imò neceſſe eſt absque Juris Sacri adminiculo?

Digitized by Google

culo? dum totum Proceſſum Judiciarium, quo utuntur, ex Pontificii Juris libro II. mutuari debent; dum in pluribus caſibus neceſſe habent Juris Eccleſiaſtici deciſiones ſequi, v. g. ſi tangatur materia concernens peccati fugam, animæ periculum: ſi ſint cauſæ piæ aut miſerabilium perſonarum: ſi agatur de interpretatione Juris Divini aut Naturalis. Unde ſapientiſſimus Henricus Caniſius in *ſua ſumma* ait: *rem igitur neceſſariam agit Theologiæ Studioſus, cùm & SS. Canonum cognitionem ſuæ profeſſioni conjungit, eam aliquando in Eccleſiæ uſum & ornamentum tradu&turus.* Et Jacob. Pignatell. *to. 1. Conſult. Can. Conſ. 14. n. 11. ſeq. Non dubito pronuntiare indignum Theologi nomine, qui Jus Canonicum ignoret, ſine quo eſt Empíricus inter Medicos. Eſt enim Jus Canonicum portio quædam Theologiæ -- & partialis quædam Theologia, quæ Practica vocatur.* Quid ergo mirum, quòd *can. 1. d. 38.* ſic præcipiatur: *Sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas & Canones.* Quippe à notitia Canonum, ut ait Auguſt. Michel *in q. procem. Theol. Canonico-Moralis*, adeò dependet Doctrina Moralis, ut revera nihil ſit aliud, *quàm ſumma & compendium Juris Canonici. Et certè ſi quis bene verſatus eſſet in Canonibus, omnium fortè caſuum deciſionem ibi reperiret.* Ita Doctiſſimus & expertiſſimus iſte vir. De Civiliſtis autem rectè pronuntiat Jo Andr. *in procem. Speculi*, eos ſine notitia Juris Canonici *ſæpiſſime errare.* Cardin. de Luca verò *in Relat. Rom. Curiæ diſc. 32. n. 89.* Legiſtam ſine Canonibus *parùm valere.* Et *diſc. 31. n. 39.* inſectatur

ſectatur illos Practicos, qui vera Juris Canonici cognitione deſtituuntur, ac ait, eos nihil ſcire à priori, ſed totum ſcire per praxim & traditiones, ideóque à ſe appellari *teſtes de auditu, non autem de viſu.* Jam de confœderatione & pugna Juris Canonici cum Civili ulterius

58 Dico 2. Quando Jus Canonicum circa aliquam rem profanam nihil decernit, vel dubiè tantùm, Jus verò Civile circa illam diſponit clarè; tunc ſequi oportet Jus Civile etiam in foro Eccleſiaſtico: & viciſſim quando Jus Civile nihil decernit, vel dubiè tantùm, Jus verò Canonicum clarè diſponit, ſtandum eſt deciſione Juris Canonici in utroque foro. Ita Regulæ inſtar tradunt DD. ex *c. 1. de N. O. N.* ibi: *ſicut Leges non dedignantur ſacros Canones imitari, ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum Conſtitutionibus adjuvantur.* Itaque Jus Civile ſupplet defectum Juris Canonici, & Jus Canonicum ſupplet defectum Juris Civilis, quando deſunt propriæ Leges. Dixi, *circa rem profanam;* nam circa res ſpirituales vel perſonas Eccleſiaſticas ſi aliquid diſponat Jus Civile, nullius eſt Authoritatis, niſi ejus Leges ſint Canonizatæ, h. e. à Jure Canonico vel expreſsè, vel ſaltem uſu, receptæ, præſertim ſi Conſtitutio Juris Civilis non eſſet merè favorabilis, ſed damnoſa vel præjudicioſa rebus aut perſonis Eccleſiaſticis. *c. 10. de Conſtit.*

59 Dico 3. Quando inter Jus Canonicum & Civile eſt pugna ſeu diverſitas Legum, circa rem

rem profanam, vel per ſe non peccaminoſam in conſcientia, quodlibet eſt obſervandum in ſuo foro, videlicet. Canonicum in territorio temporali Papæ, Civile autem in territorio Romani Imperii. Ita rurſus per modum regulæ DD. *ex can. 6. D. 96. & c. 13. v. tria. qui filii ſint legiti.* Ratio eſt; quia in materia profana & peccatum non concernente nec Poteſtas Sæcularis ſubordinata eſt Eccleſiaſticæ, nec Eccleſiaſtica Sæculari. Dixi iterum 1. *circa rem profanam*, cujusmodi ſunt contractus, teſtamentum, ſucceſſio ab inteſtato, conſtitutio dotis, judicia &c. Aliud autem eſt, quando agitur de rebus Spiritualibus, v. g. de Matrimonio aliisque Sacramentis, de ſtatu Clericali vel Religioſo, de Dignitatibus & Beneficiis Eccleſiaſticis, de Decimis, Votis, juramentis &c. In hujusmodi enim prævalet ubique diſpoſitio Juris Canonici. Quia Laici non habent jurisdictionem Eccleſiaſticam, neque negotia Eccleſiaſtica tractandi capaces ſunt. *can. 11. d. 96. c. 2. de Judiciis.* Lex autem omnem vim accipit à poteſtate & jurisdictione Leges ferentium. *c. 21. de Sent. Excom.* Dixi 2. *vel per ſe non peccaminoſam;* quando enim agitur de materia concernente peccatum in conſcientia, uti eſt concubinatus, cædes filiæ in adulterio deprehenſæ, uſura merè lucratoria, præſcriptio cum mala fide &c. quæ à Jure Civili permittuntur, & non puniuntur, à Jure autem Canonico improbantur, ſequi oportet Jus Canonicum tanquam correctorium Juris Civilis: *cùm generaliter omni conſtitutioni derogandùm*

dum ſit, *quæ abſque peccato mortali non poteſt obſervari. c. fin. de Præſcr.* Ratio, quia materia peccatum continens impedit ſalutem animæ Spiritualem, ad quam fideles gubernandi ſunt ab iis, quos Chriſtus conſtituit animarum Paſtores, ſuíque Vicarios, qui ſunt Præſides Eccleſiaſtici, non Sæculares.

60 Extenditur aſſertio etiam ad Eccleſias, & ad perſonas Eccleſiaſticas. per *c.10.* & alia Jura citt. ac propter paritatem rationis; cùm Eccleſiæ & perſonæ Eccleſiaſticæ (ſicut res Spirituales, & cauſæ piæ) ſint extra jurisdictionem ſæcularem tanquam res quàm maximè ſacræ. Itaque nec de his aliquid ſtatuendi poteſtatem habet Princeps vel Magiſtratus ſæcularis. *arg. c. 2. de Conſtit. in 6. & l. fin. ff. de Juriſd.* Quod uſque adeò verum eſt, ut de Eccleſiis, perſonis Eccleſiaſticis, & rebus ſacris etiam in earum favorem nihil decernere poſſit præcipiendo, vel judicando, *c. 10. cit.* ne ſcilicet prætextu favorabilis conſtitutionis Poteſtas ſæcularis jurisdictionem uſurpet in Eccleſias, perſonas Eccleſiaſticas, res ſacras, & cauſas pias, ſeu ad cultum divinum ordinatas. Si tamen à Superiore & Poteſtate Eccleſiaſtica ejusmodi Lex à ſæculari lata approbaretur, vel reciperetur, obligaret quidem, non tamen ut ſancita à Poteſtate ſæculari, ſed ut proveniens ab Eccleſiaſtica. Quòd ſi autem hujusmodi Leges Civiles de Eccleſiis &c. continerent merum favorem, & pura privilegia, citra obligationem vel onus aliquod annexum, cujusmodi exſtat in *Auth. Item nulla C. de Epiſc. & Cleric.* ubi

ubi Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ perſonæ pronunciantur exemptæ ab exactionibus & oneribus per ſæculares Magiſtratus imponendis, tunc utique ſubſiſterent, & robur haberent ante omnem approbationem Prælatorum Eccleſiaſticorum: ne, quod in Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum favorem introductum eſt, in earum odium retorqueatur contra Regulam 61. *de R.J. in 6.* Jam ſequuntur

TITULI.

Ordine Decretalium Gregorii P. IX.

A *Jove Principium*, dicebat Antiquitas. Quare & Juris Eccleſiaſtici initium rectè capitur à DEO Trino & Uno, omnis Sapientiæ & Juſtitiæ primo fonte, per quem *Reges regnant, & Legum Conditores juſta decernunt: per quem Principes imperant, & Potentes decernunt juſtitiam.* Prov. 8. *A ſumma Trinitate* fit progreſſus ad generalia Juris Scripti & non ſcripti principia, *Conſtitutiones* nimirum, *Reſcripta*, & *Conſuetudinem.* Tum uſque ad titulum 35. de Electione, juribus, poteſtate, qualitatibus, gradibus, characteribus Prælatorum, Judicum, & Officialium Eccleſiaſticorum, & ordinandorum. Demum uſque ad finem hujus libri, 43. titulos habentis, ſubjiciuntur quædam, quibus aliqua eſt cum Judiciis ſimilitudo, & quaſi præparatoria ſunt ad Proceſſum Judiciarium, in libro II. adornandum, quo negotia & lites Chriſtianorum complanantur. Præparatoria autem illa ſunt Treuga, Pax, Pacta, Tranſactio, Arbitria, quorum benefi- 1

tum, ineffabile, unum & ſimplex in Natura, ſubſiſtens tamen in tribus Perſonis, quæ quidem inter ſe realiter diſtinguuntur, cum Natura tamen ſeu Eſſentia Divina in ſe ſimpliciſſima realiter identificantur: ut adeò tres Perſonæ Divinæ, Pater, Filius, & Spiritus S. ſint una eadémque individua Natura ſeu Deitas, diſtinctio tamen realis detur in Perſonis, & in proprietatibus Perſonalibus, ac in prædicatis Relativis, ut vocant, quæ ſunt *generare*, *generari*, *procedere*; nam Natura ſeu Eſſentia Divina nec generat, nec generatur, nec procedit, ſed *Pater* generat, *Filius* generatur, & *Spiritus S.* procedit. Unum itaque DEUM in Trinitate & Trinitatem in unitate veneramur, ut loquitur S. Athanaſ. *in Symbolo.*

Sc. 2. Per *Fidem* hoc loco non intelligi fidem formalem ſeu *actum* fidei, qui eſt aſſenſus certus ac firmiſſimus rebus à Deo revelatis præſtitus propter auctoritatem DEI revelantis: à S. Paulo dicitur *Sperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Hebr. 11. Nec ſumitur pro *habitu* fidei, ex quo actus fidei eliciuntur; ſed pro *objecto* fidei ſeu pro *fide objectiva*, quæ ſunt res fide Divina credendæ: imò hîc maximè ſumitur pro præcipuorum fidei Articulorum ſumma ſeu collectione, quos à DEO revelatos, & per Eccleſiam Catholicam propoſitos, ſpecialiter nos credere & publicè profiteri oportet, præcipuè eos, quos ad Paſtoralis curæ vel alterius Dignitatis Eccleſiaſticæ munus evehi contingit. Per

Catholicam verò fidem intelligitur illa, quam tradit & profitetur Eccleſia *Romana*: hæc enim ſola eſt, & ſemper vocata fuit *Catholica* (h. e. Univerſalis) teſte S. Aug. *lib. de vera Relig. c. 7.* etiam ab inimicis ſuis: quod hodiedum adhuc videmus; ſiquidem moderni Hæretici, utut honorificum hoc nomen ſummopere invideant Eccleſiæ Romanæ, ejúsque membris, tamen, ſi intelligi velint, *Catholicam* appellare debent ac ſolent: ſic in *Inſtrumento Pacis Monaſterienſis* Romanæ Eccleſiæ addicti pluſquam octuagies appellantur *Catholici*, neſcio qua vi adigente, cæteri verò *Acatholici*, *Proteſtantes*, aut *Confeſſionis Auguſtanæ &c.* nec immeritò, quia teſte Vincentio Lirinenſi, antiquiſſimo Doctore, *Verè propriéque Catholicum eſt, tenere, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. lib. cont. Hæreſes c. 3.* Sola autem Eccleſia Romana fuit *ubique* & per totum orbem diffuſa, exſtitit *ſemper*, & quod credidit unus ejus alumnus verus, credidere *omnes*; atque ſic fuit Univerſalis & adhuc eſt, quoad locum, tempus, & doctrinæ unitatem, adeóque ſola Catholica. Neque unquam adversùs eam prævaluerunt, aut deinceps prævalebunt portæ Inferi, juxta promiſſionem Chriſti *Matth. 16.*

4 Sc. 3. Non ſemper ſufficere, ſi quis actu interno fidei credat omnia Myſteria & articulos à DEO revelatos, & ab Eccleſia propoſitos, ſed quandoque neceſſarium eſſe, ut quis ſuam fidem vel in genere, vel aliquos fidei Catholicæ articulos in ſpecie profiteatur exterius.

riùs. Quæ fidei externa profeſſio aliquando neceſſaria eſt Jure Divino, & aliquando Jure Humano. De obligatione poſteriore dicemus poſtea; nunc de obligatione Juris Divini adverto, eam dari tunc, quando honor DEI, aut Religionis Catholicæ, vel ſalus proximi exigit à nobis externam profeſſionem. *Matth.* 10. *Rom.* 10. Unde peccares mortaliter, ſi juſtè interrogatus de tua fide, taceres; quia alii crederent, quòd te pudeat tuæ fidei, aut omnino non habeas fidem, ac propterea vilipenderent fidem Chriſtianam, vel in ea nutarent &c. Si verò in hujuſmodi circumſtantiis tacere fidem Catholicam grave peccatum ſit, longè gravius erit, ſi quis eam poſitivè abneget, vel falſam ſectam ſimulet, non obſtante, quòd in corde retineat veram fidem. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt*, ait Chriſtus *Matth.* 10.

Dico 1. De ſumma Trinitate vi præſentis 5
tituli credendum eſt 1. DEUM eſſe, & quidem unum in eſſentia & unicum, æternum, immenſum, omnipotentem, immutabilem, ineffabilem, incomprehenſibilem. 2. eundem eſſe in Perſonis trinum, ſeu eandem indiviſibilem ſubſtantiam & eſſentiam Divinam eſſe communem & identificatam cum tribus realiter diſtinctis perſonis: quod utique captum humanum longè tranſcendit. 3. Patrem à nullo generari aut procedere. 4. Filium generari à ſolo Patre. 5. Spiritum S. procedere non à Patre tantùm, ſed etiam à Filio. 6. non

Digitized by Google

tamen ab utroque tanquam à duplici principio, ſed tanquam ab uno, & ſpiratione activa unica. 7. omnes tres Perſonas eſſe conſubſtantiales, coæquales, ſingulas omnipotentes, coæternas, ac nullius poteſtatem duráſſe tantùm ad tempus. *c. firmiter & c. damnamus h. t. t. c. un. in 6. Clem. un. eodem.*

6 Dico 2. De reliquis fidei articulis in citt. cc. proponuntur ſequentes. 1. ſecundam Trinitatis Perſonam, Filium DEI Unigenitum, aſſumpſiſſe naturam humanam, ſeu corpus paſſibile & animam rationalem, quæ verè humani corporis forma ſubſtantialis eſt & informativa. 2. eundem eſſe paſſum & mortuum pro nobis, reſurrexiſſe & aſcendiſſe in cœlum. 3. venturum ad judicandum. 4. fore, ut mortui reſurgant, ut à Chriſto Judice ſecundùm operum ſuorum merita vel gloriam ſempiternam vel pœnam perpetuam recipiant. 5. in Sacrificio Miſſæ immolari JEſum Chriſtum, cujus corpus & ſanguis ſub ſpeciebus panis & vini per veram transſubſtantiationem ponitur, virtute Divina eam efficaciam verbis conſecrationis conferente. 6. Baptiſmum non modò adultis, ſed etiam parvulis nondum ratione utentibus proficere, quibus infunditur fides quoad habitum, non verò quoad actum. 7. Pœnitentiæ Sacramentô reparari, qui poſt acceptum Baptiſmum in peccatum prolapſi fuerint. 8. etiam conjugatos beatitudinis æternæ capaces eſſe. 9. dari unam Catholicam, ſeu Univerſalem omnium fidelium, ac veram Eccleſiam, extra quam

quam nulla ſalus ſperanda, & quæ ſit infallibilis in declarandis & definiendis dogmatis, utpote *Columna & Firmamentum veritatis. 1. Tim. 3.* adeò ut rectè *S. Aug. cont. epiſt. fundamenti c. 5.* dixerit: *Ego Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas;* eò quòd ſine Magiſterio Eccleſiæ certò ac infallibiliter conſtare nequeat, an exiſtat, & quodnam ſit, verum, purum, & incorruptum Evangelium, atque Scriptura S. Unde generaliter & ſaltem implicitè credenda ſunt firmiſſimè prorſus omnia, quæ ab Eccleſia Catholica proponuntur credenda, nimirum à Capite ſupremo Eccleſiæ, Romano Pontifice, vel in Conciliis generalibus, vel aliàs pronuntiante *ex Cathedra*, hoc eſt, ſi Papa invocatô Divinô auxiliô, debitâque diligentiâ adhibitâ, intendat in aliqua re docere totam Eccleſiam, ut Chriſti Vicarius & Paſtor Univerſalis.

Dico 3. Publicam Fidei Catholicæ profeſſionem juxta certam formulam à Tridentino Conc. & Pio IV. præſcriptam, cum juramento, ſe in Eccleſiæ Romanæ obedientia permanſuros, tenentur edere ſequentes. 1. proviſi de beneficio, curam animarum actualem habente annexam, & quidem intra duos menſes à die adeptæ pacificæ poſſeſſionis, atque coram Epiſcopo, vel ejus Vicario Generali. 2. proviſi de Canonicatu vel Dignitate in Eccleſia Cathedrali tam Regulari quàm Sæculari, ſimiliter intra duos menſes à die pacificæ admiſſionis ad participationem maſſæ Capitularis, coram Epiſcopo vel ejus Vicario Gene-

rali, & Capitulo. 3. promovendi ad dignitatem Patriarchalem, Archiepiſcopalem, Epiſcopalem, in prima Synodo Provinciali, cui interfuerint. 4. Prælati Monaſteriorum, Conventuum, domorum, aliorúmque locorum Regularium, etiam Ordinum Militarium: hoc tamen non in omnibus Religionibus uſu receptum eſſe ajunt. 5. Non tantùm Doctores, Magiſtri, Regentes, & alii, qui quamcunque artem aut diſciplinam ſacram vel profanam docere vel profiteri volunt, ſed etiam qui ad gradus Litterarios & *licentiam* docendi in Academiis promoveri cupiunt, ſive laici ſint, ſive Clerici aut Regulares, adjectâ pœnâ excommunicationis, & privationis omnium beneficiorum, officiorum, & dignitatum in eos, qui aliquem ſine prævia profeſſione ad Cathedram vel Gradum litterarium promoverint: quod tamen iterum non ubique receptum aſſerunt Suar. & Sanch. Atque ita ſtatuit *Trid. Seſſ. 24. c. 12. & Seſſ. 25. c. 2. de Ref. Gregor. XIV. in Conſtit. Onus Apoſtolicæ: Pius IV. in Conſt. injunctum, & Pius V. in Conſt. In Sacroſancta.*

8 Dico 4. Proviſi de beneficio Curato, item proviſi de Canonicatu vel Dignitate in Eccleſia Cathedrali, ſi intra ſpatium duorum menſium culpabiliter omittant Profeſſionem fidei, privantur in pœnam fructibus, quos poſt elapſum bimeſtre perceperunt, vel percipiunt, uſque dum hanc profeſſionem emittant, eóſque, non obſtante Profeſſione poſtea ſecuta, tenentur erogare in pauperes aut Eccleſiæ fabricam

bricam non minùs, ac qui non reſident. *Trid. S. 24. c. 12. cit.* Dixi, *poſt elapſum bimeſtre*, nam fructus, quos intra primos duos menſes perceperunt, poſſunt facere ſuos, cùm Tridentinum liberaliter indulgeat hoc tempus ad emittendam profeſſionem, & pro illo non privet fructibus. Probabiliter tamen edere poſſunt fidei Profeſſionem per procuratorem; quia *poteſt quis facere per alium, quod poteſt facere per ſeipſum. Reg. Jur. 68. in 6.*

Quæres, an fructus ab eo, qui non emiſit debito tempore Profeſſionem fidei, ſint expendendi in pauperes vel Eccleſiæ fabricam ante ſententiam Judicis? ℞. contra Sanch. Barb. Wieſtn. *n. 48.* & alios complures affirmativè cum Azor. *p. 2. l. 7. c. 2.* Ugolino, Garc. &c. Ratio eſt; quia res aliena debet reſtitui ante omnem ſententiam, ut nemo negaverit: atqui fructus, poſt duos menſes percepti à non emittente Profeſſionem, ſunt res aliena; cùm Trid. nolit proviſum de beneficio curato &c. fructus facere *ſuos*, niſi ſub conditione priùs emiſſæ Profeſſionis; dicit enim: *alioquin fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur*: ubi ergo hæc conditio non fuerit impleta, ſeu Profeſſio fidei debito tempore emiſſa, nunquam fuit obtentum dominium fructuum poſt duos menſes perceptorum, conſequenter iſti ſunt res aliena. Opp- pones: hæc lex privans fructibus eſt pœnalis: ſed lex pœnalis non obligat ante ſententiam, ſaltem declaratoriam criminis. *arg. c. 19. de Hæret. in 6.* ergo. 2. Trid. ubi vult obligare ante 9

ante ſententiam Judicis, id clarè inſinuat, uti facit *S. 23. c. 1. de reform.* ubi non reſidentem in beneficio privat fructibus, diligenter adjecta hac clauſula, *alia declaratione non ſecuta*: ergo, cùm in noſtro caſu ſimilem clauſulam non adjecerit, non obligat ad dimittendos fructus ante omnem ſententiam declaratoriam. ℞. ad 1. N. *Maj.* non enim tam eſt lex pœnalis, quàm conventionalis, & conditionalis, quia fructus non concedit, niſi ſub conditione emiſſæ intra duos menſes Profeſſionis: ferè ſicut contrahentes ſubinde adjiciunt ſuis conventionibus certas conditiones, ſub quibus, & non aliter, velint transferre dominium rei in alterum. Ad 2. in noſtro caſu non fuit opus addere illam clauſulam explicitè, cùm ex natura rei ſubintelligatur; utique enim detentor rei alienæ, quam non potuit facere ſuam, per ſe obligatur ad reſtitutionem ante omnem ſententiam declaratoriam.

10 Dico 5. Qui ex Chriſtianis aliquem articulum fidei Catholicæ vel ex ſuprà recitatis, vel alium ab Eccleſia Romana ſufficienter propoſitum, ſcienter & pertinaciter negat, eſt Hæreticus formalis. Ita cum S. Aug. *l. 18. de Civ. DEI c. 51.* omnes Catholici. Ratio; quia talis malitiosè adhæret ſuæ privatæ opinioni erroneæ contra doctrinam Univerſalis Eccleſiæ, & pertinaciter; nam hæreſis *formalis* eſt error contra fidem ſibi ſufficienter propoſitam cum pertinacia in eo, qui ſe Chriſtianum profitetur. Dixi *ſcienter* & *pertinaciter*; nam ſine pertinacia, qua negatur vel in dubium vocatur veri-

tas

tas & dogma aliquod revelatum, non formalis, ſed *materialis* tantùm hæreſis eſt, coram DEO non peccaminoſa. Unde ſi quis vel ex ignorantia ſaltem inculpabili, vel ſiniſtra inſtructione ſeductus, vel falſa apprehenſione deceptus adhæret quidem errori contra Fidem Catholicam, vel dubitat de articulo, quia non ſufficienter adhuc ipſi eſt propoſitus tanquam revelatus, & creditus ab Univerſali Eccleſia, hæreticus non eſt, niſi ad ſummum materialis, ut iterum cum S. Aug. *in epiſt. 162. l. 4. de Baptiſmo c. 16.* communiter ſentiunt Orthodoxi: modò talis paratus ſit mentem ſuam corrigere, poſtquam intellexerit ſenſum Eccleſiæ eſſe contrarium ſuæ opinioni. *can. dixit. 24. q. 3.*

Quæres, an Hæretici poſſint cogi ad fidem Catholicã recipiendam? ℞ Hæretici per ſe non modò poſſunt, ſed etiam debent, ſi vires ſuppetant, compelli ad recipiendam fidem Catholicam. Colligitur ex *c. 4. de Apoſtatis &* *c. 15. de hæret. in 6.* atque ex hac ratione, quia per Baptiſmum ingreſſi ſunt Eccleſiam Catholicam, ejúsque jurisdictioni ſubjecti: ergo tanquam rebelles ſubditi, & fœdifragi transfugæ à Principibus Chriſtianis, tum Eccleſiaſticis, tum Politicis, ad officium compelli poſſunt, &, ſi vires ſuppetant etiam debent, quia horum Principum eſt removere ſcandalum de populo, tollere peccata publica, reique Chriſtianæ pernicioſa, atque ulciſci injuriam DEO & legitimis Paſtoribus, à quibus impiè defecerunt, illatam; præſertim cùm vix aliud 11

ſcelus

ſcelus ita perturbet Rempublicam etiam politicam, ſubditóſque adeò ſcindat in factiones, ſicut hæreſis. Dixi, *Hæretici;* nam alii infideles, qui non ſunt baptizati, & vel omnino non credunt in Chriſtum, uti *Pagani*, vel credunt in eum venturum tantùm, non ut præſentem Meſſiam, uti *Judæi*, probabiliùs cogi non poſſunt directè, ut docet S. Th. *2.2. q. 10. a. 8.* contra Scotum & alios; quia tales non ſunt ſubjecti Eccleſiæ jurisdictioni. Concordat *can. 5. D. 45. & c. 9. de Judæis.* vid. tamen *Tit. de Jud. V. Lib. V.*

TITULUS II.

De Conſtitutionibus.

SUMMARIUM.

1. *Inſinuatur ordo doctrinæ.*
2. *Lex differt à Conſilio, Mandato, Statuto, Jure.*
3. *Lex aliquid præcipit, vel prohibet, vel permittit, vel punit.*

4.5. *Definitio Legis. Et quid Communitas.*

6.7. *Materia Legis ſunt actiones & omiſſiones humanæ.*

8.9.10. *Actus merè interni non ſunt materia Legis Humanæ.*

11. *Niſi indirectè tantùm.*
12. *Forma Legis conſiſtit in ſignis, quibus Legislator exprimit voluntatem obligandi: quænam illa?*
13. *Finis Legis eſt utilitas publica & communis.*

14.15. *Status Quæſtionis de Promulgatione & Acceptatione Legis.*
16. *Promulgatio conſtituit partialiter ipſam Legē.*
17. *Et quidem publica: quænam ſit hæc?*
18. *Conſiliario Principis non nocet notitia privata Legis promulgandæ de minuendo valore monetæ &c.*
19. *Lex Civilis Communis imò & Statutaria non obligat, niſi promulgata in ſingulis Provinciis, & poſt lapſum duorum menſium.*
20.21. *Idem procedit in Legibus Eccleſiaſticis Communibus, ſaltem regulariter.*
22. *Acceptatio populi non eſt neceſſaria ad conſtitutionem Legis.*
23. *Nec voluntas recipiendi in ſe obligationem Legis per modum conditionis.*
24. *Actualis tamen obſervantia ad ſtabilitatem Legis requiritur.*
25. *Firmatur doctrina præcedens ſolutione objectionum.*
26. *Poteſtas Legislativa & Gubernativa ad condendas Leges eſt neceſſaria.*
27. *Et quoad Leges Eccleſiaſticas Univerſales reſidet in ſolo Papa.*
28. *A quo ſuam immediatè accipiunt Epiſcopi ac alii Prælati.*
29. *Qui Leges particulares ferre poſſunt pro ſuis territoriis.*
30. *Sed cum limitatione: cui etiam ſubjacent Cardinales.*
31. *Leges Civiles Univerſales fert Imperator, & Reges, vel cum vel ſine Conſenſu Procerum, atque Respublicæ liberæ.*

32.

Digitized by Google

32. *Leges particulares, etiam Juri Communi contrarias, Status & Principes Imperii pro ſuis ditionibus.*
33. *Nullus Princeps Sæcularis ferre poteſt Leges pro Eccleſiis, & Perſonis Eccleſiaſticis, præſertim præjudicioſas.*
34. *Nec viciſſim Pontifex circa res temporales, & extra ſuum territorium temporale.*
35. *Status Quæſtionis de Obligatione Legis.*
36. *Legislator Humanus poteſt, ſi velit, per ſuas Leges obligare in conſcientia.*
37. *Imò omnis Lex neceſſariò obligat ad aliquid, etiam merè pœnalis &c.*
38. *Solvuntur oppoſita contra utramque aſſertionem.*
39. *Etiam Lex fundata in Præſumptione falſa obligat in conſcientia.*
40. *Ignorantia invincibilis excuſat à culpa in foro Conſcientiæ.*
41. *Et à pœna in eodem foro. A cenſuris ſubinde excuſat ignorantia etiam vincibilis.*
42. *An & quando pœnam incurrat delinquens, qui ignoravit, ſuo delicto eſſe annexam pœnam?*
43. *Ignorantia Juris manifeſti regulariter in foro externo nec à culpa nec à pœna excuſat.*
44. *Metus gravis in utroque foro excuſat ab obſervatione Legis Humanæ.*
45. *Et quandoque etiam Divinæ Poſitivæ.*
46. *Legis Eccleſiaſticæ ſubjectum ſunt etiam Hæretici, non verò alii Infideles.*
47. *Legislator Princeps ſuis legibus non obligatur.*
48. *Pueri & puellæ regulariter anno ſeptimo ætatis* com-

completo obligari incipiunt: quoad pœnam verò poſt annos pubertatis.

49. 50. *Ebrii, dormientes, amentes non perpetuò, & ignorantes Legem obligantur, quamvis per accidens excuſentur.*

51. *Infantibus & perpetuò amentibus licitè apponuntur carnes die jejunii: non autem ebrio, ignoranti &c.*

52. 53. *Peregrini qui? non obligantur ſui domicilii:*

54. 55. *Nec Legibus particularibus locorum, ubi tranſeunt, vel morantur.*

56. *Idem eſt de Vagis.*

57. *Clerici & Religioſi adſtringuntur Legibus Civilibus, quæ continent materiam ſibi & Laicis communem, non tamen quà profectis à Legislatore ſæculari.*

58. *Religioſi exempti regulariter non ſubſunt Legibus Epiſcoporum.*

59. *Quid ſit Lex odioſa, pœnalis, irritans, & quid favorabilis.*

60. *Quandonam Lex cenſeatur eſſe odioſa vel favorabilis.*

61. *Quandonam Lex cenſeatur eſſe irritans.*

62. *Variæ Quæſtiones de Lege Pœnali & Irritante.*

63. *Exiſtit Lex merè pœnalis, obligans in conſcientia non ad ipſum actum, ſed præcisè ad pœnam.*

64. *Sed Lex conjunctivè mixta obligat ordinariè in conſcientia ad utrumque.*

65. *Uti & Leges Tributorum & Vectigalium.*

66. *Actus, quem irritat Lex pœnalis, regulariter ante ſententiam non eſt irritus.*

Digitized by Google

67. *Bene tamen (in foro externo) ſi irritatio non eſt pœnalis.*

68. 69. *Non tamen hoc ipſo etiam in foro interno.*

70. 71. *Lex, quæ actum ſimpliciter prohibet & ſinè clauſula irritante, non hoc ipſo eundem irritat.*

72. *Quid ſit interpretatio Legis, & Epijkia.*

73. *Lex ad caſus ſimiles extendenda eſt, in quibus reperitur eadem ratio; exceptâ materiâ odioſâ.*

74. *Quænam ſint cauſæ extendendi & reſtringendi Leges per interpretationem.*

75. *Ubi non eadem, ſed par ſolùm ratio reperitur, licitum eſt Judici extendere Legem ad caſus ſimiles, exceptis correlativis, valde connexis, & æquiparatis in Jure, in quibus etiam odioſa exigunt extenſionem.*

76. *Per Epijkiam omnis Lex reſtringi poteſt, excepta Irritante.*

77. *Quibus modis ceſſare Lex poſſit.*

78. *Ceſſante fine Legis intrinſeco & adæquato reſpectu Communitatis ceſſat ipſa Lex.*

79. *Diſpenſare in Lege ſua poteſt ſolus Legislator, ejus Succeſſor, & in Juriſdictione Superior.*

80. 81. *Non autem inferior, niſi ipſi ſpecialiter ſit conceſſum. In quibus caſibus id concedatur Epiſcopo circa Legem Papalem.*

82. *Quomodo Papa & Epiſcopi diſpenſent in Votis.*

83. *Quomodo Legislator ſecum ipſo.*

84. *Legislator ſine juſta cauſa diſpenſans, illicitè:*

85. *Inferior etiam invalidè agit.*

86. *Quænam ſint juſtæ cauſæ diſpenſandi.*

87. Po-

87. *Poteſtas diſpenſandi, generaliter conceſſa, eſt ampla interpretationis.*

CElebertimus eſt hic titulus de *Conſtitutionibus*, ſeu de *Legibus*, ut compendioſo vocabulo dici conſueverunt; nam Conſtitutio propriè denotat Legem Univerſalem, quamvis hoc loco latiùs accipiatur pro quacunque Lege, etiam particulari & municipali. Hanc materiam de Legibus, utpote generalia principia per totum Jus diffuſa, ſcitúque Juriſtis ſimul ac Theologis prorſus neceſſaria complectentem, ut ordinatè & ex fundamento tractemus, in certos §§. dividere placet, quorum tres primi explanabunt eſſentiam & cauſas Legis. 4. Effectum illius, nimirum obligationem, quam parit. 5. Subjectum ipſius. 6. Quasdam Leges in particulari, nempe tributorum & vectigalium, pœnales, & potiſſimùm Leges irritantes. 7. & 8. Modos ritè interpretandi Leges, & tollendi, maximè per diſpenſationem. 1

§. 1.

Quid ſit Lex: quæ ejus materia, forma, & finis.

Sciendum 1. per *Legem* hic potiſſimùm intelligi decretum Principis vel Magiſtratûs ſupremi, puta ſummi Pontificis, Imperatoris, Regis, Reipublicæ liberæ: quo ſenſu comprehendit Jura tam Eccleſiaſtica, quàm Civilia: illa enim acceptio, qua *Lex* ſumitur pro Jure Civili tantùm, prout à SS. Canonibus diſtin- 2

ſto, & Legum Civilium interpretes vocantur *Legiſtæ*, non eſt hujus loci. Differt Lex à *Conſilio*, quòd obligationem inducat, Conſilium verò præciſè ſuadeat citra obligationem impoſitam: à *Præcepto* autem ſeu *Mandato*. 1. Quòd Lex detur Communitati, & præceptum privato tantùm & perſonis ſingularibus. 2. Quòd Lex ſit perpetua ex ſe, quamdiu non abrogatur à Legislatore, vel conſuetudine contraria, præceptum verò exſpiret per mortem tum præcipientis, tum ejus, cui datum eſt. 3. Quòd Lex immediatè afficiat locum ſive territorium Legislatoris, præceptum verò adhæreat perſonis ipſis. Nihilominus *Lex* & præceptum quandoque ſumuntur pro Synonimis, uti & *Statutum* & *Jus*, quamvis *Statuta* ſtrictè dicta denotent Leges, à Principe inferiore, vel Magiſtratu Civitatis latas: *Jus* verò à ſupremo ſancitas. Leges Imperii Romani hodie non feruntur à ſolo Imperatore, ſed cum ſuffragio & conſenſu Statuum Imperii, ut habetur in *R. J. de an. 1576. & 1599.* Quæ fortè ratio eſt, cur Imperii Conſtitutiones hodie vocentur *Receſſus Imperii*, non *Imperatoris*.

3 S. 2. Legem neceſſariò tendere in aliquod objectum, quod vel *præcipit*, vel *prohibet*, vel *permittit*, vel etiam *punit*; hi enim quatuor actus Legum aſſignantur *l. 7. ff. de LL.* quod objectum appellatur *materia* Legis: qualis autem ea ſit, hoc loco dicendum, uti & quænam ſit Legis *forma*, quâ ferri, & quis *finis*, propter quem ferri debeat.

4 Dico 1. Lex eſt *ordinatio rationsi ad bonum* com-

commune ab eo, qui habet curam Communitatis, promulgata. Ita plerique cum S. Th. *1. 2. q. 90. a 4. in C.* Dicitur 1. *Ordinatio*, ſeu voluntas Superioris legitimi obligans ſubditos ad aliquid faciendum vel omittendum. 2. *Rationis*, ut indicetur, hanc ordinationem & actum voluntatis debere eſſe rationabilem, ac ab intellectu, ſeu recta ratione directum. 3. *Ad bonum commune*, nimirum totius Communitatis & Reipublicæ: per *Communitatem* non intelligitur quælibet hominum multitudo, ſed moraliter unita ſub uno Capite, eam gubernante cum poteſtate publica jurisdictionis, & communium bonorum participatione: quare familia unius domûs, etſi centum capitibus conſtet, non eſt communitas; eò quòd omnia talis familiæ membra dirigantur ad bonum privatum Patrisfamilias, non ad commune omnium. 4. *ab eo, qui habet curam &c.* intellige non merè dominativam aut œconomicam, qualem pater habet in filium, maritus in uxorem, dominus in famulos, ſed politicam & jurisdictionalem, ſe extendentem ad communitatem perfectam, paulò antè explicatam. Sed nec omnis poteſtas jurisdictionis ad ferendas Leges ſufficit; ſiquidem omnis Judex, quàm ordinarius, tam delegatus, obtinet aliquam jurisdictionem, nec tamen propterea poteſtatem ferendi Leges; ad hoc enim neceſſaria eſt jurisdictio ſublimis & merum Imperium. 5. *Promulgata*, hoc eſt, intimata ſubditis; cùm nemo obligari poſſit ad incognitum; ſed ſine promulgatione nemo cognoſcit voluntatem

Digitized by Google

Legiſlatoris ad aliquid obligantis. Sed de promulgatione & acceptatione Legis §. ſequenti. Interim collige, ſenſum allatæ definitionis eſſe hunc: *Lex eſt rationabile Decretum Superioris legitimi, ſubjectam ſibi Communitatem obligare volentis ad aliquid faciendum vel omittendum communis boni gratiâ, legitimè promulgatum.*

Oppones 1. Datur Lex *permittens*: ſed hæc non obligat: ergo non omnis Lex eſt voluntas Superioris obligans. 2. Multæ Leges tendunt in bonum privatorum hominum, uti quæ ſunt latæ in favorem Pupillorum, Minorennium, Clericorum, Nobilium &c. item quæ dirigunt Contractus, Judicia, Succeſſiones &c. ergo non omnis Lex tendit ad bonum Communitatis. Confirmatur: Privilegia ſunt & vocantur Leges privatæ; ſed privilegia non Communitatis, ſed privatorum, quibus dantur, bonum ſpectant. ℞. ad 1. Diſt. Min. Lex permittens non obligat illum, cui aliquid permittit. C. *Min.* non obligat alios, ne illum impediant à faciendo id, quod ipſi permittitur. N. *Min.* & reſpectu horum eſt Lex; non verò reſpectu illius, cui aliquid permittitur. Ad 2. hoc ipſo, quòd Lex faveat Clericis, Pupillis &c. cedit in bonum publicum & communitatis, quia hujus intereſt, has perſonas defendi. Deinde in his Legibus non attenditur bonum alicujus perſonæ ſingularis, ſed omnium Pupillorum &c. ſub ratione communi, prout conſtituunt aliquam Communitatem. Et quamvis aliquæ ſanctiones exſtent, quæ ſunt directæ ad unam perſonam ſingularem, tamen, quia ad omnes ſimiles caſus extenduntur, Le-

gis

Digitized by Google

gis vim ſortitæ ſunt. Ad Confirmationem dico, privilegia non eſſe leges reſpectu illorum, quibus conceduntur, ſed reſpectu aliorum, ut non impediant privilegiatos in uſu privilegiorum; cedit autem in bonum publicum, privilegiatos non turbari in ſuorum privilegiorum, favorum, & facultatum uſu.

Dico 2. Materia Legis ſunt actiones vel omiſſiones humanæ, quæ præcipi, prohiberi, permitti, vel puniri poſſunt. Colligitur ex *L. 7. ff. de LL.* ibi: *Legis virtus hæc eſt, imperare, vetare, permittere, punire*, quid aliud, niſi actiones vel omiſſiones humanas? actiones bonas imperat lex *præceptiva;* malas & noxias vetat lex *prohibitiva;* indifferentes ex ſe indulget lex *permiſſiva*, quin & ſubinde inhoneſtas, ut evitetur majus malum, illas non plectendo, non autem approbando: legum violativas perſequitur lex *punitiva.* Dixi in aſſertione, *poſſunt*, ut indicarem, omnem Legis materiam debere eſſe *poſſibilem;* nemo enim *ad impoſſibile obligari poteſt. c. 6. de R. J. in 6.* & *impoſſibilium nulla eſt obligatio. L. 185. ff. eod.* Quod non ſolùm intelligas de iis, quæ ſunt phyſicè impoſſibilia, ut volare per aëra, ſed etiam de iis, quæ moraliter ſunt talia, aut nimis ardua ac difficilia attentis circumſtantiis perſonarum, loci, temporis, & fragilitate naturæ humanæ; talia enim præcipiendi poteſtas nec à DEO nec à Communitate humana hominibus data eſt. Sic invalida foret Lex, qua ſibi Papa reſervaret omnia peccata propter moraliter impoſſibilem obſervantiam: ſic non omnibus præcipi poſſunt conſilia Chriſti, 6

paupertas Evangelica, caſtitas perpetua, obedientia Religioſa: neque publica peccatorum confeſſio.

7 Oppones 1. Lex debet tendere in bonum Communitatis: ergo non poteſt verſari circa actiones indifferentes; quod enim nec bonum nec malum eſt, nec prodeſt, nec obeſt, nec rationabile eſt. 2. defacto dantur multæ leges, quæ præcipiunt vel approbant inhoneſta, vel prohibent honeſta: ſic leges Civiles indulgent libellum repudii, & vinculi Matrimonialis ſolutionem propter cauſam fornicationis: concedunt patri vel marito interficere adulterum unà cum uxore vel filia deprehenſum: prohibent fœminis 2. nuptias ſub gravibus pœnis: vetant ſpuriis alimenta dari &c. ergo materia legum non eſt materia honeſta &c. 3. quod honeſtum eſt, jam præcipitur Jure Naturali, ſicut ab eodem prohibetur, quod inhoneſtum eſt: ergo legis humanæ materia non ſunt actiones honeſtæ vel inhoneſtæ, ſed merè indifferentes quà indifferentes; ſive enim eas præcipiat, ſive vetet, ſive permittat Legiſlator, ſemper eas conſiderat ut utiles vel neceſſarias ad finem honeſtum. Pro exemplo ſit geſtatio armorum, quæ ex ſe nec mala eſt nec bona, ea tamen *præcipi* poteſt civibus eum in finem, ut aſſueſcant armis tractandis ad defenſionem urbis aliquando neceſſariis: eadem geſtatio armorum *prohiberi* poteſt Ruſticis ex hac cauſa, ne ſpirantes militiam, ſtivam negligant, aut ebrii ſe mutuò lædant: eadem *permitti* poteſt aliis, v. g. ſtudioſis tempore vacatio-

cationum ad conciliandam ſibi auctoritatem &c. en res & actio ex ſe indifferens quà talis non eſt objectum legis, ſed quà ſerviens ad finem honeſtum. Quidquid igitur immediatè intendit lex, præcipiendo, vetando, permittendo, puniendo, debet eſſe finis honeſtus; ut adeò honeſtas materiæ ſit eſſentialis proprietas legum, & lex ſit nulla, quæ non eſt honeſta. Ad 2. Leges Civiles aliquid approbantes, vel prohibentes, contra Jus Naturale vel Divinum, vel etiam contra Jus Eccleſiaſticum in re ſpirituali &c. ſunt irritæ, à Jure Canonico profligatæ & correctæ, uti approbans vel ſtatuens libellum repudii, prohibens ſecundas nuptias &c. De reliquo multa hujusmodi inhoneſta non approbat Jus Civile, ſed tantùm permittit & non punit in foro externo ad evitanda majora mala, vel ex aliis juſtis cauſis; quod inhoneſtum non eſt: ſic in quibusdam locis honeſtè permittuntur lupanaria: neutiquam verò approbantur. Ad 3. nihil impedit, quò minùs eadem res poſſit pluribus legibus præcipi vel vetari, imò id ſubinde neceſſarium eſt, ubi nimirum lex Naturalis vel Divina non ſatis eſt clara.

Dubium ſolenne moveri hìc ſolet, an materia legis, ſicut honeſta debet eſſe & poſſibilis, ita quoque externa ſit oporteat & ſenſibilis, ſive an etiam actus internus à Legislatore humano (nam à DEO id fieri poſſe extra controverſiam eſt) præcipi, vel ſub legem humanam cadere poſſit. Ad quod ℞. &

Dico 3. Actus merè interni per ſe & directè 8

non cadunt ſub legem vel præceptum humanum. Ita ingens agmen cum S. Th. *1. 2. q. 91. a. 4. & q. 100. a. 9.* Suar. *l. 3. de LL. c. 13. n. 2. & l. 4. c. 12. n. 4.* ac alii paſſim, contra *gl. in Clem. 1. de hæret. §. verum. v. eo ipſo, Adrianum, Roſellam, Clarum, Medin. Baldum, Joan. Cardenas.* Prob. 1. Poteſtas humana eſt ſenſibilis & nihil cognoſcit niſi ſenſibile: ergo actus inſenſibiles, quales ſunt merè interni, ſunt extra ſphæram & limites Poteſtatis humanæ, ſaltem politicæ. 2. Modum gubernandi Eccleſiam, & Rempublicam humanam convenit eſſe ſenſibilem: & ſufficit externus, qui per actus, quos legislator humanus directè præcipit, externos & ſenſibiles habetur: ergo non eſt neceſſe dicere, quòd DEUS vel Chriſtus dederit ei poteſtatem præcipiendi actus internos, niſi in quantum neceſſarii ſunt vel connexi cum actibus externis ritè ponendis. 3. actus merè interni per ſe nec proſunt nec obſunt bono communi Reipublicæ humanæ, utpote quæ ſuam felicitatem obtinet & tranquillitatem, modò omnes actiones externæ & ſenſibiles ſubditorum ritè fiant. 4. Poteſtas legislativa debet eſſe conjuncta cum poteſtate coactiva ſeu punitiva transgreſſorum, aliàs eſt inefficax *teſte Ariſt. l. 10. Ethic. c. 5.* ergo Judex ferens legem debet poſſe cognoſcere transgreſſionem legis actum merè internum præcipientis. 5. Ipſe Pontifex *c. 34. de ſim.* ſic fatetur: *nobis datum eſt de manifeſtis tantummodo judicare.* Et: *nemo patitur cogitationis pœnam. Can. cogitationis d. 1. de Pœnit.* ergo neque culpa cogitationum

num datur in foro humano: ergo nec lex humana obligans præcisè & directè ad certas cogitationes ſeu actus internos. Unde illud celebre axioma, deſumptum *ex cit. c. 34. de occultis non judicat Eccleſia.* Quamdiu igitur Adverſarii non probant, Eccleſiæ defacto eſſe datam poteſtatem præcipiendi actus internos directè, per ſe, & ſolitariè (nam quòd potuiſſet dare DEUS, non videtur negandum) rectè negatur, fuiſſe datam.

Oppones 1. Jus Eccleſiaſticum ſpectat finem ſupernaturalem; ſed iſte non poteſt obtineri ſine actibus internis fidei, ſpei, charitatis &c. 9
2. Eccleſia exercet jurisdictionem in quosdam actus merè internos, v. g. abſolvendo à peccatis merè internis, & pravis cogitationibus: ergo. 3. Eadem diſpenſat in voto merè interno: ergo habet poteſtatem ad merè interna. 4. poteſt aliquis ſe ipſum obligare ad actum merè internum per votum: ergo etiam ab alio homine, cui homo dedit ad id poteſtatem. v. g. vovendo ei obedientiam in omnibus omnino, etiam orationem merè mentalem præcipienti. 5. Chriſtus dedit Eccleſiæ poteſtatem illimitatam ligandi, *quodcunque ligaveris &c. Matth. 16.* ergo etiam ligandi & obligandi ad actus internos. 6. Si legislator humanus non poſſet præcipere actum merè internum, tunc ideo, quia non poteſt eum cognoſcere: ſed hæc ratio nimium probat, quia aliàs neque poſſet præcipere vel prohibere actus occultos, v. g. Matrimonium clàm contrahendum. 7. ſi non poſſet præcipere actus inter-

internos, tunc ideo, quia non poteſt transgreſſores punire: ſed hæc ratio ſupponit falſum; quia non eſt neceſſe, ut omnis lex humana ſit *coactiva* vel *punitiva*, præſertim pœnâ externâ; quia poteſt dari lex *directiva* tantùm, qualis eſt lex reſpectu Legislatoris, & in quorumdam ſententia lex Civilis reſpectu Clericorum, hos enim ajunt obligari legibus Civilibus quoad vim directivam, non verò coërcitivam. 8. Eccleſia *in c. dolentes. de celebr. Miſſ.* præcipit recitari Breviarium *devotè* & *attentè*: ſed devotio & attentio ſunt actus interni: ergo.

℞. ad 1. Aliud non infertur, quàm quòd Eccleſia & legislator humanus præcipere poſſit actus internos indirectè, in quantum ſine his non poſſunt poni actus externi, ut oportet: Jus Eccleſiaſticum intendit per ſe & directè finem ſupernaturalem, ſolùm per actus externos procurandum. Ad 2. diſt. Ant. exercet jurisdictionem in actus internos nomine DEI, à quo accepit poteſtatem abſolvendi ab omnibus peccatis pro foro conſcientiæ. C. nomine proprio, & independenter à conceſſione Divina ſpeciali, aut pro foro externo. N. *Ant.* & *Conſ.* Eccleſia per ſe & directè vi ſuæ poteſtatis *legislativæ* ſuos tantùm dirigere debet & poteſt quoad actus externos. *Legislativæ*, inquam, & *fori externi*; nam poteſtas fori interni non eſt legislativa, in quo non hominis ad hominem, ſed hominis cauſa ad DEUM agitur: atque actus hujus poteſtatis fori interni ad jurisdictionem voluntariam pertinent, quæ legislativa non eſt. Ad 3. diſpenſat nomine

mine DEI, & pro foro interno tantùm, quæ diſpenſatio non ad legislativam poteſtatem pertinet, ſed eſt actus jurisdictionis voluntariæ. Ad 4. obligatio, quam ſibi quis ponit per votum, inducitur per ſolum actum internum, conſequenter & obligatio obediendi alteri, actum merè internum præcipienti: ergo non oritur ex alterius poteſtate legislativa, utpote quæ, inter homines exiſtens, reſpicit bonum commune & externum tantùm. Ad 5. Diſt. *Ant.* illimitatam ligandi per legem ad actus externos dedit Chriſtus. C. ad merè internos. N. *Ant.* actus enim merè interni per ſe non pertinent ad gubernationem Eccleſiæ externam. Ad 6. N. *Min.* cum ratione addita, quia actus occulti revera ſunt ſenſibiles & cognoſcibiles; licèt per accidens non cognoſcantur. Ad 7. N. iterum *Min.* non enim agnoſco legem directivam humanam, quæ non ſupponat poteſtatem coërcitivam in legislatore, nego etiam, quòd Legislator lege ſua, vel Clerici lege Civili obligentur vi directiva, ſed potiùs ex decentia naturali obligari arbitror. Ad 8. indè ſolùm ſequitur, quòd poſſit præcipere actus internos indirectè, quatenus ſine ipſis non ritè ponitur externus.

Urgebis fortius. 1. Lex directiva, ſeu quæ 10
ſolùm obligat in conſcientia ſub culpa, non verò ſub pœna ab homine infligenda, poteſt præcipere & prohibere directè actus mixtos, ſeu tales, qui involvunt ſimul actum externum & internum, v. g. orationem attentam, confeſſionem validam, quæ involvit præter ſenſi-

ſenſibilem recitationem peccatorum etiam dolorem internum de peccatis, item Communionem reverentem & dignam abſque ſcientia peccati mortalis: nam Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem ordine 14am. *qui facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*. Et Innoc. XI. iſtam: *præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem*; conſequenter ſupponit Eccleſia, præcipi fidelibus non modò actus externos Confeſſionis & Communionis, ſed etiam internos doloris, pœnitentiæ præviæ, devotionis & reverentiæ: ergo Eccleſia poteſt præcipere actus mixtos, atque hoc poſt ultimam propoſitionem ab Innoc. XI. damnatam nunc certum eſſe ait inſignis & modeſtiſſimus Auctor Vindiciarum Gobathianarum *ad propoſit. 32. n. 17.* quia actus uterque tam externus quàm internus conſtituunt unum totum morale: unum Sacramentum v. g. Ergo etiam directè poteſt præcipere actus internos: quod probatur: præcipere actus mixtos directè, eſt utrumque actum præcipere directè: item plus eſt præcipere actus mixtos, quàm merè internos, cùm internus contineatur in mixto: ergo, ſi Eccleſia poteſt præcipere actus mixtos directè, etiam poterit merè internos præcipere directè. 2. potuit Eccleſia utique priùs præcipere actum externum, v. g. orationem vocalem, & poſt aliquod tempus ſuperaddere præceptum de attentione interna: ſed hoc modo adjeciſſet directè præceptum actûs merè interni: ergo. 3. Innoc. XI. in virtute S. obe-

obedientiæ prohibet, ne quis propoſitiones ab ipſo damnatas deducat ad praxim: ſed inter illas multæ verſantur circa actus internos, uti 5. 6. 7. de dilectione DEI, 10. & 11. de interna dilectione proximi; decima ſic ſonat: *non tenemur proximum diligere actu interno & formali:* hæc autem omiſſio amoris interni, quæ prohibetur, eſt quid purè internum: ergo. ℞. ad 1. Quando Poteſtas humana præcipit vel prohibet actus mixtos, eo modo facit, quo poteſt, nimirum directè actum externum, indirectè internum, ſine quo externus non poſſet debitè poni: quòd autem non poſſit directè præcipere vel prohibere actum merè internum, probant noſtra argumenta; neque Lex merè directiva obligans in conſcientia ad aliquid, cujus executionem cognoſcere non poſſit, & urgere etiam inflictâ pœnâ, videtur utilis in ordine ad gubernationem Reipublicæ humanæ, quæ ſolùm eſt externa reſpectu Legislatorum humanorum: & quamvis poteſtas directiva, ſpeculativè loquendo, ſit ſeparabilis à coactiva, non tamen moraliter, & juxta convenientem inſtitutionem. Suar. *l. 4. de LL. c. 12. n. 8.* Certè major poteſtas, & directa in actus merè internos, non videtur ſufficienter probari; cùm omnia ſalventur admittendo in Legislatoribus humanis poteſtatem *indirectè* præcipiendi vel prohibendi actus internos; nimirum attentionem in recitando Breviario, dolorem in Confeſſione Sacramentali, pœnitentiam & nullius peccati mortalis conſcientiam in S. Communione; cùm hujusmodi actus

interni

interni Jure Divino vel Naturali ſint neceſſarii ad convenienter ponendos externos. Ad 2. N. *Min.* nam adjiciendo præceptum de actu interno, non ſolitariè præcipit actum internum, ſed unà cum externo: conſequenter cùm aliunde dubium ſit, & necdum ſufficienter probatum, quòd Eccleſia poſſit directè præcipere actum internum etiam cum externo, ſeu mixtum, rectè negatur, quòd præcipiat internum directè. Dices: illa tantùm præcipiuntur indirectè, ſine quibus poni nequeunt ea, quæ præcipiuntur directè: ſed ſine attentione interna poteſt v. g. poni recitatio Breviarii: ergo. Diſt. *Min.* poteſt poni quomodocunque. C. prout decet & oportet. N. *Min.* Cùm Jus Naturale & Divinum exigat attentionem internam ad orationem, rectè Eccleſia adjungit præceptum de hac attentione, ſed quo modo poteſt, nimirùm indirectè. Ad 3. Innocentius ibi explicavit tantùm, ad quid obliget Lex Naturalis & Divina circa dilectionem DEI & proximi, non poſuit novam legem humanam; cùm iſti actus merè interni non ſint materia Legis humanæ.

11 Dico 4. Poſſunt tamen à Legislatore humano præcipi vel prohiberi actus interni indirectè & concomitanter, quatenus nimirum neceſſarii ſunt ad actum externum ritè ponendum, ſive in ſuo eſſe phyſico ſive morali. v. g. ut contractus in ſua ratione phyſica ritè ponatur, debet liberè & cum conſenſu poni, ut Sacramentum in ratione morali ritè conficiatur, requiritur intentio faciendi, quod Chri-
ſtus

ſtus inſtituit, ut oratio ritè peragatur, opus eſt attentione & intentione orandi, ut ritè ſuſcipiatur beneficium parochiale à non Sacerdote, debet ſuſcipiens habere intentionem recipiendi presbyteratum intra annum; & qui iſtos actus internos non poneret, peccaret contra præceptum Eccleſiæ. Ita cum Suar. *l. 4. de LL. c. 13. à n. 5.* communior contra Vaſq. Sylv. Dian. & alios, quorum ſententiam Filliuc. & Laym. apud Auguſt. Michel *tr. 4. q. 3. §. 3. n. 4.* probabilem cenſent. Probatur: præcipi vel prohiberi actum internum indirectè & concomitanter eſt illum præcipi non immediatè ratione ſui, ſed ratione actus externi, cum quo connectitur, & quatenus eſt neceſſarius ad actum externum ritè ponendum: ſed ita poteſt præcipere vel prohibere Legislator humanus, ut patet ex allatis exemplis, & plurimis aliis: ergo. Imò ſic indirectè & concomitanter cum actu externo præcipi poteſt intentio applicandi v. g. fructum ſacrificii, orationis &c. ad certum finem, gratis adminiſtrandi baptiſmum, dignè ſuſcipiendi Sacramenta &c. etiamſi iſti actus externi poſſent poni ſine hujusmodi actibus internis, utpote qui non ſunt neceſſarii, ut actus externi exiſtant abſolutè vel in eſſe phyſico vel morali, ſed tantùm extrinſecè conjunguntur cum externis, ut iſti fiant certo modo; quia tales actus interni ſunt ſaltem neceſſarii ad *aliquod eſſe morale* actûs externi. Suar. *l. c.*

Dico 5. Forma Legis eſt modus, ſeu ſunt 12
ſigna externa, quibus voluntatem ſuam Legis-

lator manifeſtat & promulgat ſubditis. Hæc ſigna & verba debent eſſe talia, ut clarè indicent, Legislatorem non ſuadere ſolùm vel conſulere, ſed præcipere ac jubere. Verba imperium & juſſionem denotantia ſunt: *præcipimus*, *mandamus*, *obligamus*, *prohibemus*, *inhibemus*, *interdicimus*, *teneantur*, *neceſſe eſt*, *non liceat*, *nemo poſſit*, & quæ his æquipollent, aut quæcunque neceſſitatem important: quò etiam plerique referunt verbum, *debeant*; quamvis aliqui interpretentur non pro debito neceſſitatis & obedientiæ, ſed ſolùm honeſtatis. Dubiæ ſignificationis, an conſilium vel imperium denotent, ſunt: *ſtatuimus*, *ordinamus*, *ſancimus*, *innovamus*, *decernimus*, *volumus* &c. item verba: *facite*, *cavete*, *ſolvite*, *abſtineant omnes*, *nemo audeat*: hæc tamen ultima in Decretis Pontificum & Conciliorum ordinariè ſunt prohibitiva: quoad priora ſtandum eſt conſuetudine Regionis, vel attendenda materiæ gravitas & neceſſitas, vel videndum, an non aliqua pœna ſit ſtatuta in transgreſſores, vel aliqua particula addatur in decurſu, ex qua colligi poſſit, Superiorem velle obligare, ut ſi dicat: *in virtute S. obedientiæ &c.* Quòdſi omnibus conſideratis maneat dubium, an obligare, vel conſulere tantùm, voluerit Superior, non habetur pro lege, ſed pro conſilio; quia ſubditorum libertas eſt in poſſeſſione.

13 Dico 6. Finis Legis eſt bonum commune, ſeu utilitas publica. Patet ex definitione Legis, & ex *can. 2. d. 4.* Unde lex, quæ non eſt

utilis

utilis communitati, nulla eſt, & quando deſinit eidem eſſe utilis, ceſſat & ipſa.

Atque ſic habemus eſſentiam, & tres cauſas Legis, uti & quartam, nempe efficientem, de qua poſtea, ſi priùs examinaverimus, an & qualis promulgatio, & acceptatio Legis, ad formam ac eſſentiam Legis pertineant.

§. 2.

An & qualis Promulgatio, & Acceptatio Legis, ſpectent ad rationem Legis?

Sciendum 1. certum eſſe apud omnes, quòd Lex aliquo modo promulgari & innoteſcere debeat ſubditis; cùm nemo obligari poſſit ad incognitum: quæſtio tamen eſt 1. utrùm promulgatio requiratur ſolùm ut conditio neceſſaria ex parte hominis, quia non poteſt obligari, niſi cognoſcat Legem, vel an requiratur etiam ex parte ipſius Legis, ita ut hæc non poſſit obligare, niſi promulgata ſit: quæ duo multi imperitè videntur confundere. 2. qualis requiratur promulgatio, an publica, quæ fit vel voce præconis, vel affixo programmate, vel alio modo Communitati accommodato, vi cujus in omnium notitiam venire poſſit; an verò ſufficiat ſolennis conſtitutio Legis in Conſiſtorio Principis. 3. Si publicè promulgari debeat, quibus in locis, an in omnibus Imperii Provinciis, & lex Eccleſiaſtica in omnibus diœceſibus promulgari debeat, ut apta ſit obligare. 4. an ſtatim obliget, poſtquam ſic eſt promulgata. 14

Digitized by Google

15 Sc. 2. Acceptationem in triplici ſenſu poſſe accipi. 1. pro conſenſu ſubditorum ad conſtituendam Legem. 2. pro conſenſu eorundem in obſervationem Legis jam conſtitutæ, ſeu pro voluntate legem recipiendi. 3. pro actuali obſervatione Legis. Certum jam eſt 1. nullam ex his acceptationem eſſe neceſſariam ad valorem legum Divinarum & Naturalium, earúmque vim obligandi. 2. primam acceptationem populi eſſe neceſſariam in Statu Democratico, ubi poteſtas ferendi leges humanas eſt penes populum: item acceptationem Optimatum in Statu Ariſtocratico, ubi vel cum Principe regnant Magnates & certi Status, vel ſoli Magnates. 3. ſecundam & tertiam acceptationem ſaltem accidentaliter eſſe neceſſariam, nempe ad durationem & firmitatem Legis etiam in Statu Monarchico; nam per receptionem & actualem obſervationem lex utique firmatur & durat. Quæſtio igitur remanet, an omnes, vel aliqua ex his acceptationibus populi requiratur ad conſtitutionem Legis, eíque partialiter tribuat vim obligandi, extra Statum Democraticum.

16 Dico 1. Promulgatio Legis non tantùm eſt neceſſaria conditio ex parte hominis, qui ſine cognitione Legis obligari nequit, ſed etiam neceſſaria eſt ex parte ipſius Legis, ita ut iſta acquirat vim obligandi completam partialiter à promulgatione. Adeóque promulgatio eſt de ratione Legis humanæ, ita ut non ſit vera lex, nec obliget, quamdiu promulgata non fuerit, licèt à Principe jam ſit decreta, & promul-

mulgari mandata, aut licèt privatim ſciatur. Ita cum Suar. *de LL.lib.1.c.11.n.3,* & *6.* communis. Ratio; quia lex eſt regula totius Communitatis, & non pro una tantùm vel altera perſona: ergo debet eſſe ritè propoſita, & ſufficienter promulgata Communitati. Deinde Lex eſt locutio Principis obligare volentis ad ſubditos directa: ſed locutio hæc nequit eſſe ſine ſigno manifeſtativo voluntatis obligandi, nec eſt completa, niſi ſit apta percipi ab audientibus: ergo lex vera in ratione Legis non eſt, quæ manifeſtata & promulgata non eſt. Confirmatur ex *l. 9. C. de LL.* ibi: *Leges ſacratiſſimæ, quæ conſtringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent.* Unde promulgatio reſpectu legis ad obligandum aliter ſe habet, quàm applicatio ignis ad urendum; nam promulgatio tribuit partialiter vim obligandi; non verò applicatio vim urendi.

Dico 2. Promulgatio Legis debet eſſe pu- 17
blica, ſeu talis propoſitio, ut toti Communitati poſſit ea mediante innoteſcere. Ita rurſus Suar. & alii paſſim; quia lex eſt regula publica Communitatis totius; ergo debet proponi publico modo & Communitati accommodato, conſequenter vel voce præconis, vel affixo programmate &c. Deinde lex eſt locutio publica Principis quà perſonæ publicæ, & totum populum obligare volentis: ſed non loquitur publicè, & ut perſona publica, toti Communitati & populo, niſi per propoſitionem & promulgationem juſſionis ſuæ publicam: ergo. Poſtquam autem promulgata eſt

Digitized by Google

lex, de ſe jam obligat omnes, ad quos notitia illius per ſe potuit pervenire, nec opus eſt, ut alia intimatio quaſi Juridica fiat ſingulis. *c. 1. de poſtulat. Prælat.* cùm id moraliter ſit impoſſibile. Illi autem, ad quos per accidens non pervenit Legis notitia, in foro conſcientiæ nec ad culpam nec ad pœnam obligantur; ſed per accidens; per ſe enim, niſi invincibilis ignorantia excuſaret, jam ſunt obligati. In foro autem externo, poſtquam facta eſt publica promulgatio, & terminus inchoandæ obligationi præfixus præteriit, præſumitur quivis ſubditus ſcire legem, ita ut ipſi non patrocinetur excuſatio ignorantiæ, niſi illam efficaciter & poſitivè probet; nam Juris Communis & promulgati ignorantiam nemo habere cenſetur.

18 Atque ex his deduces, Conſiliarium Principis, vel alium, qui ſcit, Legem in Conſiſtorio jam eſſe decretam, & proximè promulgandam, de minuendo frumenti pretio, vel monetæ valore, poſſe citra injuſtitiam frumentum vendere pretio priore, vel monetam expendere in antiquo valore: quia talis utitur jure ſuo, cùm Lex ſuam obligandi vim completam acquirat non per notitiam privatam, ſed per promulgationem publicam: ſicut ergo aliis, ita ipſi (non obſtante privata notitia) ante promulgationem Legis licitum erit currente pretio diſtrahere frumentum. Diſſentit Medina & alii.

Oppones. In *cit. c. 1.* dicitur, legem obligare, ſi *ſolenniter editur, aut publicè promulgatur:* ergo promulgatio publica tantùm requiritur,

ritur disjunctivè, & ſufficit etiam conſtitutio Legis cum ſolennitate in Conſiſtorio Principis. ℞. Mens Pontificis ibi fuit docere, quòd non requiratur intimatio conſtitutionis (ita ibi vocatur ſententia interdicti, quam tulit non Papa, ſed Cardinalis,) facienda ſingulis, ſed quòd ſufficiat talis ſententiæ editio ſolennis ſeu promulgatio publica; nam advertunt DD. quibus conſonat Barbos. *dictione 46. n. 8.* tò *aut* ſumi hic (utì & aliàs ſubinde) expoſitivè, pro *id eſt*, vel pro *ſeu*, ita ut ſolennis editio idem ſonet, ac promulgatio publica. Itaque hic Papa non intendit ſtatuere aliquid de modo promulgandi Legem, ſed incidenter ſolùm innuit, ſufficere *ſolennem* editionem coram populo, aut promulgationem publicam, vi cujus communitati innoteſcere poſſit Conſtitutio.

Dico 3. Ad legitimam promulgationem Le- 19
gis Civilis pro toto Imperio latæ requiritur 1. ut promulgetur in ſingulis provinciis Imperii. 2. Ut concedantur duo menſes à facta promulgatione, uſque dum obliget ſubditos provinciarum. Ita quoad utrumque ordinatur in *Novell. 66. c. 1.* quæ quamvis directè loquatur ſolùm de cauſa particulari Teſtamentorum, communiter tamen extenditur ad omnes alias Leges, partim propter rationem generalem ibi allatam, quæ facit pro omni lege, partim propter Rubricam præfixam, quæ ſic ſonat: *ut factæ novæ conſtitutiones poſt inſinuationes earum poſt duos menſes valeant;* ſiquidem rubrum explicat nigrum, & rubrica, ut in

Digitized by Google

Prolegomenis dixi, authoritatem ſaltem interpretativam ſubjectæ Legis habet. Extendit ſe aſſertio probabiliter quoad partem poſteriorem de lapſu duorum menſium etiam ad Statuta inferiorum Principum; quia iſti, ſi contrarium non exprimant, cenſentur ſe conformare Legibus Imperatoriis, præſertim cùm ab Imperatore jus Suprematûs & ferendi Leges poteſtatem obtinuerint; quamvis P. Engel hic *n. 66.* & alii plurimi diſſentiant. Unde infertur, incolas illius provinciæ, in qua nondum promulgata eſt Lex, quamquam in cæteris promulgata ſit, non obligari, nec illos ſubditos, apud quos promulgata eſt, ante lapſum duorum menſium, non obſtante, quòd illi notitiam Legis privatam, iſti verò etiam publicam priùs obtinuerint. Ideo enim ſtatutum eſt certum tempus à promulgatione in ſingulis provinciis facta, ut tollatur confuſio in populo, & non aliqui citiùs, alii autem ſeriùs obligari incipiant. Vid. Suar. *l. 3. c. 16. ſeq.* Oppones: *qui certus eſt, certiorari ulteriùs non debet. c. 31. de R. J. in 6.* ergo quamprimum aliquis noverit legem, obligabitur. ℞. Qui certus eſt de exiſtentia Legis per promulgationem publicam, ſtatim obligatur, hoc eſt, quamprimum fluxerit terminus obligationi inducendæ præfixus; non verò, qui certus eſt modo privato, communitati non accommodato, aut nondum finito tempore obligationi inchoandæ præfixo.

20 Dico 4. Probabile eſt, eandem ſolennitatem promulgationis requiri in legibus quoque Eccle-

Eccleſiaſticis, quæ latæ ſunt pro pluribus Diœceſibus, videlicet eas non obligare in Diœceſibus, niſi in quibus promulgatæ ſunt, & non niſi poſt lapſum duorum menſium à promulgatione. Ita cum *gl. in c. 2. h. t. v. ante prohibitionem, & in c. 1. de conceſſ. præb. in 6.* Abb. Armil. Navar. Sotus, Becan. Leſſ. *de J. & J. l. 2. c. 22. dubit. 13.* imò teſte Aug. Michel *q. 4. n. 7.* Cherubinus *in Compendio Bullar. tom. 3.* hanc ſententiam vocat communem. Prob. 1. ex *c. 1. de N. O. N. & can. 7. d. 10.* ubi deciditur, in iis caſibus, in quibus nihil clarè diſponit Jus Canonicum, bene autem Civile, iſtius diſpoſitionem admitti poſſe, vel debere, modò Jus Civile nihil diſponat in re ſpirituali, vel peccatum concernente, aut contra immunitatem Eccleſiaſticam. Prob. 2. ex *c. 13. de Pœnit. & remiſſ.* ubi ſtatuitur, pœnam in Medicos ibi decretam non incurri, antequam *Prælati locorum* particularium hanc legem promulgaverint. 3. ex Bulla Pii IV. *ſicut ad ſacrarum,* ubi Pontifex vult Decreta Concilii Trid. non obligare ante Calendas Maji, h. e. ante lapſum 3. menſium à finito Concilio, ſubjungens hanc rationem; quia *Jure etiam Communi ſancitum eſt, ut conſtitutiones novæ vim non niſi poſt certum tempus obtineant.* Imò Pontifices non ſolent in praxi obligare ſtatim poſt promulgationem Romanam, ſed denominare certum tempus, & quidem bimeſtre pro Regionibus intra montes, & Italiæ vicinioribus; quadrimeſtre autem (à promulgatione Romana) pro Regionibus ultramontanis: ergo

Digitized by Google

ſupponunt Pontifices, & approbant etiam in ſuis Legibus, diſpoſitionem Juris Civilis de neceſſitate promulgandi in particularibus locis, & lapſu aliquorum menſium, antequam lex obligare incipiat. Prob. 4. ex ratione. Motivum, quod Imperatorem impulit ad ſtatuendam promulgationem in ſingulis provinciis, & terminum duorum menſium, æquè procedit in Lege & foro Eccleſiaſtico, ne ſcilicet confuſio oriatur in Republica, ſi aliqui citiùs obligentur, quàm alii. Hæc ratio ſingulariter efficax eſt in Legibus irritantibus, v.g. contractus, Matrimonium, & in Legibus ſtatuentibus reſervationem caſuum, & in Revocatoriis privilegiorum, Indulgentiarum &c. quas Leges etiam Adverſarii paſſim excipiunt, ac in ſingulis provinciis promulgandas aſſerunt. Confirmatur. Epiſcopi meliùs nôrunt in particulari mores, indoles, & alias circumſtantias ſuorum diœceſanorum, quàm Papa; & hinc præſtat, Papam nolle ſtatim obligare, ubi legem promulgari fecerit Romæ, ſed exſpectare, an non fortè legi novæ, in ſuis Diœceſibus promulgandæ, juſtè aliquid opponere poſſint Epiſcopi.

21 Excipiuntur tamen 1. Leges, quibus ipſe Papa addit clauſulam, qua indicet, quòd velit ſtatim ubique eas valere poſt ſolam promulgationem Romanam. 2. Leges, in quibus ipſe uſus & praxis univerſalis ſupplet vicem promulgationis particularis, qualis v.g. dici poteſt Bulla *Cœnæ Domini*. Quò etiam revocaveris Regulas *Cancellariæ*.

Op-

Oppones 1. Promulgatio in ſingulis diœceſibus non eſt neceſſaria ex natura rei, uti nec lapſus duorum menſium ex una, ex altera verò parte hanc ſolennitatem nullibi præſcribit Jus Canonicum, & Papa in ſuis legibus ferendis non dependet à modo promulgandi à legibus Civilibus præſcripto: ergo leges Eccleſiaſticæ ſtatim obligant ubique, poſtquam Romæ fuerint promulgatæ in Campo Floræ ad columnam, & ad valvas Baſilicæ Apoſtolorum (in his enim duobus locis affigi ſolent) nec aliud requiritur, ut ſingulos actu obligent & proximè, quàm notitia, vel tantum tempus, ut ad ipſos pervenire potuerit notitia. per *c. 1. de conceſſ. præb. in 6.* 2. quando Jus Canonicum, uti Bulla Pii IV. ſuprà cit. requirit certum terminum inchoandæ obligationis à facta promulgatione, vel, ut inſinuat *c. 13.* pariter cit. promulgationem in provinciis & diœceſibus; id facit per modum *exceptionis* à via ordinaria, adeóque firmat regulam in oppoſitum, ac tacitè inſinuat, ubi non præſcribitur certus terminus, vel promulgatio in locis particularibus, obligationem legis ſtatim & ubique induci. 3. Pro oppoſita ſententia ſtat longè major auctoritas, nempe Suar. Vaſq. Azor, Malder. Wieſtner, & plerorumque ex Soc. JEſu; imò Palao eam vocat certam, Azor noſtram omnino improbabilem, Cardenas & Moya etiam graviori cenſura perſtringunt: ergo. 4. Rurſus pro oppoſita ſtat praxis & ſtylus Curiæ Romanæ. ℞. ad 1. diſt. ultimum membrum: Papa non dependet à modo

do promulgandi, quem Jus Civile præſcripſit, dependentiâ neceſſitatis. C. *Ant.* dependentiâ ultroneæ acceptationis. N. *Ant.* & *Conſ.* quis enim negabit, Pontificem ultrò poſſe recipere diſpoſitionem Juris Civilis in hoc puncto? & quis defacto recepiſſe neget eſſe probabile, dum ex una parte contrarium non ſtatuit, ex altera verò generaliter voluit *Sacros Canones* Principum conſtitutionibus adjuvari? *c. 1. de N. O. N.* præſertim cùm obſervata Lege Civili longè ſuaviori modo obligationem inducat Eccleſiaſtica lex. Ad 2. N. aſſertum, quòd tales Bullæ & diſpoſitiones Juris Canonici ſint exceptiones à communi regula: ſed ſunt potiùs confirmationes ſpeciales recepti generaliter Juris Civilis pro iis caſibus, ubi Jus Canonicum nihil diverſi ſtatuit; proin vicem *exempli* ſubeunt, non exceptionis. Ad 3. Eſto quòd major Auctorum numerus ſtet pro ſententia contraria; pro noſtra tamen ſtat præter Panor. in *c.2.h.t.n.7.* & alios *n. 20.* citatos magnus Mol. *tr.2.d 395.à n.6.* Zypæus *Anal.J. Pont. ad h. t. n. 1.* Gibal. *Scient. Canon. l. 7. c. 2. q. 1.* Et quod caput eſt, fortius Jus & efficacior ratio. Cenſuras non moror, utpote non ſatis fundatas. Ad 4. Veritas huius praxis, quam nudè aſſerunt Adverſarii, ſuſpecta redditur ex eo, quia multis præclaris viris ſuprà allegatis videtur fuiſſe incognita. Dein eſto, quòd praxis Curiæ Romanæ pro foro externo ita judicet, fundantis ſe in probabilitate adverſantis ſententiæ; in foro tamen interno ſubditi etiam tutò ſequuntur noſtram benigniorem

verè

Digitized by Google

verè probabilem, non obſtante, quòd in foro externo à Judicibus juſtè puniri poſſint transgreſſores propter oppoſitæ opinionis auctoritatem. Non igitur eadem eſt praxis in foro interno, quæ fortè eſt Romæ in foro externo, ut apud Palao *pu.12. n.3. p.1. l.1.* docent Valentia, Reginald. Menoch.

Dico 5. Acceptatio populi non eſt neceſſaria ad completam vim obligandi & ad ſubſtantiam Legis. Seu conſenſus populi (extra ſtatum Demoaraticum) non requiritur ad ipſam legem in ſuo eſſe conſtituendam. Ita communis, & certa ſatis. Probatur. Ubicunque regimen non eſt Democraticum, populus transtulit ſupremam poteſtatem & legislativam in Principem. *l. 1. pr. ff. de Conſtit. Princ.* (ſive ille ſit una perſona, uti in Monarchia, ſive ſit Senatus Procerum, ut in Ariſtocratia, ſive ſit Princeps & Senatus ſimul, uti in Monarchia mixta) ergo populi conſenſus nõ eſt neceſſarius ad legem conſtituendam; quia hanc poteſtatem legislativam non transtulit ſub conditione & reſervatione ſui conſenſûs; ſecus enim tot eſſent conlegislatores, quot ſubditi: quod eſt abſurdum, & cum ſtatu Monarchico vel Ariſtocratico pugnat: atque vix utilis foret & efficax poteſtas legislativa in Principe; ſemper enim de plebe ſunt plures, libertatis amantes, legúmque oſores, & ſic omnem ferè legem impedirent cum magna perturbatione Reipublicæ. De Lege Eccleſiaſtica res eſt adhuc magis extra controverſiam; quia Pontifex independenter à populo ſuam poteſtatem 22

feren-

Digitized by Google

ferendi leges accepit immediatè à Chriſto. *Jo.* *21.* ubi eidem in Petro dictum eſt: *Paſce oves meas*: & Matth. 16. *Quodcunque ligaveris &c.* quam poteſtatem Papa, etiam independenter à populo, communicat Epiſcopis quoque pro ſuis Diœceſibus: ergo leges Eccleſiaſticæ non poſſunt quoad ſuum eſſe pendere à populo.

23 Dico 6. Nec acceptatio populi, quatenus dicit voluntatem recipiendi in ſe obligationem legis, à ſupremo Principe vel Magiſtratu jam conditæ & promulgatæ, neceſſaria eſt per modum conditionis, ut lex obliget. Ita communis & poſt Alexandri VII. decretum, hanc propoſitionem damnantis, *populus non peccat, etſi absque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam*, ferè certa ſententia: quamquam olim contrarium docuerint Juriſtæ communiter, teſte Suar. *c. 19.* & ex Theologis Navar. Filliu. Valentia, & alii. Prob. 1. Ex allegata propoſitione damnata patet, quòd ſubditi peccent non acceptando legem: ergo lex obligat, antequam accedat voluntas populi obligationem legis in ſe recipiendi. 2. Si requireretur acceptatio populi ad hoc, ut lex obliget, nulla ferè, & prorſus exigua foret poteſtas legislatorum; ſi enim populus pro libitu parére poſſet, vel recuſare legem, legislatores tantùm poſſent, quantum vellet populus: quod non tam eſſet regere populum, quàm regi ab eodem. 3. Solent legislatores punire ſtatim illos, quos deprehendunt legis ſuæ ſufficienter promulgatæ transgreſſores: ſed non poſſent punire, ſi liberum eſſet populo legem pro-

promulgatam recipere vel non; nam ſine culpa non eſt aliquis puniendus. *Reg. Juris 23. in 6.*

Dico tamen 7. Acceptatio populi, quatenus dicit voluntatem recipiendi legem, & quatenus eſt actualis obſervantia legis, neceſſaria eſt ad ſtabilitatem & firmitatem legis, h. e. ut lex duret, ſuámque vim, quam independenter ab acceptatione & conſenſu populi habebat ſolùm de Jure, conſequatur etiam in effectu, cum duratione & firmitate. Ita quoad rem cum Laym. *lib. 1. tr. 4. c. 3.* plerique omnes, etiamſi omnem acceptationem populi tanquam neceſſariam negare videantur. Prob. 1. ex *L. 32. ff. de LL.* ibi: *cùm ipſæ leges nulla alia ex cauſa nos teneant, quàm quòd judicio populi receptæ ſunt.* Cui concordat gloſſema Gratiani in *Can. 3. d. 4.* ſic loquens: *Leges inſtituuntur, cùm promulgantur: firmantur, cùm moribus utentium approbantur: ſicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ ſunt, ita moribus utentium ipſæ leges confirmantur.* Unde prob. 2. conſuetudo poteſt tollere legem, ut obligare deſinat: ergo multò magìs *deſuetudo* (ita propriè dicitur prima non obſervantia legis per actus contrarios) poteſt tollere legem, impediendo, ut obligare non incipiat. Sic lex jejunii Quadradrageſimalis quoad abſtinentiam à lacticiniis, ſeu iis cibis, qui ſementinam carnis originem habent, ut caſeus, ova, butyrum &c. nunquam fuit recepta in Germania, & ideo nunquam in actu ſecundo vim ſuam exſeruit. Atque in hoc 24

ſenſu

ſenſu verum eſt illud: *Lex non acceptata non obligat*, uti contingit multis Bullis Pontificiis tum in Germania, tum in aliis locis. Confirmatur. Ipſi Pontifices, ut probabile putat P. Karchne *de Matrim. a. 3. n. 124.* cum Mendo & Cardenas contra Suar. & Vaſq. &c. ſæpe nolunt obligare, antequam videant legem probari fidelibus, nec exiſtere cauſam rationabilem in contrarium, & ſic eorum conſenſum exſpectant; quamvis haud dubiè ſtatim obligarentur fideles, ſi Pontifices vellent. Unde quamvis per ſe peccent ſubditi, non ſtatim obſervando legem promulgatam, ut habet communis contra Nav. Covar. Triedo, ſi nempe legislator ſtatim obligare intendat; excuſantur tamen per accidens ſæpius. 1. Si legislator gratiosè concedat ſpatium experiundi legem. 2. Si major pars Communitatis eam non obſervet, ſciente & diſſimulante Principe. 3. Si rem injuſtam præcipiat, vel gravamen iniquum inferat ſubditis, v. g. onerando nimiis tributis. 4. Si à populo communiter cenſeatur lex eſſe nimis gravis, aut lata contra rationabilem conſuetudinem; quia veriſimile eſt, Principem ignorâſſe illam difficultatem, vel conſuetudinem; vel non tuliſſe legem abſolutè cum voluntate ſtatim obligandi, ſed explorandi, quomodo lex recipiatur à populo, vel num difficultates emergant graves. Sed tali caſu conſultum eſt & conveniens monere Principem, ac petere, ut ipſe legem vel tollat, vel mitiget. An verò durante ſupplicatione teneantur ſubditi ad obſervationem

nem legis, nec ne, incertum eſt apud Auctores: tutius utique eſt interim obſervare; cùm lex etiam dura (modò non ſit injuſta &c.) videatur per ſe ſtatim obligare juxta illud *l. 12. ff. qui & à quibus manumiſſi: quod quidem perquam durum eſt, ſed ita lex ſcripta eſt.*

Placet mihi hæc ultima aſſertio cum duabus præcedentibus de acceptatione populi 25
ſummopere, vel ex eo etiam capite, quòd hoc pacto optimè conciliari poſſe videantur Auctores, in hac re prorſus in diverſa abeuntes, & in ſpeciem penitus contrarii, quorum multi, præſertim Juriſtæ, cum Nav, & Covar. abſolutè affirmant, acceptationem populi eſſe neceſſariam ad hoc, ut lex obliget, alii autem, præſertim Theologi, cum Suar. & Palao negant rotundè. Si itaque dicatur, priores intelligendos eſſe de perfectione legis accidentali, illius ſtabilitate, & firmitate in effectu, poſteriores verò de perfectione legis ſubſtantiali, ac ejus obligatione ſubditis imponenda independenter ab ipſorum conſenſu, utroſque verum dicere deprehendetur, facilèque ſolventur cujuslibet partis objectiones.

Oppones 1. Modus imperandi populo debet eſſe ſuavis, & genio moribúſque ſubditorum magis accommodatus; cùm debeat eſſe in ædificationem, non in deſtructionem. *2. Cor. 13.* ſed ſuavior eſt & accommodatior genio & infirmitati hominum, ſi requiratur conſenſus populi ad obligationem legis: ergo. Unde populus ſub hac conditione in Principem transtuliſſe credendus eſt poteſtatem legiſla-

tivam; uti & Chriſtus dediſſe Pontificibus. 2. lex, quæ paſſim nõ obſervatur, eſt inutilis: ergo etiam, antequam inchoëtur ejus obſervatio, eſt inutilis; ſed lex inutilis non obligat: ergo lex non obſervari cœpta, ſeu non recepta à populo, non obligat: ergo requiritur acceptatio populi tanquam conditio neceſſaria, ſicut applicatio, ut ignis urat. R. ad 1. Modus Imperandi non ſolùm debet eſſe ſuavis, ſed etiam, & vel maximè efficax; qualis non eſſet, ſi foret in arbitrio populi obligationem legis recipere, vel non; adeóque ſub conditione hujus conſenſus non potuit prudenter à populo in Principem transferri poteſtas legislativa; & multò minùs id de Chriſto præſumendum eſt. Dein dum Monarchia Romana rurſus renata eſt ſub Imperatoribus, omnis poteſtas legislativa à populo in Principes abſolutè translata eſt. *§. 6. Inſt. de J. N. G. & C. l. 1. pr. ff. de Conſtit. Princ.* Ad 2. Diſt. *Ant.* eſt inutilis per accidens, & in effectu, nec ſtabilis eſt. C. *Ant.* eſt inutilis per ſe & ex natura ſua, nec potens obligare. N. *Ant.* & ea, quæ indè inferuntur.

§. 3.

De Cauſa efficiente legis: ſeu quinam poſſint ferre leges?

26 Sciendum, extra dubium eſſe 1. quòd inter homines exiſtere debeat Poteſtas *Legislativa*, utpote indigentes aliqua gubernatione, poſtquam cojerunt in communitates; *ubi enim non eſt gubernator, populus corruet.* Prov. 11. Sed

Gu-

Gubernator nequit bene regere populum, niſi per bonas leges; ac proinde in eo reſideat neceſſe eſt ferendi poteſtas; nec enim ſufficit œconomica tantùm vel dominativa poteſtas, vi cujus in perſonas præcisè dominium habetur; ſed opus eſt *gubernativa*, quæ differt à *dominativa*, ferè ſicut jus jurisdictionis à jure proprietatis, de quibus in *Prolegomenis*. Dominativa vel œconomica ferè ſolùm reſpicit communitatem imperfectam, v.g. membra alicujus familiæ. 2. Quòd poteſtas hæc gubernativa & legislativa non reſideat in quolibet homine, ſed ſolùm in illis, qui eam vel à DEO, vel hominibus gubernatores ſibi eligentibus, acceperunt. Itaque inquirendum hic eſt, quinam ſint illi, penes quos populum gubernandi per Leges propoſitas ſit poteſtas, ſeu jurisdictio legislativa, quæ nihil eſt aliud, quàm authoritas & eminentia quædam ſuper alios ad eorum regimen & gubernationem per Leges à ſe conſtitutas, quæ dicitur *Imperium merum*. Porro cùm aliæ Leges ſint Canonicæ ſeu Eccleſiaſticæ, aliæ ſæculares ſeu Civiles, item aliæ Univerſales & Generales, totam Eccleſiam, vel totum Imperium obligantes, aliæ verò Particulares & Municipales, certam duntaxat provinciam, diœceſim, civitatem, vel communitatem adſtringentes, ideo in inquirendo Legislatore ad hanc diviſionem reſpiciemus.

Dico 1. Leges Eccleſiaſticas Univerſales ferre poteſt ſolus ſummus Pontifex. Prob. Soli ſummo Pontifici, tanquam in Primatu D. 27

Petri Succeſſori, poteſtas in totam Eccleſiam & in omnes omnino fideles à Chriſto data eſt, ſicut Petro; conſequenter & leges ferendi pro omnibus: ſed D. Petro independenter à cæteris Apoſtolis, ac aliis fidelibus, data eſt à Chriſto Univerſalis poteſtas gubernandi totam Eccleſiam, ac omnes omnino oves Chriſti ſeu fideles, ut patet ex textibus, *paſce oves meas &c. quodcunque ligaveris ſuper terram, &c.* Jo. 1. Matth. 16. ergo ſoli ſummo Pontifici competit poteſtas ferendi leges univerſales, quibus obligantur, quotquot vòlunt eſſe oves Chriſti, ſive ſint Prælati & Epiſcopi, ſive inferiores Chriſtiani: ſive congregati in Concilio, ſive ſolitariè ſumantur; & quidem *ſoli* data eſt, non unà cum aliis vel Prælatis, vel fidelibus; nam Chriſtus, præſentibus licèt Apoſtolis aliis, ſolum Petrum allocutus eſt, eique illimitatam poteſtatem paſcendi & ligandi dedit in *numero ſingulari*, nimirum *paſce*, *ligaveris*, *tibi dabo claves Regni Cœlorum*, *ſuper te ædificabo Eccleſiam meam &c.* Per hoc tamen minimè prohibetur ſummus Pontifex adhibere aliorum conſilia, imò, ſi viſum fuerit, etiam integra Epiſcoporum Concilia inſtituere, ac unà cum iis Leges ferre.

28 Quæres, an Papa in D Petro ita ſolus acceperit poteſtatem legislativam, ut alii Epiſcopi nullam immediatè à Chriſto habeant, ſed omnem immediatè à ſummo Pontifice, qui eam pro arbitrio ampliare vel limitare poſſit? ℟. Ita omnino, non obſtante, quòd aliqui, non quidem parem cum Papa, ſed minorem tamen,

tamen, à Chriſto immediatè iis conceſſam adſtruant. Colligitur partim ex citt. textibus, partim ex uſu Eccleſiæ perpetuo, cùm Pontifex ſemper conſtituere Epiſcopos, eorum poteſtatem limitare, ſuſpendere, vel ex juſta cauſa omnino auferre conſueverit. Inſinuatur id *can. 11. cauſ. 2. q. 6.* ibi: *Romana Eccleſia vices ſuas ita aliis impertivit Eccleſiis, ut in partem ſint vocatæ ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.* Dices: Epiſcopi ſunt ſucceſſores aliorum Apoſtolorum, ſicut Papa eſt Succeſſor Principis Apoſtolorum D. Petri: ergo poſſunt Jure Divino, & poteſtate immediatè à Chriſto accepta, quod potuerunt alii Apoſtoli: ſed hi à Chriſto acceperunt immediatè poteſtatem legislativam. ℞. N. *Ant.* non enim ſunt Apoſtolorum ſucceſſores in Apoſtolatu, ſed ſolùm in Epiſcopatu, h. e. in poteſtate Ordinis & in Conſecratione, non verò in jurisdictione & poteſtate legislativa, ſicut tamen Petro quoad hanc ſuccedit Papa; quia Petro ſoli, etiam præſentibus aliis Apoſtolis, aliquid ſpeciale & plus quàm cæteris à Chriſto datum eſt, quod ad ejus ſucceſſores transferri voluit, cùm Eccleſiæ, quam ſuper Petrum ædificavit, regendæ modum voluerit ſemper durare, nempe Monarchicum.

Dico 2. Leges Eccleſiaſticas particulares, 29
ſeu Statuta condere poſſunt 1. Cardinales, ſed non niſi in Eccleſiis ſuorum titulorum. *c. 11. de Major. & obed.* Idque procedit etiam Sede Papali plenâ. 2. Legati Sedis Apoſtolicæ, ſed non niſi in provincia ſuæ Legationis. *c. fin. de Off.*

Leg. & quidem valituras etiam finita Legatione, donec à Papa, vel ſucceſſore Legato, vel Conſuetudine abrogentur. 3. Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ſed ſinguli pro ſua tantùm particulari diœceſi. *c.* 2. *de Majorit. c.* 2. *h. t. in* 6. *can.* 4. *ſeqq. cauſ.* 9. *q.* 3. Adeóque Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ non poſſunt ferre Leges pro diœceſibus ſuorum Suffraganeorum, & Epiſcoporum ſibi ſubjectorum. 4. Abbates & alii Prælati exempti habentes juriſdictionem quaſi-Epiſcopalem. Deſumunt ex *c.* 6. *de Statu Monach.* ſed non niſi pro ſua quaſi-diœceſi. 5. Concilia Nationalia pro tota aliqua Natione: Provincialia pro ſuis Provinciis: Diœceſana pro ſuis diœceſibus. per *can.* 56. *Diſt.* 18. Concilia generalia Papæ non unita, vel ab eo non confirmata, nullius ſunt poteſtatis, utpote acephala, Eccleſiam ſine capite repræſentantia, quibus nullam legitur Chriſtus poteſtatem dediſſe. 6. Capitulum Cathedrale Sede Epiſcopali vacante probabiliter pro tota diœceſi. per *c.* 11. 14. *de Majorit.* & *c. un. eod. in* 6. Panormit. Palao & alii contra Salas cum aliis. Sede autem non vacante nihil poteſt in Diœceſanos Capitulum. Communitates Religioſæ; quia non modò poteſtatem dominativam habent in ſuos ſubditos propter votum obedientiæ, ſed etiam juriſdictionem ad eosdem bene gubernandos eis conceſſit Pontifex, ut Innoc. *in c.* 7. *de Statu Monach.* inſinuat, An verò hæc poteſtas gubernativa & legiſlativa reſideat in ſolo ſupremo Capite, an in Capitulo, vel in utro-

utroque, deſumi debet ex ſingulorum *Ordinum* Conſtitutionibus. Abbatiſſæ ſuis Monialibus præcipere quidem, non tamen Leges dictare poſſunt propter defectum Jurisdictionis Spiritualis.

Limitatur & explicatur aſſertio 1. quòd 30
præfati Archiepiſcopi, Communitates &c. nequeant ferre Leges Juri Communi contrarias, aut Legibus à Pontifice latis, aut Statutis ab eodem confirmatis; cùm inferior nequeat immutare vel abrogare legem Superioris. per *c. 1. 2. de Reliq. & Clem. 2. de Elect.* 2. quòd eorum poteſtas ſe non extendat ad res gravioris momenti, utpote quæ ſummo Pontifici in ſignum ſupremæ poteſtatis reſervantur, & propter arduitatem ſuam ſublimius tribunal poſtulant, ut habent plures *Cann. d. 18. cit. c. Majores de Baptis. c. 1. de translat. Epiſc. c. fin. de off. Vicar. in 6.* cujusmodi cauſæ ſunt, quæ pertinent ad declarationem articulorum Fidei, vel ad ſtatum Univerſalis Eccleſiæ, vel ad privilegia & conſuetudines Univerſales, ad Canonizationem Sanctorum, ad uniendos vel dividendos Epiſcopatus, ad impedimenta Matrimonii, ad unam Eccleſiam alteri ſubjiciendam &c. 3. quòd Collegium Cardinalium non habeat poteſtatem ſimilem ferendi Leges Univerſales vacante Sede Papali, qualem habet Capitulum Cathedrale in Diœceſi particulari, vacante Sede Epiſcopali. *c. 3. de Elect. in 6. & c. 2. eod. in Clement.* ubi Cardinalibus Sede vacante ſolùm conceditur poteſtas ſtatuendi ea, quæ pro electione ſummi Pontificis, pro

Digitized by Google

defenſione Eccleſiæ, & occurrentium periculorum averſione fuerint neceſſaria vel proficua; ac inſuper cavetur, ne in alio negotio ſe intromittant: quod ſecus fecerint, irritum decernitur & inane. Cùm igitur ampliorem poteſtatem Pontifices non conceſſerint collegio Cardinalium Sede Papali vacante, conceſſerint tamen Capitulo Cathedrali pro tempore Sedis Epiſcopalis vacantis, mirum eſſe non debet, quòd in iſto reſideat major poteſtas legiſlativa, ac in illo.

31 Dico 3. Leges Civiles Univerſales, & totum Imperium Romanum obligantes, ferre poteſt Imperator vel ſolus, ut olim, vel cum conſenſu Statuum, ut hodie. Prior pars conſtat ex *l. 1. & ult. C. de LL.* Poſterior ex variis *Imperii Receſſibus* & Imperatorum *Capitulationibus*, ut vocant. Eandem poteſtatem ferendi Leges Univerſales pro omnibus ſuis Provinciis obtinent Reges, ac alii Principes ſupremi, ſeu Superiorem non agnoſcentes, vel ſine vel cum conſenſu Procerum Regni, aut Parlamenti, prout cujuslibet Regni conſuetudo vel Capitulationes habent. Idem dicendum de Regina, ſi ſit Moderatrix & Domina Regni per *c. 4. de arbit.* Idem de qualibet Republica perfecta, quæ videlicet ſuprema jurisdictione effulgens Superiorem non recognoſcit. per *l. 9. ff. de J. & J.* Idem de Romano Pontifice quoad temporale ipſius territorium, utpote in quo ſuprema ipſi competit jurisdictio temporalis. Porro ubi circa certas cauſas Civiles nihil ſtatuunt Jura particularia Regnorum

v. g.

v. g. Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Galliæ, vel Jus Canonicum, tunc in illis Regnis, & in temporali territorio Papæ, obſervari ſolent Leges Imperiales, non ex abſoluta neceſſitate, ſed ſpontanea receptione; cùm Imperatori non ſint ſubjecta omnia regna & territoria Mundi, ut imperitè putabant aliqui Legiſtæ.

Dico 4. Leges Civiles particulares, ſeu Statuta localia, pro ſuis territoriis condere poſſunt Principes & Status Imperii tam Eccleſiaſtici quàm Sæculares, utì Electores, Principes alii inferiores, Civitates Imperii liberæ &c. Et quidem Leges contrarias Juri Communi, ſi nempe immediatè ſubſint ſupremo Principi: per *L. 9. cit.* ibi: *quod quiſque populus ipſe ſibi Jus conſtituit, id ipſius proprium civitatis eſt.* Panormit. *in c fin. de conſuet. n. 9.* Felin. &c. Suffragante praxi & conſuetudine, in qua fundatur illud vulgatum: *quivis Imperii Status tantum poteſt in ſuo territorio, quantum Imperator in Imperio.* Excipiuntur tamen ea, quæ Imperatori ſpecialiter ſunt reſervata. Vid. Gail. *de Pace publ. c. 6.* Confirmatur: conſuetudo poteſt derogare Juri Communi in aliquo loco particulari Imperii: ergo etiam Princeps vel Magiſtratus talis loci. 32

Oppones. Ergo etiam Epiſcopi poterunt in ſuis Diœceſibus Leges Eccleſiaſticas Juri Canonico Communi contrarias, condere; quod tamen paulò antè negavimus. ℞. id non ſequi; quia Jus Canonicum aufert hanc poteſtatem inferioribus Prælatis, Jus Civile ut à DD. & conſuetudine explicatum eam indulget Stati-

bus Imperii. Urgebis: conſuetudine poteſt derogari Juri Eccleſiaſtico Communi in aliquo loco particulari: ergo etiam ab Epiſcopo talis loci. ℞. N. *Conſ.* quia conſuetudo, ſi ſit rationabilis, fulcitur conſenſu Legali Papæ, expreſſo in *c. fin. de conſuet.* Econtra Statutum Epiſcopi non fulcitur tali conſenſu Papæ in Canonibus SS. expreſſo; imò reprobatur. *arg. c. 2. de Elect. Clement. cit.*

33 Dico 5. Nec Imperator, nec alius Princeps ſæcularis, ferre poteſt Leges concernentes Eccleſiam, rem ſacram vel ſpiritualem, aut perſonas Eccleſiaſticas, præſertim ſi his perſonis vel Eccleſiæ ſunt oneroſæ. *c. 7. 10. h. t. c. 49. de ſent. Excom. Bulla Cœnæ caſu 18. Bull. Urbani VIII. Romanus Pontifex an. 1641. l. 5. 12. & Auth. Caſſa C. de SS. Eccleſiis.* Nimirum propter defectum jurisdictionis, à qua exemptas Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas Divina ordinatione & SS. Canonum inſtitutis pronuntiat Trid. *Seſſ. 25. c. 20. de Ref.* quam exemptionem Juris Divini etiam extendunt multi ad res temporales Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum. per *c. 30. de Jurejur. & c. 4. de Cenſ. in 6.* An verò & quid poſſit contraria his Canonibus conſuetudo circa res temporales Eccleſiarum & Clericorum, dicemus ad *tit. II. lib. II. de Foro compet.* In ſpecie autem ab Auctoribus tanquam Leges injurioſæ & irritæ reprobantur 1. quæ Eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis imponunt vectigalia, angarias, collectas, & ſimiles exactiones. 2. Quæ gravant perſonas Eccleſiaſticas, de uno loco in alium migran-

grantes, exigendo certam partem bonorum, quæ ex hæreditatibus, legatis, donationibus &c. acquiſiverunt, & ſecum deferunt, ſolvendam Fiſco vel Communitati, quæ quota dici ſolet Abzug / Abfarth / Nachſteur. 3. Quæ illas excludunt ab hæreditaria ſucceſſione; vel, ſi ingrediantur Religionem, jubent eſſe contentas aliqua parte vel uſufructu hæreditatis ad dies vitæ. 4. Quæ prohibent ſubditis, ne bona immobilia vendant, donent, aut alio modo alienent in Eccleſias & Eccleſiaſticas perſonas. *text. & DD. in c. fin. de Immun. Eccl. in 6.* Vid. præter alios *Auguſt. Michel in Theol. Canonico-Moralis Appendice 2. to. 1. de legibus Amortizationis.* Viget quidem in quibusdam locis contraria praxis quoad aliqua ex dictis, ſed paſſim verentur Scriptores, ne iſta praxis corruptela ſit & Divinæ maledictionis inductiva, ut paſſim etiam fuiſſe advertit in multis locis Spondanus in *Hiſt. Eccleſ.* Si dicas, rationem publicam efflagitare tales Leges, ne ſcilicet exhauriatur territorium, & nervus ferè omnis transferatur ad manus mortuas Religioſorum, Clericorum &c. Repono, viam omnibus eſſe apertam ad Summum Pontificem, qui re ad ſe delatâ, & juſtitiâ cauſæ cognitâ facilè conſentiet in talem Legem vel Statutum, ſi ſubſit juſta cauſa. Hanc igitur reverentiam, uti debent, exhibeant Capiti ſuo, Vicario Chriſti.

Dico 6. Viciſſim nec Summus Pontifex ferre poteſt leges per ſe & directè circa res temporales extra ſuum territorium temporale. 34

Molin.

Molin. Suar. *l. 3. de LL. c. 6. n. 3.* communis aliorum. Patet ex ipſa confeſſione Pontificum; nam Nicolaus I. *can. 8. d. 10.* aſſerit, Chriſtum Eccleſiaſticæ & Politicæ Poteſtatis officia diſcreviſſe, nec Pontificem ſæcularibus ſe debere negotiis immiſcere. Et *can. 6. d. 96. ſed cùm ad verum ventum eſt, ultrà ſibi nec Imperator jura Pontificatûs arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium uſurpavit.* Confirmatur: nec à Chriſto, nec à Principibus ſæcularibus Papa poteſtatem ferendi Leges Civiles obtinuit, nec id probari poteſt; ſicut Imperator nec à Chriſto nec à Pontificibus accepit poteſtatem ferendi Leges Eccleſiaſticas. Dixi, *per ſe & directè*; nam per accidens & indirectè poteſt Papa corrigere Leges Imperatorum & Regum iniquas, Eccleſiæ libertati præjudicioſas, & peccatum foventes.

Oppones. *Can. 1. d. 22.* aſſeritur, quòd *beato æternæ vitæ clavigero* (D. Petro) *terreni ſimul & cœleſtis Imperii jura commiſerit* Chriſtus. Item Bonifacius VIII. in *Extrav. Unam Sanctam 1. de Majorit.* poſtquam aſſeruit, in Eccleſiæ poteſtate duos eſſe Gladios, unum Spiritualem, alterum Temporalem, illum in manu Sacerdotis, iſtum in manu Regum, ſubjungit: *oportet autem gladium eſſe ſub gladio, & temporalem authoritatem Spirituali ſubjici poteſtati.* Ac Apoſtolus *1. Cor. 6.* inquit: *neſcitis, quoniam Angelos judicabimus? quantò magis ſæcularia:* ergo Pontifex habet etiam Jurisdictionem in ſæcularia. 2. Pontifex defacto jam exercuit jurisdictionem in ipſos Imperatores & Principes, eos depo-

deponendo, ſubditos juramentô fidelitatis ſolvendo &c. Sic Leo III. an. 800. in feſto Nativitatis Domini Imperium Occidentale Romanum ademit Græcis, & transtulit ad Francos, vel potiùs (ut etiam loquitur Clemens V. *in Clement. Un. de Jurejur.*) ad Germanos; cùm Franci origine ſint Germani teſte Paulo Æmilio, imò juxta complures ipſe Carolus Magnus, cui Leo III. coronam Imperatoriam impoſuit, fuerit Germanus, & juxta aliquos Bavarus. Sic Gregorius V. (qui fuit Suevus) vel, ut alii volunt, Innocentius IV. in Conc. Lugdun. 1245. (qui & Fridericum II. Imperio exuit) conſtituit 7. Electores, qui poſthac eligerent Imperatorem Romanum: ergo à fortiori habent etiam jurisdictionem in Principum ſæcularium ſubditos, eiſque Leges dictandi. ℟. plurimi ad 1. Petro quidem conceſſa ſunt jura cœleſtis & terreni Imperii, ſed diverſimode, unum videlicet directè, alterum verò indirectè & ita, ut eo uti nequeat, niſi Eccleſiæ libertas, & ſalus Spiritualis ſubditorum alicujus Principis ſæcularis expoſcat. Eodem modo gladius debet eſſe ſub gladio, h. e. Poteſtas temporalis Spirituali non præjudicet. Sæcularia ſatis dijudicat Pontifex, ſi, quas ferunt Principes ſæculares in animarum perniciem vel peccatum foventes, aboleat & corrigat leges. Ad 2. aliqui cum Auctore *Regalis Sacerdotii l. 1. à. §. 1.* reſpondent, illam translationem Imperii fuiſſe neceſſariam ad conſervationem & defenſionem Eccleſiæ, adeóque Pontificem non eſſe

uſum

uſum jurisdictione temporali in Principes ſæculares, ſed Spirituali. Alii aliter reſpondent. Mihi abſtrahendum eſt.

§. 4.

De Effectu Legis, nempe de obligatione, quam inducit. Ubi etiam de ignorantia & metu excuſantibus.

35 Sciendum, certum eſſe 1. quòd Lex Naturalis & Divina obliget etiam in foro conſcientiæ. 2. quòd Lex Humana, tam Civilis, quàm Canonica, obliget ſaltem in foro externo, & ſub culpa ſaltem Juridica & ad pœnam; ea enim eſt natura Legis, ut aliquam obligationem producat tanquam effectum ſuum intrinſecum. per *l. 2. ff. l. 3. C. de LL.* Vis obligandi ſub culpa dicitur vis *directiva* Legis, & vis obligandi ad pœnam appellatur *coactiva*. Quæſtio tamen agitatur, an Lex humana, præſertim Civilis, obliget in conſcientia & ſub culpa Theologica coram DEO, ſpeciatim an Lex fundata in falſa præſumptione; Lex pœnalis, Lex imponens tributa & vectigalia, & Lex irritans certos actus, de quibus Legibus in particulari poſtea; nunc de Legibus reliquis. Et quia contingere poteſt, ut aliquis ignoret Legem, licèt promulgatam, vel metu adigatur ad contraveniendum Legi humanæ, dubium oritur, an ignorantia, vel metus excuſet à culpa vel pœna, & quando.

36 Dico 1. Legislator humanus tam Civilis quàm Eccleſiaſticus poteſt, ſi velit, per ſuas Leges obligare in conſcientia. Ita Catholici contra

contra modernos Hæreticos, libertatis, ut ja-ctant, Evangelicæ aſſertores. Prob. 1. clariſſimè ex Scripturis: *Omnis anima*, ait Paulus *Rom.* 13. *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non enim eſt poteſtas niſi à DEO: qui reſiſtit poteſtati, DEI ordinationi* NB. *reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem* NB. *acquirunt. Poteſtas enim DEI Miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malè agit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam* NB. *propter conſcientiam.* Idem *Hebr.* 13. *Obedite Præpoſitis veſtris.* Et D. Petrus *ep.* 1. *c.* 2. *Subditi eſtote propter DEUM, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum; quia ſic eſt voluntas DEI.* Prob. 2. Legislator humanus fert Leges nomine & auctoritate DEI, cujus agit vices, ut patet ex citt. textibus, & ex *Prov.* 8. *Luc.* 10. *Mat.* 18. ergo ei parendum ſub peccato coram DEO. Imò ipſum naturale lumen dictat, Superiori juſtè imperanti eſſe parendum. Idem perſuadet omnibus bonis communis ſenſus: quis enim ex probè Catholicis non judicat ſe gravis in conſcientia peccati reum, ſi ex negligentia non audiat Sacrum die Dominica, non confiteatur ſua peccata in Paſchate &c.? Prob. 3. Poteſtas obligandi in conſcientia eſt omnino neceſſaria ad Rempublicam humanam ritè gubernandam; ſecùs enim plurimi haud multùm curarent Leges humanas, eásque paſſim transgrederentur occultè, pœnas autem impoſitas, ſi deprehenderentur, fraude vel vi eluderent. Si ergo *velit*, ut addidi in aſſertione, poteſt Legislator

tor humanus obligare in conſcientia, ſive graviter, ſi patitur vel exigit materiæ gravitas, ſive leviter, ſi ipſi viſum fuerit, vel materia ſit levis. Cenſetur autem obligare in conſcientia, ſi utatur verbis præceptivis: vel ſtatuat in transgreſſores gravem pœnam, v. g. excommunicationis, mutilationis &c. vel Lex verſetur circa rem jam aliunde Jure Naturali vel Divino præceptam aut prohibitam. Secus ſi vel ex verbis Legis, vel ex circumſtantiis materiæ, & præcipuè hominum, quibus fertur Lex, colligi poſſit, quòd Legiſlator contentus pœnâ, ſi deprehendantur transgreſſores, in conſcientia obligare nolit. Sic Haunoldus rectè advertit, Legiſlatorem non obligare ad actum directè præceptum vel prohibitum in conſcientia, ſi ferat legem pro Communitate, in qua plerique ſunt homines ſerviles, conditionis vilis, vitæ licentioſæ, peccata conſcientiæ non multùm curantes (uti v. g. ſunt Leges Militares) quia ad hos homines abſterrendos à transgreſſione Legis plùs facit rigor pœnæ, quàm obligatio in conſcientia. In dubio optimè interpretatur mentem Legiſlatoris conſuetudo & perſuaſio ſubditorum. Cæterùm licèt verum eſſe exiſtimem, Legiſlatorem humanum poſſe & ſolere nonnunquam obligare ſolùm ad pœnam, & directè non ſub culpa in conſcientia ad ipſum actum ſua Lege præceptum, vel ad omiſſionem ejus: nihilominus

37 Dico 2. Omnis lex humana propriè dicta ſemper & neceſſariò obligat in conſcientia ſaltem ad aliquid. Ita cum Suar. *de LL. lib.* 3. *c.* 22.

22. n. 9. Gibal. Palao, Glettle *in Select. qq. p.* 1. *q. 3. n. 4.* Prob. 1. Omnis lex propriè dicta in Legislatore ſupponit poteſtatem & voluntatem obligandi; per hanc enim voluntatem differt lex à conſilio: ergo lex omnis propriè dicta eſſentialiter & ex natura ſua obligat ad aliquid, aliàs lex non eſſet lex: & quidem obligat in conſcientia, cùm Jus Naturale & Divinum dictent & declarent, obediendum eſſe præcipienti cum poteſtate & voluntate obligandi. Unde legislator humanus non poteſt non obligare ſaltem ad aliquid per ſuam legem; quamvis enim ab ejus arbitrio pendeat exiſtentia legis, non tamen ab eo pendet eſſentia legis. Prob. 2. ſi aliqua lex non obligaret in conſcientia, ea eſſet vel lex purè pœnalis, ut vocant, vel lex permiſſiva, vel leges irritantes, quæ præſcribunt certam ſolennitatem ad valorem actuum, v. g. 7. teſtes ad legitimum Teſtamentum: atqui etiam iſtæ obligant in conſcientia ad aliquid; nam lex *merè pœnalis*, quamvis non obliget in conſcientia ad actum directè intentum, vel ad omiſſionem, v. g. venationis, obligat tamen in conſcientia ad pœnam ſubeundam, ſi delinquenti imponatur; imò Judicem obligat in conſcientia, ut à lege determinatam pœnam infligat. Lex *permiſſiva* non quidem obligat illum, cui favet, obligat tamen alios, ne impediant actum à Lege permiſſum, v. g. ſecundas nuptias. Lex *irritans* non quidem obligat ad certas ſolennitates in actu adhibendas,

obligat tamen, ut aliquis actum, quem ſine præſcriptis ſolennitatibus celebravit nulliter, non defendat tanquam validum. Atque in hoc ſenſu ſine omni limitatione verum eſt illud brocardicum: *lex juſta in foro externo eſt etiam juſta in foro interno.*

38 Opponesc ontra priorem maximè aſſertionem 1. Peccatum ex *S.* Auguſt. definitur eſſe *dictum, factum, vel concupitum contra legem DEI;* ſed transgreſſor legis humanæ non transgreditur legem DEI: ergo non peccat: ergo. 2. Legislator humanus non poteſt præcipere actum internum directè: ſed in ſolo actu voluntatis interno conſiſtit peccatum in conſcientia; nam coram DEO non peccat, qui ponit præciſè actum externum, v. g. occiſionem hominis in ſomno: ergo. 3. pœna peccati in conſcientia eſt infernus; ſed inferni pœnam infligere non poteſt legislator humanus; ergo nec obligare ſub hac pœna. 4. Obligatio legis pendet à voluntate legislatoris: ergo in ejus arbitrio eſt obligare in conſcientia vel non. 5. Imperatores antiqui & Ethnici nihil curârunt obligationem conſcientiæ, vel pœnam æternam alterius vitæ; atque moderni Principes ſæculares eodem, quo illi, modo leges ſtatuunt; Eccleſiaſtici autem ſaltem credendi non ſunt velle obligare ad pœnam æternam tunc, quando per ſuas leges decernunt pœnam temporalem. 6. *Juſto lex non eſt poſita.* 1. *Tim.* 1. hoc eſt, baptizatis non poteſt ab homine imponi lex in conſcientia obligans.

℞. ad 1. N. *Min.* nam transgreſſio legis humanæ

manæ ſaltem mediatè eſt transgreſſio legis Divinæ & Naturalis, ſubditos obligantis ſemper, ut Superiori legitimè imperanti Deique vices gerenti obediant. Ad 2. transmiſſis præmiſſis poteſt negari *Conſ.* Sed hoc omiſſo non opus eſſe ajo, ut legislator humanus directè præcipiat actum internum, ſi velit obligare in conſcientia: præcipiendo enim actum externum eo ipſo obligat in conſcientia ad actum externum ritè ponendum; quem ſi ponat ſubditus, de interna mentis diſpoſitione nihil curat legislator humanus. Retorquetur argumentum in obligatione privata, v. g. Titius tibi debet 100. florenos, hos ipſi condonare potes, vel exigere: ſi exigis, eum in conſcientia obligas ſolùm ad ſolutionem externam, haud multùm ſollicitus, an is det bonâ vel malâ voluntate. Ad 3. diſſimulato iterum vitio ſyllogiſmi, dico ſufficere, modò DEUS infligere poſſit & velit non obtemperanti legibus humanis. Retorſio poteſt eſſe, quam paulò antè dedi in debito privato, quo alterum obligas, etiamſi pœnam inferni nequeas infligere non ſolventi. Ad 4. pendet quoad exiſtentiam C. quoad eſſentiam N. ſuppoſito, quòd lex detur & duret, obligare debet ex natura ſua. Id verum eſt, quòd in arbitrio Legislatoris ſit moderari obligationem, & rem de ſe gravem præcipere ſub culpa levi; quamquam viciſſim nequeat rem levem præcipere ſub obligatione gravi, ut docet communis. Ad 5. Licèt Imperatores Ethnici fortè non explicitè intenderint ſubditos obligare in con-

Digitized by Google

ſcientia & ſub pœna inferni, voluerunt tamen uti poteſtate ſibi à DEO, mediante populo, conceſsâ, & ſic obligare, quantùm poterant. Quin ſufficit, quòd legislator humanus ſimpliciter obligare intendat; eo ipſo enim oritur obligatio in conſcientia; quia ipſe DEUS vult actum ab homine graviter præceptum vel prohibitum habere pro tali, & transgreſſionem vindicare. Superiores Eccleſiaſtici per hoc, quòd adjiciant pœnam temporalem ſuis legibus, malè præſumuntur nolle in conſcientia obligare ad actum directè intentum, niſi id aliquo modo indicent: &, quamvis non obligent ad actum immediatè intentum, debent tamen ſaltem ſub veniali obligare ad temporalem pœnam ſubeundam, ſi transgreſſoribus imponatur, ſi velint legem manere legem. Ad 6. Illa interpretatio textûs eſt hæretica. Melior hæc eſt, quòd juſtus (ſeu baptizatus) lege Ceremoniali vel Judiciali antiqui Teſtamenti non obligetur ampliùs. Vel quòd juſto (ſeu DEUM amanti) lex non ſit poſita velut onus ingratum, & compellens agere bene, ſed quòd ipſi ſit ſuavis invitatio ad bonum, licèt revera obliget.

39 Dico 3. Etiam lex fundata in præſumptione falſa obligat in conſcientia, ſi maneat vera lex. Ita quoad rem Suar. c. 23. à n. 6. Glettle n. 5. Antequam probetur aſſertio, eam ſic explico. Lex fundari *in Præſumptione* dicitur, quando præſumit vel ſupponit aliquid, nimirum vel periculum aliquod univerſale, vel factum aliquod particulare, v. g. lex requirens præſentiam

tiam parochi & duos teſtes ad Matrimonium, aut 7. teſtes ad Teſtamentum præſumit & ſupponit adeſſe grave periculum variorum incommodorum & fraudum: lex præcipiens obediri ſententiæ Judicis præſumit & ſupponit, eam eſſe juſtam. Quod ſuppoſitum ſi non ſubſiſtat, & re ipſa non detur, lex fundatur *in præſumptione falſa.* Unde etiam patet, legem poſſe fundari in præſumptione duplici modo, vel in præſumptione *periculi generalis*, vel in præſumptione *particularis facti*, *delicti*, *vel caſûs.* Si lex fundetur in præſumptione periculi univerſalis incommodorum, fraudum &c. etiamſi in caſu particulari periculum non ſubſit, v. g. negandi Matrimonium, à Caio & Bertha clandeſtinè contractum, nihilominus tamen lex permanet, & conſequenter obligat adhuc in conſcientia Caium & Bertham; quia fundamentum legis eſt periculum, quod permanere poteſt reſpectu aliorum caſuum, & ceſſante legis fine in particulari non hoc ipſo ceſſat lex, ut habet communis. Econtra ſi lex fundetur in præſumptione alicujus facti particularis, qualitatis, culpæ, negligentiæ, & tale factum &c. revera non ſubſit, tunc lex non ampliùs durat, adeóque nec obligat in conſcientia; quia fundamentum, ratio, & finis adæquatus legis ceſſat: ſic ſententia, qua condemnaris à Judice ad ſolvendum alteri, quod revera non debes, te non obligat in conſcientia, ſi tibi certum ſit, te nihil debere, & ſententiam ſaltem materialiter eſſe injuſtam. Idque confirmant exempla & textus *in c. 13. de*

Digitized by Google

Reſtit. Spoliat. & *c. 44. de ſent. Excom.* Jam ſic probatur aſſertio: Lex omnis, quæ & quamdiu exiſtit, obligat in conſcientia, ut patet ex aſſert. præced. Sed lex fundata in præſumptione falſa ſæpe exiſtit & permanet, ferè quoties nempe fundatur in præſumptione periculi communis, etiamſi in caſu aliquo particulari non ſubſit: ergo obligat in conſcientia. Quandónam autem lex fundetur in præſumptione periculi communis, vel tantùm facti aut circumſtantiæ particularis, deſumi debet ex materia & verbis legis, item ex uſu & communi legis interpretatione.

40 Dico 4. Invincibilis ignorantia legis humanæ excuſat ignorantem à culpa in foro ſaltem interno conſcientiæ. Sumitur ex *c. 2. h. t. in 6.* Ratio eſt manifeſta; quia ignorantia tollit voluntarium; cùm *nihil ſit volitum, niſi cognitum*: Sed quod voluntarium non eſt, formaliter & coram DEO peccaminoſum non eſt. *Invincibilis*, inquam, hoc eſt, inculpabilis, vel probabilis, quam videlicet aliquis adhibitâ debitâ diligentiâ vincere ſeu deponere non potuit, vel quando quis nullam apprehendit obligationem inveſtigandi; ut ſi tibi nihil incidat de die jejunii; vel ſi quidem incidat aliquid, tu tamen debitam diligentiam adhibeas ad cognoſcendum, an ſit dies jejunii, nihilominus tamen non innoteſcit: tunc enim licitè comedis carnes, & non jejunas. Si verò ignorantia eſſet *vincibilis*, ut ſi tibi occurrat prævia ſuſpicio vel dubitatio de die jejunii vel periculo peccandi; tu verò omittas debitam diligentiam in in-

in inquirendo, non excuſaret te à culpa: quia legem ſcire poſſes & deberes, ipſáque ignorantia tibi voluntaria, adeóque formaliter peccaminoſa exiſteret: quidquid ergo ex tali ignorantia culpabili naſcitur, voluntarium eſt in ſua cauſa, v. g. comeſtio carnis in die jejunii. Culpa autem erit gravis vel levis pro magnitudine commiſſæ negligentiæ.

Dico 5. Invincibilis ignorantia legis humanæ excuſat ignorantem etiam à pœna ſaltem in interno conſcientiæ foro. Ratio, quia ceſſante cauſa debet ceſſare effectus. *c. 60. de appellat.* ſed culpa eſt quaſi cauſa pœnæ, juxta *c. 23. de R. J. in 6. ſine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus*: ergo, ubi nulla eſt culpa in foro interno, locum non habet pœna in foro interno. Accedit, quòd leges ſolùm *adverſùs ſcientes* mandata paraverint pœnas. *l. fin. ff. de decretis ab Ordine faciendis.* Dixi rurſus, *invincibilis*; nam vincibilis non excuſat à reatu pœnæ, quam DEUS infligit, nec à pœna cenſurarum, quæ ligant animam, uti excommunicatio; nam *c. 2. de Conſtit. in 6.* ubi Bonifacius VIII. loquens de cenſuris per ſtatuta promulgatis, ut advertit Laym. *ad d. c. cum gl.* ſic pronuntiat: *ſententiis per ſtatuta quorumcunque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dummodo eorum ignorantia craſſa non ſit aut ſupina*, hoc eſt, mortaliter peccaminoſa. Excipe illos caſus, in quibus ipſum Jus infligit pœnam vel cenſuram iis tantùm, qui certo modo transgrediuntur legem, puta *ſcienter, temerè, præſumptuoſè, contumaciter &c.* quam- 41

vis enim aliàs *ignorantia craſſa & ſupina* in Jure æquiparetur ſcientiæ quoad culpam, imò & quoad pœnam cenſurarum juxta *d. c.* tamen ſi pœnam ſtatuens utatur tali expreſſione, non videtur talis pœna incurri etiam ab eo, qui laborat ignorantiâ craſsâ & mortaliter culpabili, quia propriè non eſt *ſcientia:* in odioſis autem & pœnalibus preſsè ſumenda ſunt verba legis *per c. odia. de R. J. in 6.* Imò multi hoc etiam extendunt ad ignorantiam *affectatam*, ſeu directè voluntariam, qua aliquis ſtudiosè non inquirit in veritatem, ne ſuis deſideriis contrarium intelligat; cùm neque talis ignorantia, quamvis in Jure æquiparetur dolo, propriè ſcientia ſit, nec verè contumacem conſtituat. Ex hoc etiam capite, quòd cenſuræ non ferantur niſi in *contumaces. c. 26. de appellat.* aliqui ab earum incurſione excuſant omnes ignorantes, etiamſi laborent ignorantiâ craſsâ & affectatâ, cùm quicunque ignorantes propriè contumaces non ſint. Verùm vehementer reclamat *c. 2. cit.* Reſpondent quidem aliqui, & inter hos Aug. Michel, tales ignorantes non quidem excuſari à culpa, ſed à pœna tantùm: at per hanc reſponſionem prædicta conſtitutio videtur reddi inutilis; cùm aliunde & per ſe clarum ſit, ignorantiam craſſam & ſupinam non excuſare à culpa.

42 Quæres, an delinquens incurrat pœnam à lege ſtatutam, qui legem quidem ſcivit, pœnam tamen adjectam invincibiliter ignoravit? ℟. ad hanc difficilem quæſtionem 1. ſi pœna ſit Medicinalis, nimirum excommunicatio vel alia

alia cenſura, eam non incurrit Laym. *l.cit n.1.* quia ad incurrendam cenſuram requiritur contumacia & virtualis quidam contemptus: non autem contemnit, qui ignorat. *l.50.ff. Locati:* Suar. *de Cenſuris. d.4. S. 9. n.19.* Excipe ſecundùm dicta laborantem ignorantiâ craſsâ, quia & iſte videtur contemnere, quando tam temerè ſe committit periculo agendi contra prohibitionem ſub cenſura. Ex hac doctrina, quòd non incurratur cenſura ab ignorante, ſuo delicto eſſe annexam cenſuram, innumeri ſcrupuli tolluntur: Jus enim Canonicum & Bullæ Pontificiæ ſcatent fulminibus excommunicationum & cenſurarum, quæ tamen à multis, aliàs etiam ſat eruditis, invincibiliter vel ſaltem ſine culpa gravi ignorantur, ac proinde ſaltem in foro interno non incurruntur. Nec obſtat, etiamſi actus ſit etiam prohibitus Jure Naturali aut Divino. Sanch. *lib. 9. d.32. n. 9.* ℞. 2. ſi pœna, quæ ignoratur, ſit vindicativa, & propter delictum etiam Jure Naturali vel Divino prohibitum lata, v g. propter furtum, adulterium, homicidium &c. nec lex principaliter intendat pœnam, incurritur etiam ignorata, quamvis non ſit obligatio exequendi in ſe pœnam talem ante ſententiam Judicis. Item incurritur, ſi lex in pœnam ſtatuat inhabilitatem vel irritationem aliquam, ſed principaliter inhabilitatem vel irritationem actuum, pœnam verò intendat ſecundariò, uti ſunt irregularitates ex homicidio illicito. Covar. *in c. Alma Mater de ſent. Excommun. p. 1. §.10. à n. 8.* ℞. 3. Si autem lex eſt verè pœnalis, & pœ-

nam intendit principaliter eum in finem, ut puniatur delictum, & homines intuitu hujus pœnæ abſterreantur à delictis hujuſmodi perpetrandis, probabiliter non incurritur pœna, quæ ignoratur eſſe annexa delicto, contra Legem humanam commiſſo. Sumitur ex Th. Sanch. *lib. 3. d. 17. n. 9. & 11.* & aliis, qui docent, pœnam ignoratam non incurri. Pariter non incurri etiam pœnas civiles, ſi ſint extraordinariæ, ab illo, qui ignoravit eſſe annexas ſuo delicto, docet Suar. Sanch. Palao *apud la Croix. de LL. n. 768.* Ratio utriusque eſt, quia aliàs delicta inæqualia punirentur pœna æquali; graviùs enim delinquit, qui violat legem, ſciens non ſolùm legem, ſed etiam pœnam annexam, quàm qui violat legem, & hanc ſolam ſcit: ergo qui ſolam legem ſcivit, non verò pœnam adjectam, præſertim extraordinariam, non incurrit pœnam; aliàs enim eodem modo puniretur, quàm qui utramque ſcivit, & legem & pœnam adjectam. Adde, quòd ignorans pœnam non ita cognoſcat rigidam obligationem legis, conſequenter minùs peccet, quàm legem & pœnam ſimul cognoſcens: ergo æquum eſt minùs puniri talem. Extendit ſe probabiliter reſponſio etiam ad leges illas, quæ ſtatuunt aliquam inhabilitatem per modum pœnæ, ſi illam inhabilitatem principaliter ut pœnam intendant: ſic juxta P. Krimer *ad tit. de eo, qui &c. à n. 1011.* & quosdam alios non incurritur impedimentum dirimens Criminis ab eo, qui ignorat, impedimentum hoc eſſe annexum ſuo delicto. Vid. infrà *n. 66.*

Dico

Dico 6. Ignorantia Juris Manifeſti, ſeu Legis humanæ certæ, licèt coram DEO ſit inculpata, regulariter tamen in foro externo non excuſat ignorantem à culpa Juridica, uti nec à pœna. Ratio; quia Leges humanæ, facta promulgatione, habent completam vim obligandi totam communitatem, & præſumuntur ſciri ab omnibus: ergo tam diu habentur omnes in foro externo pro legum gnaris, donec probaverint ignorantiam, quàm ad ſui excuſationem prætendunt. *l. regula §. ſed Juris ff. de J. & F. J.* ibi: *Regula eſt, Juris ignorantiam cuique nocere, facti verò ignorantiam non nocere.* Nec permittitur legum ignorantia. *l. penult. C. eod.* Accedit praxis tribunalium, pœnas infligentium transgreſſoribus legum, etiamſi dicant, ſe ignorâſſe leges ipſas, vel pœnam ab eis taxatam, niſi debitè probent, ſe ipſas leges ignorâſſe. Ratio poteſt eſſe; quia Leges pœnam temporalem externam ſtatuentes vindicare intendunt magis inobedientiam erga DEUM, quàm contumaciam erga homines, & ſanare per modum medicinæ. Dixi tamen, *regulariter*; in quibusdam enim perſonis toleratur ignorantia Juris, & ſcientia non præſumitur, ſi ſe ſciviſſe legem inficientur: tales ſunt Minores 25. annis: milites: ruſtici, & mulieres, ſaltem quando certant de damno vitando. Hos itaque excuſat à culpa Juridica, & pœna, etiam in foro externo, ignorantia Legis. 43

Dico 7. Metus vel periculum gravis mali, vel jacturæ in vita, membris, fama, fortu- 44

nis

nis &c. regulariter excuſat ab obſervatione legis merè humanæ, & quidem in utroque foro: Ita communior. Colligitur ex *c.* 2. *de obſerv. jejun. c.* 31. *de ſent. Excomm.* Ratio autem eſt; quia Legiſlator humanus nec vult nec per ſe poteſt obligare cum tam gravi incommodo; ſiquidem nec Reſpublica poteſtatem accepit ſubditos ſuos (extra cauſam gravem & publicam) privandi vitâ, fortunis &c. conſequenter neque cogendi ad ſubeundum tale periculum: & legum humanarum materia non debet eſſe nimis ardua, ut *n.* 6. docuimus, nimiúmque difficilis infirmitati humanæ. Dixi, *regulariter*, & per ſe; ſunt enim duo maximè caſus, in quibus humana lex cum certiſſimo etiam vitæ periculo obligat. 1. Quando legis humanæ transgreſſio fit intrinſecè mala, vel Divino honori aut Sacræ Religioni injurioſa: ſic non potes licitè comedere carnes die Veneris, ſi id jubearis facere in contemptum Religionis ſub minis adimendæ vitæ. Sic SS. Papa Clemens XI. uno abhinc anno declaravit, Siculos obligari obſervare interdictum, cui ipſe ſuppoſuit quasdam Eccleſias Siciliæ, etiam cum certo periculo fortunarum, exilii &c. quod Regii contra mandatum Papæ obſervari prohibebant; quia interdictum non obſervare in his circumſtantiis eſt præjudicioſum Auctoritati Pontificiæ, ac per conſequens Religioni, ac cedit in contemptum Clavium Eccleſiæ. 2. Quando bonum Reipublicæ, vel communis neceſſitas id exigit: ſic lege humana potes obligari ad aſſiſtendum peſtiferis, ad cuſtodiendam

dam civitatem ingruente bello &c. quia Jus Naturale dictat, bonum publicum eſſe præferendum privato. Itaque in his caſibus lex obligans non ampliùs eſt *merè* humana, ſed jam concurrit lex Naturalis, quæ per humanam adjuvatur & magis declaratur. Quando autem urget *Lex Naturalis*, nullus metus, nullum periculum excuſat, quia eſt immutabilis, utpote præcipiens intrinſecè bona, vel prohibens intrinſecè mala. Atque de prohibitis Jure Naturali intelligendum eſt, quod *c. 5. de his, quæ vi* dicitur: *licèt metus attenuet culpam, non tamen eam prorſus excludit*: quòd minuat culpam, indè provenit, quia minuit voluntarium; quod enim ex metu fit, fit aliquo modo contra inclinationem; quamvis abſolutè voluntariè & liberè fiat juxta illud: *coacta voluntas eſt voluntas. juxta l. 21. §. 5. ff. quod met.*

Petes, an etiam excuſet gravis metus vel 45 periculum ab obſervatione Legis Divinæ *Poſitivæ?* ℞. cum diſtinctione: ſi aliquid præcipit vel prohibet in bonum privatum ſubditorum, uti eſt lex de integritate confeſſionis, de præmittenda confeſſione ſumptioni Euchariſtiæ &c. non obligat indiſpenſabiliter, ſed metus gravis mali aut periculum magnæ jacturæ excuſat. Si verò aliquid præcipit vel prohibet in bonum commune, & propter utilitatem vel neceſſitatem Reipublicæ, uti eſt lex de ſigillo Confeſſionis Sacramentalis, de conſecratione utriuſque ſpeciei in Euchariſtia, de non impertienda abſolutione indignis &c. tunc indiſpenſabilis eſt & ſemper obligat, non obſtante quocun-

cunque metu vel periculo. Quandónam autem reſpiciat bonum commune, vel privatum lex Divina Poſitiva, arduum eſt in ſpecie determinare. Vid. Sanch. *l. 1. in Decal. c. 18.*

§. 5.

De Subjecto Legis: ſeu quinam obligentur Legibus.

46 Sciendum, expediti Juris eſſe, quòd Legibus obligentur ſoli ſubditi, rationis & doli capaces, cùm Lex neceſſariò procedat ab habente iurisdictionem, ſitque directiva actionum humanarum. Quare legibus Eccleſiaſticis non obligantur Infideles, non baptizati. *c. 8. de divort. Trid. Seſſ. 14. c. 2. de Sacram. Pœnit.* quamvìs obligentur Jure Divino Baptiſmum ſuſcipere & Eccleſiam ingredi. Econtra Hæreticos ligant per ſe leges Eccleſiaſticæ, utì & Apoſtatas, quia per baptiſmum ſubjecti ſunt veræ Chriſti Eccleſiæ, manéntque ſubjecti ſemper, ſicut character Baptiſmi perpetuò manet. *tit. de Hæret. & Apoſt.* Excuſantur tamen per accidens ſæpe propter ignorantiam hujus ſubjectionis & obligationis ſuæ. Controverſum verò eſt, utrùm teneantur legibus 1. Legislator. 2. pueri, ebrii, dormientes, amentes. 3. peregrini legibus ſuæ patriæ, item locorum, ubi tranſeunt, particularibus ſtatutis. 4. vagi legibus loci, in quo exiſtunt. 5. Clerici legibus Principum & Magiſtratuum ſæcularium. 6. Religioſi legibus Epiſcopalibus.

47 Dico 1. Legislator Princeps non tenetur legibus ſuis, niſi ex quadam decentia. Prob. 1. ex

ex *l.23.ff.de Legat.3.*ibi:*decet enim tantæ Majeſtati eas ſervare leges, quibus ipſe ſolutus eſſe videtur.* Et *l.31.ff. de LL.* clarè aſſeritur: *Princeps legibus ſolutus eſt.* Prob. 2. obligatio legis Poſitivæ tota pendet à voluntate Legislatoris: ergo ipſum ligare efficaciter non poteſt, utpote auferibilis per ipſum, quoties obſervare nollet. Prob. 3. Nemo poteſt in ſeipſum exercere jurisdictionem propriè; cùm nemo ſit ſuus ſuperior vel ſubditus, *nec imperare ſibi, neque ſe prohibere*, ut ait *l.51. ff. de receptis, qui arbitrium.* Dixi 1. *Legislator Princeps;* ſi enim legislator ſit Magiſtratus ex pluribus conſtans, Senatus, Capitulum cum Prælato, vel Concilium Diœceſanum cum Epiſcopo ſuo, quilibet tanquam privatus, & membrum communitatis, tenetur obſervare legem, per *c.6.h.t.* nam quatenus ſunt perſonæ ſingulares non ſunt Magiſtratus, ad cujus conſtitutionem requiritur Collectio. Dixi 2. *Legibus ſuis;* ſi enim ſuæ non ſint, h. e. ab ipſo Legislatore provenientes, ſed ab alio ſuperiore, vel à DEO, vel à Natura, utique obligabitur talis Princeps, & quidem titulô obedientiæ, ſicut alii ſubditi; cùm reſpectu hujusmodi legum non ſit legislator. Dixi 3. *non tenetur*, h. e. neque quoad *vim coactivam*, ſeu coërcitivam, quæ conſiſtit in hoc, quòd transgreſſor Legis incurrat reatum pœnæ, & per pœnam à Lege ſtatutam coërceri poſſit: neque quoad *vim directivam*, quæ conſiſtit in hoc, quòd transgreſſor Legis incurrat reatum culpæ, & peccet contra obedientiam; quia qui Superiorem non habet quoad talem legem,

Digitized by Google

legem, à nullo puniri, ac ipſe nulli obedire poteſt: nam reſpectu ſui ipſius nec ſuperior nec inferior, minùs ſuperior & inferior ſimul eſſe poteſt. Si verò per *vim directivam*, ut aliqui videntur ſumere, intelligas non vim obligatoriam dependenter à Legibus ipſius Legislatoris ortam, ſed ſolummodo decentiam & honeſtatem naturalem, admitto, eum obligari quoad vim directivam; ſiquidem. Dixi 4. *niſi ex quadam decentia*; nam ex æquitate & convenientia Naturali videtur teneri ſuis etiam Legibus, quando hæ reſpiciunt materiam communem, & Legislatori æquè ac ſubditis convenientem; præſertim circa ſolennitates contractibus, & taxam mercibus à ſe ſtatutam; id enim exigit Jus Naturale & Juſtitia Commutativa. Adde, quòd Principis exemplum apud ſubditos plurimùm valeat in utramque partem, ad obſervantiam Legum, & neglectum earundem.

48 Oppones 1. Si Legislator Princeps non tenetur Legibus ſuis quoad vim directivam, Pontifex non peccabit Sacrum non audiendo in die feſto; & Matrimonium validè contraheret; item valebit Teſtamentum Principis ſine debita ſolennitate ab ipſo præſcripta confectum &c. ſed hæc per ſe ſunt abſurda. 2. inſtar regulæ aſſeritur in *c. 6. cit. quod quisque juris in alterum ſtatuit, etiam ipſum debere eodèm uti.* Additur: *patere legem, quam tu ipſe tuleris.* Et *can. 2. d. 9.* affirmatur, *Principem legibus teneri ſuis.* Accedit *l. 4. C. de LL.* dicens: *digna vox eſt Majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem* pro-

profiteri. ℞. ad 1. Pontifex, non audiens Sacrum die feſto, non quidem peccat contra legem Eccleſiaſticam, utpote ſuam; poteſt tamen peccare contra Jus Naturale ratione ſcandali, vel venialiter contra Juſtitiam Legalem, quæ obligat, ut pars Communitatis ſe conformet toti, etiamſi Caput ſit; turpis enim eſt omnis pars ſuo toti non conveniens. *can. 2. d. 8.* quæ tamen conformitas non cenſetur graviter violari per unum tantum vel alterum actum difformem. Matrimonium Pontificis, carentis impedimento Juris Naturalis, eſſet quidem validum, at ratione voti, ſcandali &c. graviter illicitum: ſic & Teſtamentum Principis utique valeret, &, niſi ex accidenti redderetur illicitum, etiam abſque peccato fieret non obſervata ſolennitate ab ipſo introducta. Ad 2. Illa Jura, uti & alia ſimilia, plus non evincunt, quàm Legislatorem ſuis ligari legibus ex decentia naturali, vel ne det ſcandalum &c.

Dico 2. Pueri & puellæ legibus humanis obligantur ſub peccato poſt annum 7. ætatis completum, ſaltem regulariter: non verò ante. 49
Ita cõmunior partim contra D. Antoninum & pauculos alios, qui putabant, eos ante pubertatis annos non obligari, partim contra alios, qui cenſent eos obligari ante completum ſeptenniũ, caſu quo citiùs adepti fuerint uſum rationis. Quòd teneantur poſt 7. ætatis annum expletum, ſic probatur: Lex humana non determinans certum tempus rectè cenſetur obligare illos, qui ſunt rationis compotes, adeóque obligationis capaces. per *c. 12. de Pœnitentiis,*

Digitized by Google

tiis, ubi utriusque ſexûs fideles omnes, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, jubentur, ſaltem ſemel in anno omnia ſua peccata confiteri: ſed poſt completum 7. ætatis annum pueri & puellæ fiunt, & ſunt ordinariè rationis compotes, & præſumuntur habere annos diſcretionis: ergo. Quòd autem ante completum ſeptennium nunquam obligentur, etiamſi ob præcocitatem ingenii citiùs ſapiant, indè ſuadetur; quia leges humanæ attendunt ad ea, quæ communiter & ordinariè contingunt, neque præſumitur legislator humanus velle obligationem imponere, niſi ſecundùm comunem Naturæ curſum: ſed ante ſeptennium completum communiter & ordinariè non adeſt ſufficiens uſus rationis: ergo. Nec eſt ratio extendendi leges humanas ad caſus raró & merè per accidens evenientes, imò eſt ratio non extendendi, tum quia verſamur in materia odioſa, nempe de imponenda obligatione, tum quia aliàs plurimi orirentur ſcrupuli, ſi reſpectu quorundam citiùs inciperet obligatio. Dixi 1. *legibus humanis*; lex enim Naturalis & Divina ſtatim obligat adeptos uſum rationis, & præceptum ſufficienter cognoſcentes, etiamſi ſeptennium necdum attigiſſent: diverſis autem diverſo tempore accidit ſufficiens rationis uſus: puellæ, ſicut citiùs fiunt puberes, etiam citiùs ſapiunt, quàm pueri ordinariè, uti & filii nobilium, quàm ruſticorum, ob meliorem educationem. Dixi 2. *ſub peccato*; pœnas autem ordinarias à legibus humanis decretas non incurrunt ante annos pubertatis. *c. 1. 2. de delictis puerorum:*

Digitized by Google

rorum: imò de Jure Civili, quamdiu minorennes ſunt, ordinariè mitigari ſolet pœna. *l. 37. ff. de Minor.* Atque hinc impuberes non incurrunt ullam excommunicationem, non modò ab homine, ſed etiam (quod negat Suar. *de Cenſuris d. 5. S. 1. n. 9.* Ugolin. & Azor) à Jure latam, excepta excommunicatione Canonis propter percuſſionem Clerici, & excommunicatione lata in ingredientes Monaſteria Monialium. *c. 58. de ſent. Excomm. Trid. Seſſ. 25. c. 5. de Regular.* Pariter irregularitatem, ſicut prædictas duas excommunicationes, ortam ex homicidio incurrunt etiam impuberes. per *Clem. un. de homicid.* Dixi 3. *ſaltem regulariter;* quippe poſt completum etiam ſeptennium leges humanæ non obligant. 1. ſi nondum adſit uſus rationis. 2. ſi dubium ſit de ſufficiente capacitate ad implendum id, quod lex humana præcipit: ſic in praxi ſatius eſſe videtur, ſi Parochi non omnes ſtatim poſt ſeptennium admittant ad confeſſionem, ſed per unum vel alterum annum differri curent, quos non ſufficienter callere advertunt eſſentialia Confeſſionis, præſertim dolorem de peccatis & propoſitum; cùm juſta ſit cauſa non obſervandi præceptum Eccleſiæ, ubi eſt periculum violandi Juris Divini per fruſtrationem Sacramenti. Multò magis oportet differri Communionem, donec tanti Myſterii Majeſtatem ritè valeant æſtimare, ſcilicet uſque ad 10. vel etiam 12. ætatis annum: quæ determinatio prudentis Confeſſarii vel Parochi arbitrio relinquitur. 3. ſi ipſa lex aliud tempus deſignet: quo modo deſignat 21. an-

nos completos pro obligatione jejunandi, & 16. annos pro valore Profeſſionis Religioſæ. Quod de pueris ante uſum rationis dictum, etiam de perpetuò amentibus intellige.

50 Quid autem ſentiendum de ebriis, dormientibus, non perpetuò amentibus, ſeu habentibus lucida intervalla, quibus ſapiunt, & de iis, qui ignorant legem? ℞. obligantur legibus etiam Naturalibus & Divinis, ſed per accidens excuſantur à peccato formali, ſi eas transgrediuntur, & propter circumſtantiam aliquam ſomni, ebrietatis &c. quæ ipſos privat vel uſu rationis, vel advertentiâ ad obligationem requiſitâ, transgreſſio ipſis non imputatur ad culpam & pœnam (ſaltem ſi, cùm ſe inebriarent, non prævideriht, transgreſſionem legum in ebrietate probabiliter ſecuturam) quamvis materialiter peccent, ſeu re ipſa agant contra leges, ſub quibus & ipſi comprehenduntur. Nam diſcrimen bene notandum eſt inter hæc duo: *non obligari à lege; & : excuſari ab obſervatione legis*, etſi videatur eſſe quæſtio nominis: quippe qui non obligantur, ſeu non comprehenduntur à lege, illam nec materialiter nec formaliter violant, uti bruta, infantes, perpetuò amentes: qui verò obligantur, ſeu comprehenduntur ſub lege, excuſantur tamen per accidens, violant illam materialiter, ſed non formaliter. Atque ex hoc diſcrimine

51 Deciditur quæſtio illa in praxi utilis, an licitum ſit cooperari ad actionem lege prohibitam vel ad eam inducere illos, qui legem obſervare non tenentur. ℞. enim cum diſtinctione: licitum

tum eſt cooperari cum iis, qui à lege non comprehenduntur; non verò cum illis, qui comprehenſi excuſantur hic & nunc per accidens Ex quo infertur, pueris ante ſeptennium, perpetuò amentibus, non baptizatis, licitè apponi carnes in die jejunii; non item ebrio, dormienti, per intervalla deſipienti, vel ignoranti, eſſe diem jejunii. Dices: non habentes uſum rationis non comprehenduntur à lege: ſed ebrii non habent uſum rationis: ergo non comprehenduntur: ergo & iſtis poſſunt apponi carnes. 2. Illis licitè apponuntur carnes, quibuscum in lege jejunii diſpenſatum eſt, quamvis aliàs in ea ſint comprehenſi: ergo & ebriis &c. ℞. ad 1. Diſt. *Maj.* non habentes uſum rationis ſtabiliter, & velut habitualiter. C. *Maj.* ſolùm tranſeunter, ad modicam temporis moram, & per accidens, quales ſunt ebrii. N. *Maj.* Urgebis: nec pueri ſtabiliter carent uſu rationis, & tamen non comprehenduntur in lege. ℞. N. iterum paritatem; nam pueritia eſt impedimentum naturale ac toti hominum generi congenitum: ebrietas verò privat uſu rationis violenter & per accidens tantùm. Replicabis: ergo licebit pueros & perpetuò amentes etiam incitare ad ea, quæ ſunt contra legem Naturalem, & intrinſecè mala ſunt. v. g. ad blaſphemias, actus laſcivos &c. ſicut licet bruta carnaliter inter ſe conjungere. ℞. ad hanc ſatis difficilem replicam cum Palao & Aug. Michel, etiam pueros ante uſum rationis, & perpetuò amentes comprehendi à legibus Naturæ, ac iis obligari, & tantùm excuſari per accidens, partim quia aliàs

non poteſt dari ratio, cur pueros & perpetuò amentes non liceat ad actus Juri Naturali contrarios in objectione allatos incitare, quod tamen juxta pleroſque illicitum eſt, partim quia leges Naturales congenitæ ſunt Naturæ rationali, quamvìs aliqui in actu ſecundo per accidens uti ratione nequeant. ℞. nunc ad 2. N. *Conſ.* nam per diſpenſationem tollitur lex, non per ebrietatem &c.

52 Dico 2. Peregrini non obligantur legibus ſui domicilii & patriæ, à qua abſunt, ſi tales leges non obligent in loco ubi morantur, vel tranſeunt. Communis, & ſumitur ex *c. 2. h. t. in 6.* ibi: *extra territorium jus dicenti impune non paretur;* quia extra territorium exiſtens non eſt ſubditus: lex autem non alios ligat niſi ſubditos, & legislator ſui domicilii extra territorii ſui limites nihil habet, quod tibi imperet. Adde, quòd valde conveniens ſit ſe accommodare incolis loci, ubi quis exiſtit, juxta tritos illos verſus: *ſi fueris Romæ, Romano vivito more: ſi fueris alibi, vivito, ſicut ibi.* Et S. Aug. *in can. 11. d. 12.* ait: *ad quam fortè Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva.* Dixi 1. *Peregrini*, ſeu forenſes, qui quidem alicubi habent domicilium, in illo tamen loco, in quo morantur actu, nec domicilium, nec quaſi Domicilium ſortiti ſunt: per *Domicilium* intelligitur habitatio, ſaltem cæpta corporaliter, cum intentione ſtabiliter manendi in tali loco: per *quaſi Domicilium* verò intelligitur habitatio realis cœpta cum intentione in tali loco perſiſtendi per majorem ſaltem anni partem, ut ſolent ſtudioſi extra patriam verſantes in Academiis. Mercatores, Milites præſidia-

diarii, operam ſuam locantes ad longius tempus, ut famuli, ancillæ &c. Et hi, & illi, poſita habitatione phyſica cum prædicta intentione juxta communem ceſſant eſſe peregrini, & ſtatim fiunt ſubditi, obligantúrque legibus loci, in quo morantur, prima die; quamquam non deſint, qui apud Sanchez *l.3. de Matrim. d. 18. n. 8.* dicant, quaſi Domicilium non ſufficere ad inducendam obligationem legum talis loci, & verum domicilium nactos primùm poſt diuturnam habitationem obligari.

Oppones. Ex data doctrina ſequitur 1. quòd 53
aliquis è loco domicilii ſui egrediens, ubi viget lex Eccleſiaſtica, ſecundùm ſe univerſalis & lata pro tota Eccleſia, v. g. jejunii Quadrageſimalis, & commorans in loco, ubi hæc lex communis eſt ſublata vel per diſpenſationem, vel conſuetudinem, non teneatur obſervare talem legem, v. g. ſi in Quadrageſima civis Dilinganus, ubi non eſt diſpenſatum, iret Lavingam, ubi eſt diſpenſatum in eſu carnis, poſſet Lavingæ comedere carnes, & conſequenter ſi eodem die rediret Dilingam, etiam hìc cœnare, quia deſtructâ per eſum carnis ſubſtantiâ jejunii, non eſt obligatio abſtinendi à ſecunda refectione. Item Italus tranſiens per Germaniam poſſet comedere lacticinia &c. ſed iſta videntur nimis laxa. 2. ſequitur, quòd aliquis ſtudiosè poſſet egredi ad locum, ubi lex ſui domicilii non viget, eum in finem, ut poſſet v. g. comedere carnes in Quadrageſima, ut poſſet clandeſtinè contrahere Matrimonium in loco, ubi Tridentinum quoad hoc non eſt in uſu: ſed hujusmodi ſunt abſurda, & in fraudem legum. Sequitur 3.

quòd aliquis in die quodam feſto, quem celebrat Dilinga, non autem Lavinga, poſſet manè abire Lavingam, & ſic evitare obligationem audiendi Sacri. R. ad 1. N. *Min*. Non enim eſt ratio, cur peregrinus non poſſit gaudere favore locali, ubi exiſtit, etiamſi lex ſit communis & de ſe univerſalis, in tali autem loco non obſervetur licitè vel propter diſpenſationem, vel propter privilegium locale, vel propter deſuetudinem. Ad 2. N. iterum *Min*. conceſſa *Maj*. cum Suar. Leſſ. Sanch. per ea, quæ dicit *N. 28*. &c. contra Sairum, Rebellum; quia, qui utitur jure ſuo, non agit in fraudem. *l. 55. ff. de R. J.* ſed ſtudiosè egrediens eum in finem, ut liberetur à legis obligatione, utitur jure ſuo: quia lex v.g. jejunii non prohibet egreſſum etiam ex tali fine, ſed ſolùm præcipit in hoc loco obſervationem jejunii: excipe tamen alterum caſum de egrediente in locum, ubi Trid. non eſt receptum, ut ibi contrahat clandeſtinè, propter ſpecialem prohibitionem & conſtitutionem Urbani VIII. apud Lugo *in Reſponſis Moralibus l. 1. dub. 36.* Ad 3. Diſt. ſequelam: poſſet manè abire Lavingam, ſi poſt abitum celebratur adhuc Miſſa Dilingæ. C. ſecus. N. *ſequelam*. Ratio diſtinctionis eſt, quòd lex præcipiens auditionem Sacri obliget pro aliqua latitudine temporis ita, ut, ſi prævideatur poſtea non ampliùs audiri poſſe, tenearis prævenire: ſi itaque abires Dilingâ tali tempore, poſt quod non ampliùs dicetur ibi Sacrum, poneres impedimentum eo tempore, quo te obligat lex ad Miſſam: ſi verò abires citiùs, nondum te obligaret lex ad

ad audiendum Sacrum, cùm poſſes differre uſque ad ultimum Sacrum: & ſic non ageres in fraudem Legis: ille enim ſolus cenſetur agere in fraudem legis, qui ponit impedimentum obſervationi legis, quem actu jam obligat lex, ut non ponat impedimentum. v. g. qui obligatus ad horas Canonicas non ſibi comparat Breviarium, cùm poſſet. P. Buſenbaum & alii abſolutè negant, talem teneri ad Sacrum audiendum, antequam exeat ad territorium, ubi dies feſtus non eſt. Quod Gobath non improbabile judicat.

Dico 4. Peregrini regulariter nec obligantur legibus locorum, ubi tranſeunt vel morantur, ſaltem particularibus. Ita cum *gl. in can. 11. d. 12. v. liberas*, citante S. Auguſt. uterque Sanchez, Thomas & Joannes. Sylv. Laym. *l. 1. tr. 4. c. 12. n. 4.* & alii contra Navar. Suar. aliósque multos, quorum ſententiam Suar. *lib. 3. de LL. c. 33.* vocat communem Interpretum. Probatur: peregrini & advenæ non ſubſunt jurisdictioni Magiſtratuum, in quorum territoriis hoſpitantur & tranſeunt; quia non ſubſunt ratione domicilii, aut quaſi domicilii, non ratione contractûs vel delicti (quia ſupponitur, eos in tali loco non contraxiſſe, non deliquiſſe) nec alius modus, quo ſubjiciantur, aſſignari poteſt: ſed nullus obligatur Lege niſi ſubjectus jurisdictioni Legislatoris; ut Adverſarii non negant: ergo. Dixi 1. *Regulariter*, nam excipitur 1. ſi peregrini celebrent in tali diverſorio contractum, vel perpetrent delictum; his enim titulis fiunt ſubditi. *c. fin. de for. compet.* 2. ſi ex 54

transgreſſione Legum incolæ ſumerent ſcandalum, ut ſi quis advena in die feſto talis loci proprio cæderet publicè ligna: quod ſcandalum ceſſat, ſi transgreſſio fiat occultè, vel videntes moneantur, quòd juxta probabilem ſententiam Doctorum exteri non teneantur Legibus locorum, ubi morantur. 3. Si violatio talium legum cederet in detrimentum boni publici, vel etiam privatorum, in territorio, ubi commorantur: ut ſi vellent extrahere frumentum, equos, apparatum bellicum, merces &c. cum præjudicio incolarum, apud quos prohibetur talis exportatio *ſpecialiter* propter bonum publicum, & non tantùm generaliter, quo modo omnis lex ſpectare debet bonum publicum. 4. Si Leges ſpecialiter ſint latæ pro peregrinis, v. g. ne quis ultra triduum maneat in urbe. 5. Addunt plerique contra Jo. Sanch. & nonnullos alios, caſum, quo Leges loci per quem tranſis, etiam dantur & vigent in Patria tua, vel in loco tui domicilii. Sed hoc ex ratione difficulter probatur; nam Legibus patriæ abſens non tenetur, ut aſſertione præcedente dictum: ubi autem tranſis, vel hoſpitaris, non es ſubditus. Dixi 2. *Saltem particularibus*; major enim eſt difficultas, ſi in loco domicilii tui non ſit in uſu lex aliqua communis, v. g abſtinendi à Lacticiniis. *can. denique d. 4.* tu verò tranſis in loco, v. g. in Italia, ubi viget hæc lex communis; tunc enim probabiliùs teneris in loco tranſitûs, vel ubi hoſpitaris, obſervare talem Legem communem, ut fert tutior & communior opinio ex eo capite, quia conſuetudo vel privile-

vilegium, vi cujus in tuo Domicilio vel Patria
non obſervatur hæc lex, eſt locale, non perſo-
nale, adeóque non egreditur è loco cum perſo-
nis: ergo nullam ampliùs habes cauſam excu-
ſantem. Excuſat tamen te Sanch. *de Matrim. lib.*
3. d. 18. n. 7. cum quibusdam aliis, ob quorum
auctoritatem Ludov. Engel *hic n. 30.* non audet
peccati mortalis damnare illum Germanum,
qui per Italiam iter faciens in Quadrageſima
privatim & ſine ſcandalo veſcitur lacticiniis,
uti ovis, caſeo &c.

Oppones 1. Peregrini ſunt ſubditi Magiſtra-
tibus locorum, ubi tranſeunt: ergo. *Ant.* pa- 55
tet tum ex eo, quòd pro ipſis ſpeciales poſſint
leges decerni, ut faſſi ſumus; tum ex eo, quia
peregrini poſſunt Sacramentaliter abſolvi à pa-
rochis locorum, ubi hoſpitantur: abſolutio au-
tem hæc ſupponit jurisdictionem in dante. 2.
Sacerdos veniens ad locum interdictum non
poteſt ibi celebrare: ergo obligatur lege parti-
culari hujus loci. 3. Peregrini ſentiunt commo-
da locorum: ergo æquum eſt, ut ſentiant &
onera, nempe legum. 4. Si fueris Romæ, Ro-
mano vivito more. Et: ad quamcunque Eccle-
ſiam perveneris, ejus morem ſerva, ut dictum
ex *can. 11. cit.* ℞. ad 1. N. *Ant.* In ordine ad Le-
ges ſpecialiter pro peregrinis latas habet qui-
dem Magiſtratus loci jurisdictionem ex volun-
taria & tacita prorogatione peregrinorum,
qua ſe ipſi ſubjicere cenſentur per hoc, quòd ta-
lem locum ingrediantur: ſicut Jure Naturæ &
Gentium ſubjiciuntur quoad leges, quarum
violatio cedit in præjudicium Reipublicæ, apud
quam

Digitized by Google

quam degunt ad tempus. Parochi abſolvunt Peregrinos ex tacita licentia proprii eorum parochi, adeóque vi jurisdictionis delegatæ. Ad 2. Talis Sacerdos non prohibetur celebrare per legem particularem loci interdicti, ſed per legem Communem, celebrare in loco interdicto quocunque vetantem. Ad 3. D. *Conſ.* ſentiant onera, quæ poteſt imponere Magiſtratus loci. C. alia. N. *Conſ.* Ad 4. Illa dicta habent rationem conſilii, non præcepti: vel intelligenda ſunt de caſu, quo quis jam eſt ſortitus Domicilium, aut quaſi Domicilium: vel de caſu, quo ex transgreſſione naſceretur ſcandalum.

56 Dico 5. Etiam vagi (qui nimirum nullibi habent Domicilium, aut quaſi Domicilium) probabiliter non obligantur legibus particularibus locorum, ad quæ deveniunt, uti ſunt quidam nundinatores, & circumforanei. Ratio eſt eadem, quæ fuit data de peregrinis, quia ex nullo capite ſunt ſubditi. Sic etiam ſentiunt cum & apud P. Wieſtner *hic n. 114.* Leſſ. & Laym. quamvis communior cum Sanchez diſſentiat. Oppones 1. vagabundi hoc modo nullis tenerentur legibus humanis Civilibus; cùm nulla detur lex Civilis Univerſalis; imò non baptizati etiam immunes eſſent à Legibus Eccleſiaſticis Univerſalibus: ergo, ſi vagi non tenentur obſervare Leges particulares locorum, erunt omnino exleges, & exempti ab omni Lege humana; conſequenter non ſatis gubernarentur; cùm Leges Naturales & Divinæ non ſufficiant ad gubernandos homines, quantùm requirit ſalus tum Reipublicæ tum ſingulorum: ad quid enim aliàs

aliàs opus fuiſſet tot Leges humanas ponere? 2. Conſuetudo poteſt dare jurisdictionem per *c. 4. de Arbitr.* ſed praxis & generalis conſuetudo habet, vagos puniri, ſi transgrediantur particularia locorum ſtatuta: ergo Magiſtratus locorum habent jurisdictionem in vagos. ℞. Ad 1. Sufficit, quòd tales vagi, ſi Chriſtiani ſint, teneantur Legibus Eccleſiæ Univerſalibus, & iis particularium locorum ſtatutis, quorum transgreſſio affert ſcandalum, vel obeſt bono publico loci, &, quæ pro ſolis forenſibus latæ ſunt, legibus, ad quas poſteriores adſtringuntur etiam vagi Infideles: proinde non ſunt omnino exempti à Legibus humanis; nec obſunt Reipublicæ, in qua morantur, nec ſuæ ſaluti; cùm ſtatuta particularia præcisè reſpiciant bonum particulare locorum, adeóque eorum obſervatio vagis, uti peregrinis, neceſſaria non ſit. Ad 2. conſuetudo puniendi vagos, ut exiſtimo, erit tantùm circa transgreſſionem Legum particularium, quæ fit cum ſcandalo vel perturbatione Reipublicæ &c.

Dico 6. Clerici (idem eſt de Religioſis) ob- 57
ligantur vi directiva iis Legibus Civilibus, quæ immunitatem Eccleſiaſticam non lædunt, nec dedecent ſtatum Eccleſiaſticum; abſtrahendo, unde iſta obligatio proveniat. Haunoldus *tract. procem. à n. 80.* cum communi contra Navar. *Conſil. 3. de Conſtitut. n. 4. concl. 3.* Ratio, quia id exigit communio membrorum & tranquillitas Reipublicæ, quæ non poſſet ſubſiſtere, ſi una pars Communitatis, quam faciunt Clerici & Religioſi, cum altera, quam conſtituunt laici,

non

Digitized by Google

non conſpiraret, ac iisdem colligarentur omnes Legibus. Dixi autem 1. *quæ non lædunt &c.* ſed ſunt de materia tam Eccleſiaſticis quàm laicis communi, uti ſunt Leges, quæ formam præſcribunt contractibus, taxam ponunt mercibus, exportari frumenta prohibent &c. Quòd autem Clerici & Religioſi non teneantur Legibus ſæcularium, immunitati vel ſtatui ſuo iniurioſis, dictum ſuprà *n. 33.* & deciſum eſt in variis Juribus, nempe *c. 7. 10. h. t. c. 12. 18. de for. compet. Trid. Seſs. 25. c. 20. de Ref. Auth. Caſſa C. de SS. Eccl.* Dixi 2. *Abſtrahendo, unde hæc obligatio proveniat*, de quo lis eſt inter Auctores Catholicos: aliqui cum Soto vim obligandi Clericos directivam (quamvis non coactivam) tribuunt ipſis Legibus Civilibus; ſed hoc non placet, cùm perſonæ Eccleſiaſticæ à jurisdictione ſæculari ſint omnino exemptæ, ut dicetur *de foro compet.* Alii cum Vaſq. volunt hanc obligationem provenire ex æquitate & decentia naturali. Alii cum Bellarm. & Suar. cenſent, eam oriri ex voluntate, & approbatione ſaltem tacita ſummi Pontificis, quam approbationem videtur etiam exigere ipſa naturalis æquitas, & Reipublicæ quies. Quorum poſteriorum opiniones & ego approbo. Unde ſi fortè Clericus transgrediatur talem legem à Magiſtratu ſæculari latam, peccat quidem, conveniri tamen non poteſt coram Judice laico, etiam juxta Sotum; quia talis conventio ſupponeret poteſtatem etiam coactivam in Judice laico.

58 Dico 7. Religioſi exempti non ligantur legibus Epiſcopalibus per ſe & regulariter. Communis

munis

Digitized by Google

munis, & ratio eſt clara; quia nemo tenetur legibus eorum, quibus non eſt ſubditus: ſed Religioſi exempti non ſunt ſubditi Epiſcopis Confirmatur: loca exempta à jurisdictione Epiſcopi æquiparantur locis extra diœceſim ſitis, ut docent paſſim: ſed leges Epiſcoporum non ligant extra diœceſes illorum, per *c. 2. h. t. in 6.* ergo. Dixi 1. *Exempti;* Alii enim, à jurisdictione Epiſcopi non exempti, utique ejus ſubjacent legibus. 2. *per ſe;* per accidens enim, ſi ex non obſervatione fortè oriretur ſcandalum, obligari poſſent. 3. *Regulariter;* quippe multi ſunt caſus, in quibus ſubſunt jurisdictioni Epiſcoporum: cujusmodi caſus 116. enumerat Chokier. Specialiter autem Tridentinum *Seſſ. 25. de Regular. c. 12. & 13.* Exemptos ſubjecit Epiſcopis quoad obſervationem feſtorum, quoad proceſſiones publicas &c. ab his tamen Proceſſionibus Trid. excipit Carthuſianos, & alios ad perpetuam Clauſuram obſtrictos, & Gregorius XIII. Religioſos Societatis JESU.

§. 6.

De Legibus odioſis: in ſpecie de Legibus Tributorum, de Lege Pœnali, & Lege Irritante.

Sciendum 1. Diſſimulatis aliis diviſionibus Legis in Naturalem & Poſitivam, Divinam & Humanam, Eccleſiaſticam & Civilem, de quibus ſuprà in Prolegomenis, hic à nobis conſiderari ſpecialiter Diviſionem Legis in odioſam & favorabilem. *Odioſa* eſt, quæ principaliter tendit in alicujus onus vel pœnam, intellige 59

onus

Digitized by Google

onus diſtinctum ab obligatione ſervandi Legem; aliàs omnis Lex deberet dici Odioſa. *Favorabilis*, quæ principaliter ſpectat alicujus favorem, intellige diſtinctum à bono Communitatis, quod ſpectare debet omnis Lex. Odioſa ſub ſe duas principaliter ſpecies continet, Legem *Pœnalem*, & Legem *Irritantem*. Lex *Pœnalis* eſt, cui adjicitur pœna in transgreſſores: ſi lex faciat præcisè mentionē pœnæ absque eo, quòd aliquid præcipiat vel prohibeat, vocatur *purè pœnalis*, ut ſi dicat: qui exportaverit frumentum, 50. florenis mulctabitur: ſi autem præcipiat, vel prohibeat aliquid, atque ſimul in transgreſſores ſtatuat pœnam, dicitur *pœnalis mixta*: Sicut illa, quæ aliquid præcipit ſimpliciter, vel prohibet ſine adjectione pœnæ, appellatur *merè præcipiens*, aut *merè prohibens*. Altera ſpecies Legis odioſæ, nimirum Lex *Irritans* eſt, quæ actum aliquem irritat, h.e. invalidum reddit & nullum: quo pacto Conc. Trid. irritavit Matrimonium, quod attentatur ſine præſentia Parochi & teſtium. Cæterùm cùm ad Leges odioſas pertineant etiam Leges *tributorum & vectigalium*, præſtat etiam de his aliquid meminiſſe.

60 Sc. 2. Plurimùm referre, num lex odioſa ſit, vel favorabilis; nam odioſa ſtrictæ interpretationis eſt, & reſtringi debet, quantùm patitur verborum proprietas. Favorabilis autem latæ interpretationis eſt, & extendi ac ampliari debet, quantùm fieri poteſt ſalva verborum ſignificatione. *c. odia. 15. de R. J. in 6.* Sic in favorabilibus nomine *Civium* veniunt etiam Clerici, & no-

Digitized by Google

& nomine *Clericorum* veniunt etiam Epiſcopi ac Religioſi: non item in odioſis. At quia in eadem Lege ſæpe concurrunt odium & favor, v. g. *in can. ſi quis ſuadente. 17. q.4.* ubi fertur excommunicatio latæ ſententiæ in eos, qui manus violentas injiciunt Clericis, continetur lex favorabilis Clericis, ſed ſimul odioſa percutientibus; ideo non levis eſt difficultas in diſcernendo, ſitne lex odioſa, an favorabilis. Sanch. Covar. & alii dant hanc regulam, quam & ego probo: quando odium & favor Legis ſeparari poſſunt, tum quatenus uni favet, favorabilis, & quatenus alterum premit, odioſa eſt dicenda. Si autem favor & odium inſeparabiliter connexa ſint, ſpectanda eſt intentio Legislatoris, & videndum, quid ille primariò intendat: ſi principaliter intendat alicujus favorem, alterius verò odium ſecundariò tantùm, abſolutè & ſimpliciter habenda eſt lex pro favorabili; ſicut viciſſim pro abſolutè odioſa, ſi principaliter alicujus onus. Haun. *l. cit. n. 7.* Peckius in *c. 15 cit.* Sic ſi Princeps alicui conceſſit Caſtrum, videtur etiam conceſſiſſe ſupellectilem & res mobiles. *l. 2. c. de bonis vacant.* Sic privilegium dotis extenditur ad filios, & dignitas mariti ad uxorem. Econtra reſtringi debet lex, ſi ex indiciis colligi poſſit, Legislatorem velle reſtringi: ſic privilegia, quàmvis videantur principaliter ſpectare favorem, tamen ſtrictæ interpretationis ſunt, quia vulnerant Jus Commune, quod Legislator tueri cenſendus eſt, quamdiu non apertè oppoſitum declarat. In dubio præſumendum eſt, Legem potiùs eſſe favorabilem,

quia de Principe præſumendum eſt potiùs beneficium quàm onus.

61 Sc. 3. Irritationem dividi 1. ratione modi in directam & indirectam. *Directè* & explicitè irritatur actus aliquis, quando Lex illum expreſſis verbis vult irritum: cujusmodi clauſulæ irritantes ſunt hæ: *irritus ſit: non valeat: robur & firmitatem non habeat: pro infecto habeatur: inutiliter agat: locum non habeat: nullam obligationem inducat: non faciat ſuum: teneatur in conſcientia reſtituere &c.* Verbum, *non poſſe*, ambiguum eſt, an irritationem vel ſimplicem prohibitionem denotet: id proinde ex ſubjecta materia & circumſtantiis deſumendum videtur. *Indirectè* ſeu implicitè irritatur actus, quando lex certam formam aut ſolennitatem in Actu vel Contractu ſervandam præſcribit, licèt de invaliditate illius nihil expreſsè dicat; ſicut enim in Phyſicis forma (intellige ſubſtantialis) dat eſſe rei, pertinétque ad eſſentiam ejus intrinſecam, ita etiam in Moralibus, ita ut ſine tali forma actus non ſubſiſtat. Cæterùm non omnis forma & agendi ratio, à Legibus præſcripta, ſemper eſt ſubſtantialis, ſed quandoque accidentalis tantùm, uti ſunt denuntiationes contractui Matrimoniali præmittendæ. Quare ut cognoſcas, an ſubſtantialis vel accidentalis ſit, hanc regulam ex DD. applica: quando lex alicui, qui priùs non habuit poteſtatem agendi, eam confert ſub certa ratione, conditione, modo; iſte modus ſpectat ad ſubſtantiam actûs. Exemplum habes in *c. 22. de Reſcr.* ubi irritus pronuntiatur actus Delegati, niſi obſervet formam in delegatio-

gatione poteſtatis præſcriptam. Econtra quando lex alicui, qui jam antecedenter habuit poteſtatem agendi, præſcribit & ſuperaddit certum modum & formam obſervandam, eam non pertinere ad ſubſtantiam, ſed eſſe accidentalem cenſebis: ſic forma excommunicandi in ſcripto & appoſitâ causâ, uti præſcribitur *c. 1. de Sent. Excom. in 6.* ſolùm accidentalis eſt; quia Epiſcopi, quibus hæc forma præſcribitur, jam antecedenter habent poteſtatem excommunicandi. In dubio, ajunt, præſumi formam eſſe ſubſtantialem. 2. Dividitur ratione effectûs in irritationem *latam* & *ferendam*, ſeu qua vel ipſo jure nullus declaratur actus, ita ut non indigeat reſciſſione, ſententiâ, aut etiam declaratione Judicis, uti eſt Matrimonium clandeſtinè initum: vel qua actus ſolùm irritandus pronuntiatur aut reſcindendus per ſententiam Judicis, uti contractus emptionis, in quo fraudatus eſt venditor ultra dimidium juſti pretii; quamvis antecedenter ad ſententiam Judicis ſubſiſtat. Hanc irritationem poſteriorem indicant hæ legum clauſulæ: *irritetur: annulletur: reſcindatur &c.* quæ tamen verba etiam irritationem ipſo Jure inductam denotare poſſunt in duplici caſu, quando nempe reſpiciunt actum, qui ſemel validus reſcindi ampliùs nequit, ut Matrimonium & Profeſſio Religioſa, item quando ipſa executio actûs eſt illicita & prohibita, v.g. uſura in pactum deducta, vel fornicatio; cùm implicet, ut quis obligetur ad illicitum; conventio autem, quæ non producit obligationem, eo ipſo nulla eſt. 3. Dividitur ratione finis in Pœ-

nalem & non Pœnalem. *Pœnalis* irritatio eſt, quando lex annullat actum in pœnam delicti; quo modo irritat Matrimonia per cædem conjugis, vel per adulterium cum promiſſione Matrimonii procurata. *t.t.de eo,qui duxit &c.* contractus uſurarios, collationem beneficii Simoniacam. *Non Pœnalis*, quando lex irritat actus intuitu boni communis, vel certarum perſonarum: ſic irritat Matrimonium clandeſtinum, fidejuſſionem uxoris pro marito, contractus pupillorum ſine authoritate Tutorum celebratos.

62 Sc. 4. de prædictis legibus utiliſſimas æquè ac ſcitu digniſſimas quæſtiones moveri. 1. An detur lex purè pœnalis. 2. Utrùm lex pœnalis mixta obliget in conſcientia ad actum à Lege intentum; quòd enim omnis lex obliget in conſcientia ſaltem ad aliquid, nimirum ad pœnam ſubeundam, ſi ea infligatur, ſuprà *à n.37.* dictum eſt. 3. An Leges tributorum & vectigalium obligent in foro conſcientiæ interno 4. An irritatio pœnalis reddat actum invalidum ac nullarum virium ante ſententiam Judicis, qua vel fiat vel declaretur nullus. 5. An id ſaltem faciat irritatio non pœnalis. 6. An omnis actus à Lege prohibitus generaliter habendus ſit etiam pro irritato: ſeu an lex, aliquem actum prohibens, hoc ipſo eundem irritet regulariter & per ſe, niſi nempe ex verbis vel circumſtantiis colligi poſſit, prohibere tantùm, & non irritare. 7. An actus vel contractus à Lege irritante non pœnali irritatus propter defectum ſolennitatis præſcriptæ etiam invalidus ſit in foro conſcientiæ interno, ita ut, ſicut civiliter & in foro

Digitized by Google

foro externo non parit actionem, neque pariat obligationem naturalem in foro interno & in conſcientia, v. g. an is, qui propter defectum ſolennitatis præſcriptæ electus eſt ad Prælaturam invalidè, vel alius, qui ex alienatione non ſolenni conſecutus eſt rem Eccleſiaſticam, illam vel hanc retinere poſſit in conſcientia, ſaltem ante declarationem nullitatis.

Dico 1. Datur lex merè pœnalis, ſeu talis, 63
quæ obligat in conſcientia ad pœnam temporalem, non verò ad ipſum actum, quem lex intendit per pœnam. Suar. *l. 5. c. 4. n. 7.* Sanch. Paulus Mezger. Tales de facto ſunt Leges Militares, lex prohibens malefactori effractionem carceris &c. quæ quamvis minitentur graves pœnas, in conſcientia tamen ad omiſſionem horum actuum non obligare cenſentur. Ratio petitur ex voluntate Legislatoris, utpote in cujus arbitrio eſt obligare vel ad actum & pœnam ſimul, vel ad pœnam tantùm: ergo ſi is non utitur verbis *præceptivis*, ſed merè *pœnalibus*, nec aliunde colligi clarè poteſt, eum velle obligare etiam ad actum, uti non deſumitur in præfatis legibus, rectè cenſetur obligare ad pœnam tantùm, & non ſimul ad ipſum actum. Oppones. Omnis pœna ſupponit culpam, cùm ſit punitio & vindicta culpæ: ergo. ℞. Supponit culpam vel Theologicam vel Politicam ſeu Civilem. C. ſemper Theologicam & in conſcientia. N. *Ant. & Conſ.* Dein juſtè infligitur pœna etiam ſine culpa, ubi adeſt juſta cauſa alia infligendi. *arg. c. 23. de R. J. in 6.* Dixi in aſſertione, *ad pœnam temporalem;* ſi enim pœna ſit ſpiritualis, v. g.

excommunicatio, ſuſpenſio &c. lex obligat etiam ad ipſum actum, vel omiſſionem, quia ejusmodi pœnæ, ligantes immediatè animam, exigunt prævium culpam coram DEO. Aſſertio procedit etiam de lege pœnali *mixta disjunctivè*, h. e. quæ prohibet actum & minatur pœnam ſub disjunctione hoc modo: aut nemo evehat frumentum, aut, qui evexerit, 50 florenis mulctabitur. At non de lege pœnali *conjunctivè mixta*, quæ nimirum conjungit utrumque, prohibendo & actum & minando pœnam, hoc modo: nemo deinceps frumentum evehat; qui autem evexerit, 50. florenos amittat; de qua

64 Dico 2. Lex pœnalis mixta obligat in conſcientia ad actum ipſum, & ſimul ad pœnam, niſi aliunde conſtet de mente Legiſlatoris. Suar. Palao, Haun. & alii paſſim contra Navar. in Manuali *c. 23. à n. 55.* Covar. & Valentiam, qui putant, nullam omnino legem pœnalem obligare in conſcientia, modò transgrediens paratus ſit ſubire pœnam à Judice impoſitam, aut legem non ex contemptu Superioris transgrediatur, aut transgreſſio non cedat in præjudicium Reipublicæ, vel in damnum alicujus tertii. Noſtra ſententia ſic ſuadetur: Legislator humanus poteſt obligare in conſcientia ad ipſum actum, quem intendit, vel ad ejus omiſſionem, ut nemo Catholicus facilè negaverit: ergo cenſendus eſt actu obligare, quando in lege mixta utitur verbis *præceptivis* vel *prohibitoriis*. Nec obeſt, quòd adjiciat pœnam; hanc enim non eo fine adjicere credendus eſt, ut obligationem ad actum vel omiſſionem actûs, quam ipſa verba

ba indicant, tollat vel mitiget, ſed potiùs ut urgeat & exaſperet. Addidi, *niſi aliunde &c.* cùm ex voluntate Legislatoris unde unde manifeſtata pendeat vis legis. Signa autem, quòd obligare ad actum in conſcientia non intendat, poſſunt eſſe 1. ſi non utatur verbis præceptivis, vel prohibitivis, ſed indifferentibus; nam in dubio mitior pars eligenda eſt, quæ removet obligationem: niſi pœna adjecta foret valde gravis, v.g. mortis, exilii, infamiæ; tam gravem enim pœnam non apponeret, niſi ſeriò intenderet obligare ad ipſum actum. 2. ex materia & objecto legis; ſi enim materia ſecundùm ſe ſit prorſus indifferens, nec contra Jus Naturale aut Divinum, & finis legis obtineri ſatis poſſit citra obligationem in conſcientia impoſitam, uti eſt v. g. ne quis noctu ambulet ſine lumine; ne quis ferat certum genus veſtium, armorum &c. 3. ex conſuetudine & praxi, quæ eſt optima legum interpres: & ex hac probabiliter excuſantur à peccato in conſcientia, qui jaculantur feram contra prohibitionem Principis, etiam ſub gravi pœna vetantis fericidium.

Oppones 1. Eſt ſententia probabilis, quòd nulla lex pœnalis obliget in conſcientia ad ipſũ actum: ergo eſt dubium, an obliget: ergo de facto non obligat; quia in dubio præferenda eſt pars benignior. 2. Legislator humanus imponendo pœnam temporalem hoc ipſo cenſeri debet nolle imponere pœnam æternam, obligando in conſcientia ad actum, quam poſſet ſimul imponere; qui enim unum exprimit, & alterum tacet, cenſetur excludere, quod tacet.

arg. c. nónne de Præſumpt. ℞. ad 1. eſt probabilis extrinſecè ſeu ab auctoritate. C. intrinſecè, ſeu ex ratione & fundamento gravi, in quo demum fundatur vera probabilitas, N. *Ant.* Nulla certè apparet ratio prudens præſumendi, quòd legiſlator nolit obligare ſecundùm naturam legis, per ſe ſemper ad actum ipſum à lege intentum in conſcientia obligantis, niſi exprimat, vel aliunde conſtet, quòd ad ſolam pœnam obligare velit. Ad 2. N. aſſertum: quod additur ex c. *nónne*, procedit de caſu, quando id, quod tacetur, non ineſt per ſe: obligatio autem in conſcientia ad actum, adeóque ad pœnam æternam legi ineſt per ſe: ergo.

65 Dico 3. Leges Tributorum, Vectigalium, & aliarum exactionum, ſi aliunde non conſtet, vel ſaltem prudenter dubitetur de earum injuſtitia, obligant in conſcientia, etiamſi transgreſſoribus ſtatuant pœnas, adeóque licèt ſint leges pœnales mixtæ. Sequitur ex aſſertione priore tanquam ſpecies ex genere, & ulteriùs probatur 1. ex Scriptura S. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, præcipit Chriſtus *Luc.* 20. & Paulus: *neceſſitate ſubditi eſtote, non tantùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam: ideo enim & tributa præſtatis - - - reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Rom.* 13. Prob. 2. Subditi tenentur dare alimenta Principi ex lege Naturæ: ſed tributa pertinent ad alimenta & ſuſtentationem Principis, & ſolùm determinatio taxæ ſeu certæ quantitatis provenit à lege Poſitiva. Nobiſcum ſentit communis contra Angelum, Diaz, & Cardenas in *Criſi*

tr. 1.

Digitized by Google

tr.1.Diſſert. 16. Dixi tamen 1. *ſi aliunde non conſtet de injuſtitia earum* (ut ſi conſtet, quòd non applicentur ad neceſſitates publicas, ſed ad luxum, vel ad uſus non neceſſarios) juſtè enim negatur, quod injuſtè petitur. 2 *vel prudenter dubitetur*, an nempe adſit ſufficiens cauſa & publica neceſſitas imponendi tributa nova & inſolita; hæc enim Auctoribus valde ſuſpecta ſunt: in tali dubio aliqui abſolutè excuſant ſubditos, mihi tamen præplacet, quod monet Sylv. & Molina *to. 3. d. 674. n. 7. 9.* videlicet pœnitentes ad ſolvenda talia tributa adducendos eſſe, ne ſe periculo injuſtitiæ exponant; ferè ſicut aliàs obligantur in dubio ad obedientiam Principi exhibendam: ubi tamen tributa jam negârunt, non ſemper gravis peccati arguendos, neque ad reſtitutionem cogendos; cùm in dubio melior ſit conditio poſſidentis: & multi doceant non improbabiliter, regulariter neque ſubditos teneri ad reſtitutionem jam defraudati tributi in conſcientia ante ſententiam Judicis, multò minùs ad mulctam, non ſolventibus tributa taxatam. Quoad extraneos & non ſubditos, à quibus pro tranſitu ab alieno Principe exiguntur pedagia & tributa, adhuc minor eſt obligatio. Rurſus etiam ſubditos pauperes excuſant multi à gabellis ſolvendis, quæ ſunt impoſitæ rebus importatis vel exportatis, ad victum neceſſariis, & illos, qui tantùm ſubinde defraudant; eò quòd præſumant de benignitate Principum, non tanto rigore ab his perſonis eas exigentium. Præterea excuſant illos, qui ſine fraude vel mendacio diſſimulant & non in-

 dicant

Digitized by Google

dicant merces; eo quòd conſuetudo fortè obtinuerit, pro illis rebus nihil ſolvendum eſſe in conſcientia, pro quibus nihil petitur, quamvis per ſe obligatio eſſet eas ſponte indicandi.

66 Dico 4. Si irritatio, ſeu lex irritans eſt pœnalis, tunc actus legi contrarius regulariter non eſt irritus ante ſententiam Judicis, vel annullantis, vel nullum declarantis. Ratio; quia pœna ordinariè non incurritur ante ſententiam Judicis. A Judice tamen talis actus reſcindi poteſt; aut, ſi ipſo Jure pronuntietur irritus, declarari tanquam nullus. Evitatur hæc irritatio pœnalis omni eo modo, quo evitantur aliæ pœnæ, nimirum per invincibilem ignorantiam, clarè probatam, vel per aliquam neceſſitatem, quæ culpam excludat; quia ubi nulla eſt culpa, vel non oſtenditur fuiſſe, ibi locum non habet pœna; cùm culpa ſit cauſa pœnæ, & irritationis pœnalis. Sed quid, ſiquis legem prohibentem ſcivit, pœnam tamen irritationis ignoravit? ℞. quamvis in foro externo ſoleat juxta communiorem ſententiam haberi actus pro nullo, eò quòd ſciens prohibitionem, quam transgreditur, jam reum ſe faciat pœnæ, cùm ſciat, omnem culpam eſſe dignam pœnâ, etiamſi ſpecialem pœnam ſuo delicto decretam ignoret: nihilominus ſi lex irritationem principaliter ſtatuat pro pœna, non improbabile judico irritationem ab ignorante non incurri, v.g. impedimentum criminis dirimens Matrimonium ab eo, qui ignoravit ſuo delicto annexum eſſe hoc impedimentum; præſertim cùm irritatio ſit pœna quædam extraordinaria. Confer dicta *n. 42.*

& i Iau-

& Haunold. *tract. procem. n. 104. & in.* Dixi, *regulariter*, ſi enim actus ſit talis, qui ſemel validus irritari nequit per ſententiam Judicis, ut Matrimonium & profeſſio Religioſa, tunc utique non per ſententiam primùm reſcindi debet vel declarari nullus, ſed antecedenter jam eſt habendus pro nullo.

Dico 5. Si irritatio non eſt pœnalis, tunc incurritur ante ſententiam Judicis ſaltem in foro externo. Seu actus, legi irritanti non pœnali contrarius, eſt nullus ipſo Jure ſaltem in foro externo. Molina *tr. 2. d. 468. n. 15.* Covar. Bonac. & communiter alii, contra Sylv. Navar. Emman. Rodriq. *to. 1. Regular. q. 27. art. 9.* putantes, quòd actus à lege irritati propter non ſervatam formam præſcriptam, uti eſt alienatio rerum Eccleſiaſticarum ſine conſenſu Capituli & Superioris, per ſe ſint validi, licèt obnoxii reſciſſioni per ſententiam, modò habeant ea, quæ Jure Naturali requiruntur. Sumitur *ex c. 1. & 8. de his, quæ à Prælato. Clem. 1. & c. 1. de reb. Eccl. alien. in 6.* Ratio eſt, quia lex humana poteſt tales actus omnino irritare: ergo cenſetur actu irritare ante omnem ſententiam, quando utitur clauſula irritante. Nec ignorantia legis prohibentis, multò minùs ignorantia inductæ irritationis, impedit nullitatem actûs. per *c. 1. de Præb.* quia ignorantia, quamvis poſſit impedire culpam & pœnam, non tamen impedire poteſt vim legis, volentis actum eſſe nullum. Sic invalidum eſt Matrimonium contractum cum conſanguinea, etiamſi hoc impedimentum Juris fuerit ignoratum, Profeſſio Religioſa ante 67

16. ætatis annum, licèt putes, te honeſtè agere. Sed hìc adverte, quòd, ſi actus ſit irritatus in favorem certæ perſonæ, is non cenſeatur irritus, quando cedit in utilitatẽ talis perſonæ, per *R. J. 61. in 6.* ne, quod in alicujus favorẽ eſt introductum, in ejus diſpendium retorqueatur: ſic valet contractus pupilli, ſi cedat in utilitatem pupilli, quamvis foret nullus, ſi cederet in illius damnũ.

68 Dico 6. Probabile eſt, quòd actus, à lege humana irritatus ſimpliciter, non hoc ipſo irritus ſit in foro interno, ſed quòd valeat & obligationem pariat in conſcientia. Hæc aſſertio multos & magnos habet Adverſarios, Vaſq. Lug. Dicaſtill. Bonac. Dian. Azor. Haun. Cavarr. Gomez, Menoch. Arnoldum Rath, Engel *hìc à n. 54.* & recentiores Juris Conſultos paſſim. Sed & habet inſignes Patronos, nempe Molin. Leſſ. Wading. & ex Juriſtis Innoc. *in c. 42. de Elect.* Panormit. *in c. 1. h t.* Felin. Fachin. Manticam, Julium Clarum, Sichardum, Zœſium, Wieſtner *ad tit. de Elect. à n. 191* His multùm accedunt Suar. Sanch. Palao *de LL. d. 2. pu. 10. n. 5. 7.* qui, quamvis doceant, actum v. g. Teſtamentum debitis ſolennitatibus deſtitutum, eſſe quidem nullum, in foro tamen conſcientiæ non eſſe nullum exiſtimant, niſi accedente ſententia declaratoria Judicis; adeóque dicunt, nullitatem hanc in foro interno quoad effectum non dari, vel potiùs non ſtringere, antequam actus declaretur nullus à Judice. Probatur 1. negativè. Non apparet ſufficiens ratio aſſerendi, actum etiam pro foro interno eſſe irritatum, quem lex irritat ſimpliciter tantùm: ergo. Confirmatur: Lex

Lex irritans actum ipſo Jure, eſt correctoria Juris Naturalis (hoc enim ſolo ſpectato actus foret validus in utroque foro) & odioſa: ergo ſi irritet actum ſimpliciter tantùm, quin exprimat ſatis, quòd velit irritare etiam in conſcientia & pro foro interno, id non eſt aſſerendum; cùm odia ſint reſtringenda, & nulla obligatio aſſerenda, quæ nec ex Jure, nec ratione ſufficienter probatur: atqui irritatio pro foro interno non ſatis probatur ex Jure, nec ex ratione. Prob. 2. ex *regula Juris 57. in 6.* ubi dicitur: *contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, interpretatio eſt facienda:* ergo, ſi Legislator ſimpliciter tantùm irritet actum, nec ſatis declaret, utrùm pro foro etiam interno irritet nec ne, intelligenda lex eſt de irritatione pro foro externo tantùm: præſertim cùm *in obſcuris minimum ſit ſequendum. reg. 30. in 6.* hoc eſt, quod minùs gravat, & minùs obligat. Prob. 3. ex illis Juris textibus, qui aliquos actus propter impedimentum Jure humano introductum irritantes addere ſolent clauſulas, quibus inſinuant irritationem etiam pro foro interno, v. g. dicendo: *etiam in foro animæ non ſuffragentur.* Vel: *absque alia declaratione.* Vel: *quod obtentum eſt, non valeat retineri;* ergo, ubi lex tantùm *ſimpliciter* irritat ſine tali clauſula denotante irritationem pro utroque foro, ſignum eſt, quòd non pro utroque, ſed pro externo tantùm foro irritare intendat. Præſertim cùm ſæpe ſufficiat ad finem Legis, modò actus pro externo foro ſit nullus, & probato defectu vel impedimento Judex debeat pronuntiare actum nullum, eíque omnem vim

au-

auferre; nam fateor, poſt Judicis ſententiam declaratoriam naſci obligationem in foro etiam interno parendi. Confirmatur ex illis textibus, in quibus actus ipſo Jure irritati dicuntur irritandi vel reſcindendi: ſic *c. 8. de Conſuet.* & *c. 40. de Elect.* dicitur electio, quæ ipſo Jure eſt irrita, *caſſari, reprobari:* ſed irritari, reſcindi, caſſari, reprobari ſupponit valorem actûs: electio autem vel alius actus ipſo Jure irritatus non habet valorem pro foro externo: ergo debet habere valorem pro foro interno, antequã reprobetur, caſſetur, &c. ita ut electus ante ceſſationem poſſit Prælaturam retinere in conſcientia.

69 Oppones 1. Quando Trid. irritat Matrimonium clandeſtinum, non addit clauſulam, ex qua colligatur irritatio etiam pro foro interno, & tamen nemo negat, quòd tale Matrimonium etiam irritum ſit in foro interno: ergo. 2. Quando Jus reſiſtit actui cum clauſula irritante, ex tali actu nec naturalis obligatio oritur, ſeu nulla obligatio, ne in conſcientia quidem, ut colligitur ex *l. non dubium 5. C. de LL.* ergo, quando Jus irritat ſimpliciter aliquem actum, irritat etiam pro foro interno. 3. Lex irritans actum reddit homines inhabiles ad eum ponendum, iisque poteſtatem adimit: ſed actus geſtus ab inhabili, & poteſtatem non habente, idem eſt ac actus non geſtus: ergo nullam omnino obligationem, etiam in conſcientia, parit, ſicut actus non geſtus. ℞. ad 1. N. *Conſ.* & paritatem; quia Tridentinum non modò irritat Matrimonium clandeſtinum, ſed expreſsè reddit Chriſtianos

ſtianos ad ſic contrahendum inhabiles. *S. 24. de ref. Matr. c. 1*, quod poſterius non facit quodlibet Jus irritans aliquem actum, v. g. electionem laborantis impedimentô Juris humani, vel irritans alienationem rei Eccleſiaſticæ immobilis ſine ſolennitatibus. Deinde Matrimonium ſemel validum non poteſt irritari per ſententiam utpote inſolubile ex natura ſua; econtra alii actus poſſunt per ſententiam reſcindi vel declarari nulli, etiamſi ante ſententiam in foro interno ſtringant. Ad 2. Diſt. *Ant.* nec naturalis obligatio oritur, ſi ſit irritatus pro utroque foro, vel ſit actus ex natura ſua irreſcindibilis, ut Matrimonium, vel Profeſſio Religioſa. C. *Ant.* ſi tantùm ſimpliciter irritatus, & actus ex ſe reſcindibilis ſit. N. *Ant. & Conſ.* Ad 3. Diſt. *Maj.* reddit homines inhabiles ad agendum, vel ipſis adimit poteſtatem agendi, quando id exprimit. C. *Maj.* quando non exprimit, ſed ſimpliciter tantùm irritat actum. N. *Maj.* Sicut, quando Jus prohibet actum, non hoc ipſo ſemper eundem irritat, ita quando irritat, non ſemper perſonas reddit inhabiles ad agendum; ſiquidem

Dico 7. Quandó Lex ſimpliciter prohibet 70
aliquem actum, & non addit clauſulam irritantem, actus legi contrarius non eſt irritus, ſed tantùm illicitus. Adeóque generaliter non omnia, quæ contra legem prohibentem fiunt, ſunt irrita. Ita cum pleriſque Theologis & cum Canoniſtis plurimis Felin. *in c. 2. de Conſtit. n. 5.* Innoc. *in c. ſi verè de ſent. Excom.* ac alii contra Baldum, & Legiſtas innumeros, item contra Panormit. ac alios, quos ſequitur Robertus König

nig ad hanc rubr. *n. 26.* ubi (quod non poſſum non mirari) fidenter dicit, *communem eſſe ſententiam, utroque Jure inutilia & pro infectis habenda eſſe, quæ ſimpliciter contra Jus fiunt;* cùm tamen plerique Theologi adverſentur, ut etiam teſtatur P. Schmier *de Jure Legali n. 169.* cum eruditiſſimo Suar. qui *l. 5. c. 25. n. 22.* noſtram aſſertionem putat eſſe communiter receptam, ſaltem ſiſtendo in natura & verbis Legis prohibentis. Prob. 1. ex Jure Canonico facilè, & vix non evidenter *ex c. 16. de Regular.* ubi Innoc. III. per modum jam certæ & generalis regulæ ſic pronuntiat: *multa fieri prohibentur, quæ, ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Sic prohibitum quidem & illicitum eſt Matrimonium, quod contrahitur cum voto ſimplici Caſtitatis (vel cum impedimento alio impediente) contrahitur tamen validè. *c. un. de Voto in 6. c. 1. de eo, qui cognovit.* Sic Matrimonium clandeſtinum ante Trid. erat graviter prohibitum, non tamen irritum &c. ergo, quando Jus prohibet aliquem actum ſimpliciter, & non addit clauſulam irritantem, nec aliunde colligi poteſt, quòd voluntatem agentis reddat inefficacem, vel perſonam ipſam inhabilem, vel vim obligandi auferat actui, & ſic irritet, generaliter cenſendum eſt actum non irritare. Prob. 2. ex Jure Civili, quo tamen maximè nituntur Adverſarii. *L. 1. §. biduum ff. quando appellandum* prohibetur quidem ſententiæ prolatio ſub conditione: ſic prohibita & illicita quidem eſt rem uni jam venditam vendere alteri; hæc tamen altera venditio, ſi accedat traditio rei venditæ, vali-

Digitized by Google

validà eſt, ut docet communis ex *l. 15. ff. de R.V.* Prob. 3. ſolidiſſimè hoc modo: *prohibere* actum & *irritare* ſunt effectus prorſus diverſi, ut nemo negat, terminos intelligens: ergo Lex *ſimpliciter prohibens* non eſt Lex eo ipſo *irritans*, cùm iſti duo effectus ſunt ſeparabiles, uti evidenter vidimus in allatis exemplis. Prob 4 Irritatio eſt ſpecialiter odioſa, & repugnans naturæ actûs, utpote qui de Jure Naturali eſt validus, ut ſuppono: ergo verbum prohibendi non debet extendi ad effectum irritandi, quem de ſe non ſignificat, nec aliunde cognoſcitur intentus à Legislatote. per *c. 15. de R. J. in 6.* Confirmatur 1. *contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, eſt interpretatio facienda. c. 57. eod.* ergò, ſi Legislator clarè non expreſſit irritationem, ſicut potuiſſet, meritò fit interpretatio contra irritationem, etiamſi illam intendiſſet Legislator. Confirm. 2. Irritatio, quæ incurritur propter Legem violatam, ſaltem aliquo modo pœnalem, eſt pœna: pœna autem non incurritur ipſo facto, niſi Lex id exprimat.

Oppones 1. *Quæ contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, ait *reg. 64. in 6.* Ergo generaliter, quæcunq; prohibentur, etiam de Jure Canonico irrita ſunt, niſi aliunde colligatur oppoſitum. 2. & principaliter ex *l. non dubium 5. C. de LL.* ubi clarè aſſeritur, nullum pactum, conventionem, aut contractum valere, qui fit contra prohibitionem Legis. Et additur: *quæ Lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolùm inutilia, ſed pro infectis etiam habeantur, licèt Legislator fieri prohibuerit tantùm, nec ſpecialiter di-* 71

xerit inutile eſſe debere, quod factum eſt. Confirmatur ex *l.6. C. de Pactis*, ibi: *pacta, quæ contra Leges, Conſtitutionésque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim haberi indubitati Juris eſt:* ergo ſaltem de Jure Civili rectè traditur hæc regula generalis: omnis actus, qui fit contra Jus, hoc ipſo eſt irritus, ſeu lex prohibens actum hoc ipſo irritat eundem, niſi vel ex ipſa Lege, vel ſubjecta materia, vel aliunde colligatur, Legem prohibere tantùm, & non irritare ſimul. 3. Voluntas inferioris non poteſt eſſe efficax contra voluntatem Superioris, per *c. veniens de Jurejur.* vel contra voluntatem Juris, per *c. 2. de teſtib.* ſed quando Jus ſimpliciter prohibet actum, reſiſtit ipſi voluntas Superioris, & Jus non cooperatur actibus contra legem factis. 4 Ex actione peccaminoſa non poteſt aliquis conſequi fructum, vel effectum: ſed actus, qui fiunt contra Legem prohibentem, ſunt peccaminoſi. 5. Lex Eccleſiæ prohibens Matrimonia inter conſanguineos eadem irritat, etiamſi verba legis ſonent ſolam prohibitionem: ergo & aliæ Leges prohibentes per ſe irritant. 6. Lex Naturalis prohibendo actum facit illum irritum: ergo & Leges Poſitivæ.

℞. Ad 1. Diſt. *Ant.* quæ fiunt contra Jus irritans expreſsè, vel formam ſubſtantialem actibus præſcribens, pro infectis haberi debent. C. *Ant.* quæ contra Jus prohibens. N. *Ant. & Conſ.* Vel: *pro infectis*, h. e. infirmis, & quæ à Judice reſcindenda ſunt, vel declaranda tanquam nulla. C. *Ant.* id enim indicare videntur verba, *pro infectis haberi*. Pro ipſo Jure invalidis ante omnem

nem ſententiam. N. *Ant.* & *Conſ.* Ad 2. aliqui dicunt, tales actus, quos non expreſsè irritat lex, vel irritos eſſe ipſo Jure non inſinuat, eſſe quidem nullos eatenus, quatenus non oritur ex illis actio Civilis efficax, non tamen eſſe ita irritos, ut re ipſa non ſubſiſtant, & obligationem naturalem non pariant. P. Suarez *c.28.n.9.* ait, eſſe nullos, h. e. retractationi obnoxios, ita ut, poſtquam ſententia lata fuerit contra valorem, cenſeantur nulli non tantùm ab ipſo puncto, in quo Judex pronuntiavit, ſed etiam ut ſententia retrotrahatur uſque ad tempus, quo actus eſt celebratus: ante ſententiam verò non eſſe irritos in effectu. Utraq; reſponſio eſt ſatis commoda. Addunt alii tertiam, & dicunt, dictas *l. 5.* & *6.* intelligendas eſſe de pactis & contractibus ſuper re inhoneſta, v. g. de occidendo, adulterando &c. vel quibus præbetur anſa delinquendi, uti eſt pactum affirmativum de futura hæreditate, promiſſio de beneficio nondum vacante, pactum de uſuris, quia hujusmodi actiones ſunt propriè & ſtrictè *contra* Jus. Vel exaudiendas eſſe de perſonis, quibus Leges adimunt poteſtatem agendi, aut quas ad agendum reddunt inhabiles. Ad Confirmationem applica reſponſionem ad 1. vel etiam ad 2. datam. Ad 3. Diſt. *Min.* reſiſtit ei voluntas Superioris vel Jus, ſimpliciter prohibendo tantùm, ut ponendo actum agat illicitè. C. *Min.* irritando, ita ut ponendo actum operetur invalidè. N. *Min.* Ad. 4. N. *Maj.* validitas enim actûs ſæpe etiam juxta Adverſarios oritur, etjamſi actus ſit illicitus: ſic utique valet Matri-

monium contractum ab eo, qui ligatur voto ſimplici Caſtitatis, conſecratio hoſtiæ, vel abſolutio à peccatis illicitè data &c. Imò DEUS ipſe aſſiſtit valori talium actuum, etiamſi non aſſiſtat malitiæ. Ad 5. Communis ſenſus Doctorum & Eccleſiæ praxis declarat ſatis mentem Legislatoris prohibentis Matrimonia inter cōſanguineos. Item ſatis clarè deſumitur à contrario ex *c.4. de conſang.* quòd ſit lex irritans. Ad 6. Jus Naturale, ut docent Suar. & Sanch. ſolùm in duplici caſu irritat actus, quos prohibet, videlicet 1. quando fiunt ab eo, qui caret poteſtate eos celebrandi, ut ſi quis donet rem non ſuam. 2. quando res & materia actûs perpetuam continet malitiam & turpitudinem, ut ſi quis paciſcatur de fornicatione committenda, de uſuris ſibi dandis &c. nam conventio & exactio uſurarum, earúmque jam ſolutarum retentio ſemper manet illicita. Alii actus, quos prohibet Jus Naturale, facti tenent, ſtando in ſolo Jure Naturali.

§. 7.

De Interpretatione Legis, & Epijkia.

72 Sciendum. Cùm tota Legis obligatio pendeat à mente & voluntate Legislatoris, hæc autem quandoque dubia ſit, quousque ſe extendat, & an in hoc vel illo caſu particulari Legislator obligare intendat, opus eſt ſubinde uti *Interpretatione*, ſeu declaratione Legis, & quandoque *epijkia*, quæ ſpecies eſt interpretationis. Interpretatio eſt triplex: Authentica, Uſualis. & Doctrinalis. *Authentica* habet vim Legis, ſi

ritè

ritè publicetur. *c. inter alia de ſent. Excomm.* fieríque poteſt à ſolo Legislatore, vel ejus Succeſſore, aut Superiore. *Uſualis* fit per uſum & conſuetudinem, quæ dicitur optima Legum interpres. *Doctrinalis* fit à Doctoribus, & inferioribus Judicibus, imò à quolibet viro prudente & docto in tali materia. Ubi Doctores omnes conſpirant, faciunt moralem certitudinem: ubi diſcrepant, probabilitatem. Hic ſermo erit de ultima tantùm interpretatione, & de *Epijkia*, quæ latinè *Æquitas* dicitur, & magis mentem quàm verba Legislatoris attendens judicat, credibile non eſſe, quòd Legislator in his circumſtantiis obligare velit, licèt caſus aliàs in verbis Legis comprehendatur. Tale Judicium ex æquo & bono attentis circumſtantiis formare quandoque non tantùm Judex poteſt, ſed & alii homines prudentes.

Dico 1. Per interpretationem extendenda 73
eſt lex ad caſus ſimiles, vel etiam graviores (modò latè & aliquo ſaltem modo ſignificentur per verba Legis) ſi in iis reperiatur eadem ratio. Ita teſte P. Wieſtner *ad hanc Rubr. n. 135.* multi graves DD. qui ex *l. 9. §. 2. ff. de Edendo, & l. 32. ff. ad l. Aquil.* deduxerunt hoc axioma: *ubi eadem eſt ratio, ibi debet eſſe eadem Juris diſpoſitio:* quippe ubi prorſus reperitur eadem ratio in aliis caſibus vel perſonis ſimilibus, quos & quas verba legis, ſaltem latiùs accepta, etiam ſignificant, caſus in Lege poſitus, vel perſona, cenſetur poni per modū exempli potiùs, quàm reſtrictionis ad hunc caſum, vel ad hanc perſonam duntaxat. Sic juxta D. Georg. à Widmont

extendi poteſt. *Novell.* 115. ut filius, inceſtum committens cum matre, exhæredari poſſit à patre, licèt *Novell. cit.* loquatur explicitè tantùm de inceſtu cum Noverca, & ſimul addat, ut præter 14. ibi adductas exhæredandi cauſas *nemini liceat ex alia lege ingratitudinis cauſas apponere;* quia pugnat eadem ratio ingratitudinis *erga patrem* (quamvis non *erga Rempublicam*) in inceſtu cum Matre, quæ in inceſtu cum Noverca, & ex altera parte per Novercam in lata acceptione ſignificatur etiam Mater. Dixi, *ſi in iis reperiatur eadem ratio*, ſeu *identitas Rationis*, quæ bene diſtinguenda eſt à *paritate* vel *ſimilitudine rationis*; nam identitas dicit omnimodam paritatem rationis absque formali diſcrimine in uno ac altero: econtra paritas rationis eſt tantùm convenientia rationis ſecundùm quid, & ex alia parte. Aſſertio regulariter non procedit in odioſis, ubi etiam propter identitatem vel majoritatem rationis non eſt facienda extenſio ad caſus vel perſonas non expreſſas, niſi detur correlatio inter illas, vel talis connexio, ut unum contineatur in altero tanquam pars in toto, vel aliàs ſequeretur abſurdum vel iniquitas in Lege. Videantur, quæ dicuntur ad *tit. de Priv. & de V. S.*

74 Quæres, quænam ſint cauſæ extendendi vel reſtringendi Legem? ℞. 1. cauſæ extendendi ſunt 1. generalis locutio Legislatoris. 2. materia favorabilis, circa quam verſatur lex. 3. evitatio abſurditatis, iniquitatis, inutilitatis in Lege, quæ ſequerentur, niſi fieret extenſio. 4. ſimilitudo aliorum caſuum. ℞. 2. Cauſæ reſtringendi

gendi

gendi ſunt. 1. materia Legis odioſa, vel pœnalis. 2. ſpecialis ratio inſinuata in Lege vel privilegio, quæ in aliis perſonis vel caſibus non expreſſis non militat. 3. evitatio abſurditatis &c. quæ ſequeretur, niſi fieret reſtrictio. 4. ceſſatio cauſæ finalis immediatæ & adæquatæ, quam ſpectabat Legislator.

Dico 2. Per interpretationem poſſunt qui- 75
dem & debent Judices in judicando extendere Legem ad caſus ſimiles, ubi reperitur par ratio, ſeu paritas rationis; privatis tamen hominibus id regulariter non licet. Prior pars patet ex *l.10. 12. & 13. ff. de LL.* Ubi redditur hæc ratio; quia non poſſunt omnes caſus & articuli ſingillatim exprimi in legibus: ergo, cùm Judices debeant omnes caſus & cauſas decidere, debent à caſu ſimili, qui exprimitur in Jure, vel à paritate rationis juvari, & extendere Legem poſſe ad caſum, quem præ manibus habent. Concordat *c. 3. h. t.* Unde natum eſt hoc axioma: *caſus ſimilis expreſſo à Lege non cenſetur omiſſus.* Poſterior pars indè infertur, quia apud privatos homines non eſt illa neceſſitas, quæ apud Judices, legem extendendi ad caſus ſimiles: ergo inhærere debent verbis Legislatoris, cùm is potuerit velle de uno, non verò de altero caſu, etiam ſimili diſponere: nec *ratio Legis eſt lex*, ut habet commune pronuntiatum. Si tamen eſſet ſpecialis cauſa extendendi, etiam privati extendere poſſent: talis cauſa reperitur 1. *in correlativis*, ſeu iis, quæ dicunt mutuam relationem ad invicem, uti maritus & uxor, ſponſus & ſponſa &c. videtur enim abſurdum & iniquum non ſerva-

re æqualitatem in correlativis, ac proinde ex *l. fin. C. de indicta viduitate* ſumpſerunt DD. hoc axioma: *quod eſt diſpoſitum in uno correlativo, cenſetur etiam diſpoſitum in alio.* Hinc, quia Maritus lucratur dotem (propter adulterium uxoris. *c. 4. de donat. inter vir. & uxor.* viciſſim etiam uxor lucrabitur donationem propter nuptias propter adulterium viri. 2. *in connexis*, tali connexione, ut unum ſubordinetur alteri, vel in altero contineatur velut pars in toto, aut imperfectum in perfecto, aut ut minus in majore: ſic, cui conceditur facere Teſtamentum, conceditur etiam facere Codicillum. 3. quando aliàs ſequeretur abſurdum vel iniquitas in Lege, aut quando aliàs redderetur inutilis & ſine effectu, niſi extenderetur lex: ſic extendenda eſt lex, quæ prohibet uſurariis condere Teſtamentum, etiam ad perfectionem Codicilli, & ad donationem mortis causâ, licèt aliàs in odioſis non veniant nomine Teſtamenti. 4. in *æquiparatis* à Jure, ſed in ordine ad illa tantùm, in quibus æquiparantur Minor & Eccleſia quoad reſtitutionem in integrum, & in aliis quibusdam, non verò in tempore ad præſcriptionem contra eos requiſito, quidquid à Jure ſtatutum eſt de Minore circa reſtitutionem in integrum, obſervari & cum Eccleſia debet; nam Minor non gaudet privilegio 40. annorum, ad præſcribendum contra Eccleſiam requiſitorum, quo gaudet Eccleſia. Tres primæ cauſæ procedunt ferè etiam in Lege odioſa.

76 Dico 3. Per Epiikiam licitè reſtringitur omnis lex (excepta irritante) modò adſit juſta cauſa

Digitized by Google

cauſa credendi, mentem Legislatoris non fuiſſe in his circumſtantiis obligare. Sumitur ex *l. 8. C. de Judic.* ibi: *placuit in omnibus rebus præcipuam eſſè juſtitiæ æquitatìsque, quàm ſtricti juris rationem.* Conſonat *reg. 90. ff. de R. J. In omnibus quidem, maximè tamen in Jure, æquitas ſpectanda eſt:* Ratio, quia, cùm non poſſit Legislator omnia eventa prævidere, vel in lege ſua omnes circumſtantias casûs ponere, oportet particulares caſus relinquere prudentûm judicio & æquitati metientium, an hic & nunc obligare velit legislator. Dixi 1. *modò juſta adſit cauſa;* cujusmodi foret, ſi lex in certis circumſtantiis fieret nimis dura, vel irrationabilis, vel iniqua: ſic Monialium clauſûra non ita ſtringit, ut exortô incendiô, vel ingruente hoſte, non liceat illis fugere ad vitandum mortis periculum: ſic lex jejunii obligare non cenſetur in caſû gravis infirmitatis. Si dubium ſit, an juſta ſit cauſa præſumendi, legislatorem hic & nunc non obligare, interrogandus is eſt, ſi commodè poteſt: ſecus, ſi abſens ſit, & commodè interrogari nequeat; tunc enim ſufficit probabilis opinio ad excuſationem, qua cenſes, eum hic & nunc non velle obligare. Dixi 2. *omnis lex*, nempe non tantùm humana, ſed etiam aliquæ ex Divinis & Naturalibus: ſic Chriſtus reprehendit Judæos, ita ſtrictè obſervari Sabbathum volentes, ut ne quidem curationem infirmorum putarent eo die licitam: ſic erravit Jephte. *Jud. 11.* qui ob votum, quo promiſerat DEO immolare, quod ſibi domum revertenti primùm occurrerit, judicavit obligatione Naturali ſe teneri ad immolan-

dam propriam filiam, quæ primò occurrerat: ſic præceptum Divinum de integritate Confeſſionis limitatur in variis caſibus: ſic præceptum naturale non accipiendi alienum in extrema neceſſitate cenſetur non obligare &c. Imò etiam in contractibus & aliis negotiis ſæpe locus eſt epijkiæ; nam in contractibus bonæ fidei multa ſubintelligi cenſentur ex æquo & bono, de quibus tamen ne quidem cogitatum eſt à contrahentibus. Gl. *in §, actionum 28. Inſt. de action.* Dixi 3. *excepta irritante*, hæc enim non recipit interpretationẽ ex æquo & bono; quia non attendit ad caſus & rationes particulares, ſed præcisè ad rationem communem & uniformitatem actuum. Hinc Matrimonium, etiamſi ob peſtem graſſantem &c. haberi nequeat præſentia Parochi & teſtium, ſine his tamen invalidè contrahi, putant plurimi.

§. 8.

De Modis, quibus ceſſat lex, præcipuè de Diſpenſatione.

77 Sciendum, leges ceſſare dupliciter poſſe. 1. univerſaliter reſpectu omnium, ita ut neminem ampliùs ligent. 2. particulariter reſpectu alicujus perſonæ, vel certi ſtatûs hominum. Univerſalis ceſſatio fit 1. *irritatione*, quando, qui legem tulit vel confirmare debet, ſtatim initio eam non urget, ſed vult, ut lex neminem obligare incipiat. 2. *Abrogatione*, quando lex obligandi vim, quam aliquando habuit, iterum amittit, nimirum vel per revocationem Superioris expreſſam, vel per legem contrariam, vel per

per conſuetudinem oppoſitam. Abrogationi vicina eſt *Derogatio*, per quam aufertur lex quoad aliquam ſui partem reſpectu omnium, ſicut per abrogationem tollitur tota reſpectu omnium. 3. *ceſſante aliquo eſſentiali conſtitutivo* legis, videlicet vel ceſſante fine, quem legislator intendit, vel materiâ legis mutatâ, ut ſi reddatur moraliter impoſſibilis, vel inhoneſta Particularis ceſſatio contingit potiſſimùm duplici modo, nempe *privilegio*, quo unus vel plures eximuntur ab obſervatione legis ſtabiliter, & *diſpenſatione*, qua plerumque quoad unum tantùm actum eximuntur, permanente interim lege quoad Communitatem in ſuo generali vigore. Hic de duplici tantùm modo; nempe quo ceſſat lex ratione *finis*, & ratione *diſpenſationis*, agere juvat & ſufficit. Per *diſpenſationem* intelligitur relaxatio legis, publica auctoritate facta pro aliquo particulari caſu vel perſona, manente interim aliorum obligatione. Suar. *l.6.c.10.*

Dico 1. Ceſſante fine legis intrinſeco & adæquato reſpectu Communitatis ceſſat eo ipſo 78
lex. S. Thomas *1. 2. q. 90. a. 2.* & cum hoc plerique alii. Ratio eſt clara ex definitione legis, ex qua conſtat, finem legis eſſe bonum ſeu utilitatem Communitatis: ergo hac utilitate ceſſante ceſſat aliquid eſſentiale legis: ergo ceſſante fine legis non minùs ceſſat ipſa lex, quàm ceſſat homo ceſſante aliquo ejus conſtitutivo. Hac de cauſa ceſsârunt leges Ceremoniales Veteris Teſtamenti, utpote quæ vel erant figuræ rerum futurarum, vel præſcribebant certum DEI colendi ritum; proinde, poſtquam aderat ipſum

Digitized by Google

ſum figuratum, & DEUS alio modo ſe coli præcepit, ceſſare oportuit figuras, præcepta de victimis & holocauſtis, legem Circumciſionis &c. Dixi autem 1. *intrinſeco*; ceſſante enim fine ſolùm extrinſeco, qualis v. g. in lege jejunii eſt maceratio corporis, non ceſſat lex: quare tenentur obſervare legem jejunii etiam illi, qui jam habent ſubjectam ſpiritui carnem, eò quòd honeſtas jejunii, qui finis intrinſecus eſt hujus legis, maneat. 2. *adæquato*; ſi autem finis partialis tantùm ceſſaret, nempe in uno vel altero articulo legis, non deſineret lex totaliter, bene tamen quoad illum articulum, quia juxta *reg. 37. in 6. utile per inutile non debet vitiari.* 3. *reſpectu Communitatis*, vel majoris ſaltem partis illius: quare ſi lex eſt lata propter generale periculum, v. g. ne quis noctu ferat arma ad cavendas rixas, non ceſſat lex, etiamſi hoc periculum rixarum non reperiatur in Caio, homine prorſus pacifico: quapropter nec huic licebit noctu prodire cum armis.

79 Dico 2. Diſpenſare in lege ſua non tantùm poteſt poteſtate ordinaria legislator ipſe, ſed etiam ejus ſucceſſor, quin & ejus in jurisdictione ſuperior. De *legislatore* clarum eſt ex *c. 1. de R. J.* per quas enim cauſas aliquid naſcitur, per eaſdem etiam diſſolvitur, adeóque ſicut in fieri, ita & in conſervari lex à ſuo conditore dependet. De *ſucceſſore* pariter liquet, quia reputatur eadem cum anteceſſoris, qui legem tulit, perſona: nec anteceſſor præfigere ſucceſſori legem perpetuam valet, in quam ſucceſſor nihil poſſit; *cùm par in parem non habeat imperi-*

um

um aut jurisdictionem. *l. nam Magiſtratus. 4. ff. de recept. qui arbit.* De *ſuperiore* patet per ſe: ſed debet eſſe ſuperior *in jurisdictione*, quia ſicut legem ferre ſupponit jurisdictionem pro foro externo, ita & diſpenſatio in lege: hinc Archiepiſcopus extra actualem viſitationem diſpenſare non poteſt cum ſubditis ſuorum ſuffraganeorum, ſicut extra illam ferre in illos legem non poteſt, propter defectum jurisdictionis. Dixi, *poteſtate ordinaria*, ex quo infertur, quòd hi ipſi poteſtatem diſpenſandi delegare valeant etiam aliis ſe inferioribus. Unde colliges 1. Papam ordinaria poteſtate in quibusvis legibus Eccleſiaſticis diſpenſare poſſe, quin & in legibus Apoſtolicis, quas nimirum Apoſtoli tulerunt tanquam Rectores & Prælati Eccleſiæ, uti eſt lex jejunii Quadrageſimalis, jejunii Naturalis ante ſumptionem Euchariſtiæ, obſervationis diei Dominicæ pro Sabbatho, de non ordinandis bigamis. Aliud eſt de legibus, quas non ipſi Apoſtoli condiderunt, ſed præcisè promulgârunt ex mandato Chriſti, eas conſtituentis. 2. Epiſcopum in legibus tum à ſe tum ab anteceſſoribus, vel etiam à Synodo Diœceſana latis; quia eſt ſuperior talium Synodorum; nec inferiores Prælati & Parochi in iis habent ſuffragium deciſivum, ſed merè conſultivum. 3. Prælatos Regulares tam immediatos, qui nimirum toti domui præſunt, quàm mediatos, uti ſunt Provinciales & Generales, cum ſuis Religioſis exemptis; cùm in eos habeant jurisdictionem quaſi Epiſcopalem. Imò etiam Epiſcopi cum exemptis diſpenſant caſu, quo Superior Reli-

Religioſus diſpenſationẽ negat injuſtè, aut adiri nequit. Palao *tr. 3. d. 6. de LL. pu. 7. §. 4.* 4. Epiſcopum cum vagis & peregrinis in lege Communi (& municipali, ſi ea ligentur) quia in ordine ad hunc actum jurisdictionis, ſeu ad diſpenſationem poſſunt iſti ſe ſubjicere Epiſcopo loci, ubi morantur. Cum peregrinis tamen diſpenſandi poteſtas quoad vota, juramenta, impedimenta, & irregularitates per ſe non competit Epiſcopo loci, ubi hoſpitantur, niſi accedat proprii peregrinorum Epiſcopi conſenſus præſumptus ex juſtis cauſis; ita enim à S. Congreg. Card. declaratum eſſe ait idem Palao §. 2. in fine.

80 Dico 3. Inferior diſpenſare non poteſt in lege ſuperioris, niſi vel expreſsè vel tacitè ipſi concedatur ſpecialiter. Communis contra Covar. Sotum &c. Conſtat ex *c. 16. de Majorit.* ubi inferiori adimitur poteſtas relaxandi jura ſuperioris. Adhuc clariùs negatur hæc poteſtas inferiori *c. 15. de tempor. ord. & c. 2. de Elect. in Clem.* cùm utique inferior nihil poteſtatis habeat in ſuperioris voluntatem, à qua tamen tota vis legis exiſtit. Dixi tamen, *niſi ei concedatur ſpecialiter.* Sic juxta DD. Epiſcopo conceditur diſpenſare in lege Eccleſiaſtica communi. 1. ſi materia ſit parva & modici momenti. 2. ſi dubium ſit, an res indigeat diſpenſatione. 3. ſi urgeat diſpenſandi neceſſitas, ac periculum in mora ſit; Papa verò difficulter adiri poſſit. 4. ſi in aliqua materia caſus valde frequentes occurrant, in quibus opus ſit diſpenſatione: hinc praxis habet, ut Epiſcopi diſpenſent in jejuniis,

niis, feſtis, aliiſque Eccleſiæ præceptis, in quibus frequenter neceſſaria eſt diſpenſatio; quia prudenter præſumitur de voluntate Pontificis, quòd noluerit ſubditis imponere tantum onus in caſibus tam frequentibus recurrendi ad ſe pro diſpenſatione. 5. ſi conſuetudo recepta indulgeat aliquid: & ex hac conſuetudine diſpenſant etiam Parochi in obſervatione jejuniorũ, & ad opera ſervilia diebus feſtis peragenda. 6. ſi in Jure dicatur indefinitè, *diſpenſari poſſe*; tunc enim rectè creditur Epiſcopis eſſe data poteſtas diſpenſandi; quia aliàs illa verba eſſent ſuperflua; cùm per ſe manifeſtum ſit, Papam diſpenſare poſſe. Atque in his caſibus inferiores diſpenſant ex poteſtate *ordinaria*, ſeu ratione muneris ſui. *AA. cum gl. in fin. de offic. Ordin.* Ex poteſtate autem *delegata* diſpenſant Epiſcopi in lege Papali 1. in omnibus irregularitatibus ac ſuſpenſionibus ex occulto delicto provenientibus, exceptis illis, quæ proveniunt ex homicidio voluntario, & aliis ad forum contentioſum deductis. *Trid. Seſſ. 24. c. 6. de Ref.* 2. cum Diacono, qui irregularitatem incurrit attentando ducere Uxorem. per *c. 1. qui Clerici vel voventes.* 3. cum ſubditis ſuis in juramentis, & votis ſimplicibus non ſpecialiter reſervatis, per *c. 1. de Voto;* Vota autem ſpecialiter reſervata Pontifici ſunt hæc 5. Religionis ingrediendæ, caſtitatis perfectæ, & triplicis peregrinationis, Romanæ, Jeroſolymitanæ, Compoſtellanæ. 4. in urgentiſſima neceſſitate cum iis, qui nondum plenam pubertatem adepti ſunt, ad Matrimonjum. *c. 2. de deſponſ. impub.* Plures alios

caſus

caſus referunt DD. quos ego diſſimulo, quia controverſi ſunt, & melior pars negat in iis poteſtatem diſpenſandi Epiſcopis.

81 Oppones 1. in *c. 29. de ſent. Excomm.* dicitur: quando *Conditor Canonis abſolutionem* (ab excommunicatione) *ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi*: ergo idem dicendum de diſpenſatione, nempe generaliter eſſe conceſſam, niſi eam ſibi Superior ſpecialiter reſervet, & non generaliter negatam. 2. Commune eſt axioma: *quilibet Epiſcopus poteſt in ſua diœceſi, quod Papa in tota Eccleſia*: ergo quilibet Epiſcopus poteſt pro ſua diœceſi diſpenſare in Lege Pontificia. 3. Papa poteſt diſpenſare in Jure Naturali & Divino: ergo in lege Superioris: ergo & Epiſcopi in Lege Pontificis. Antec. patet ab inductione: ſic Papa diſpenſat in voto, cujus obligatio eſt Juris Naturalis & Divini: in Miniſtro Sacramentorum, ut is poſſit eſſe ſimplex Sacerdos in Confirmatione, item ut Sacerdos poſſit conſecrare ſub una tantùm ſpecie &c. quæ ſunt Juris Divini. ℞. ad 1. N. *Conſ.* & paritatem inter Abſolutionem & Diſpenſationem: Abſolutio à caſibus, ſpecialiter non reſervatis, non eſt contra Jus, quia Jus nullibi eam prohibet generaliter, ſed potiùs abſolutè concedit, dum generaliter vult abſolvi omnem ritè diſpoſitum tum à cenſuris tum à peccatis: econtra Diſpenſatio eſt contra Jus, utpote quod generaliter aufert inferiori poteſtatem diſpenſandi, uti probavimus. Ad 2. Epiſcopus omnia quidem in ſua diœceſi poteſt, quæ ſunt præter Jus Commune &

Leges

Leges Pontificias; imò nec iſta omnia, quia nequit pro ſua diœceſi canonizare Sanctos, diſpenſare in Matrimonio Rato: neutiquam tamen illa poteſt, quæ ſunt contra Jus commune, & Leges Pontificias. Ad 3. Quomodo poſſit diſpenſare Pontifex in Jure Naturali (& Divino) diximus in Prolegomenis *n. 13.* præſertim quoad vota, nimirum non directè, quaſi faceret licitum homini non implere promiſſionem DEO factam, & non priùs relaxatam, ſed indirectè tantùm, relaxando priùs promiſſionem talem à voluntate humana poſitam, quam facultatem exercet nomine DEI; à quo accepit omnem poteſtatem neceſſariam ad rectam fidelium gubernationem, eorúmque vincula omnia ſolvendi, quatenus exigit hæc gubernatio. Materia voti enim ſubjecta eſt poteſtati humanæ; ſicut ipſa voluntas humana, à qua proficiſcitur ſubſtantia voti. Igitur votum non obligat abſolutè, ſed ſolùm conditionatè, quamdiu nempe Superior voluerit voventem eſſe obligatum. Atque ſic diſpenſatur non propriè & directè in Jure Naturali & Divino, útpote quod non eſt abſolutum. Vid. *Prolegom. d. n. 13.* Adde, quòd juxta multos Papa non propriè diſpenſet in votis, ſed tantùm impropriè, declarando, quòd DEUS hic & nunc non acceptet votum; vel remittat obligationem. Quæ autem abſolutè ſunt Juris Divini, nec præſupponunt exercitium liberum voluntatis humanæ; in illis negatur Papæ diſpenſandi poteſtas; eò quòd nullus inferior habeat jurisdictionem in voluntatem Superioris. Idem fortaſſis dicere

82

volunt Legiſtæ, dum ad *tit. de LL.* reſpondere ſolent: Papam poſſe diſpenſare in Jure Divino *relato*, non verò *abſoluto*. Ad reliqua duo dico, Juris Divini tantùm eſſe, quòd Miniſter ordinarius Confirmationis ſit Epiſcopus, non verò quòd etiam extraordinarius, ut nobis declarat ſenſus Doctorum, & praxis Eccleſiæ. Quòd Papa aliquando diſpenſaverit ad conſecrandum ſub una ſpecie, negant permulti & præclari Auctores cū Suar. ſi tamen id probaretur, hæc ipſa diſpenſatio ſignum foret, quòd conſecratio utriusque ſpeciei non eſſet Juris Divini.

Quæres, an Legislator, vel alius, cui con-
83 ceſſa eſt poteſtas diſpenſandi in Lege Superioris, valeat diſpenſare ſecum ipſo? ℞. cum communiori, poteſt, & quidem directè. Quoad Legislatorem, qui ſe ipſum eximit à Lege ſua, non eſt propriè dicta diſpenſatio in noſtris principiis, qui tenemus, eum ſuis Legibus neque quoad vim directivam obligari. Quoad alios probatur exinde, quia DEUS, dans poteſtatem diſpenſandi in voto, v. g. vel Superior dans alicui privilegium vel jurisdictionem ad diſpenſandum, non præſumendus eſt velle talem facere deterioris conditionis, quàm illius ſubditos, quibuscum diſpenſandi poteſtatē largitus eſt. Adde, quòd diſpenſatio ſit actus jurisdictionis voluntariæ, non contentioſæ, vel coactivæ: ſed ad actum jurisdictionis voluntariæ non requiritur diſtinctio perſonarū, ut patet in largiente Indulgentias, quas & ipſe largiens lucrari poteſt: ſaltem hæc diſtinctio non probatur eſſe neceſſaria. Oppones 1. Nemo poteſt ſeipſū abſol-

Digitized by Google

ſolvere à cenſuris & pœnis; quamvis polleat poteſtate abſolvendi ab iis ſuos ſubditos: ergo. 2. Nemo ſecum ipſo diſpenſare poteſt in irregularitate, etiamſi Jus ipſi cõcedat in ea diſpenſare cũ ſubditis ſuis: ergo. ℞. ad 1. N. *Conſ.* & paritatẽ; quia abſolutio à cenſuris eſt quædam ſententia Judicialis; quam nemo in ſeipſum ferre poteſt, pertinétque ad jurisdictionẽ coactivam. Aliud itaque eſt abſolvere, & aliud diſpenſare: à cenſuris propriè dictis non per diſpenſationem, ſed per ſententiam abſolutoriam aliquis liberari debet. Ad 2. Si ſermo ſit de irregularitate à Jure lata: N. *Ant.*

Urgebis. Varia Juris exſtant loca, in quibus prohibetur etiam jurisdictionis voluntariæ uſus in ſe ipſum, ſcilicet *c. 26. de Jure Patr.* ubi Patronus Eccleſiæ prohibetur ſeipſum præſentare ad beneficium, item *c. fin. de Inſtitut.* ubi vetatur is, qui beneficium conferre poteſt, ſe ipſum inſtituere in illo, ex ea ratione, quòd inter dantem & accipientem debeat eſſe diſtinctio perſonarum; & *l. 1. ff. de Auth. & conſenſu Tutor.* ubi tutor prohibetur contrahere cum pupillo; & pro regula ponitur, in rem ſuam tutorem authorem fieri non poſſe. ℞. Prima duo Jura verſantur in materia ambitioſa; & tertium in materia fraudibus obnoxia, ac damnis pupillorum; atque ideo non ſunt trahenda ad materiam ſolius conſcientiæ coram DEO, ubi nullum eſt periculum ambitionis, aut fraudis, uti contingit in diſpenſatione ſecum ipſo: Interim tamen conſultius eſt, ut talis Superior non directè & per ſe diſpenſet ſecum ipſo; ſed alteri;

v. g. Confeſſario committat diſpenſationem quoad ſe, ne proprio amore excæcatus in cauſa ſua malè judicet.

84 Dico 4. Sine juſta cauſa validè quidem, ſed non licitè diſpenſat Legislator ipſe. Prior pars videtur certa, ſi Legislator ſciat, non adeſſe juſtam cauſam; quia legem omnino tollere poteſt per abrogationem etiam reſpectu Comunitatis, utpote dependentem prorſus à ſua voluntate: ergo à fortiori per diſpenſationem reſpectu unius vel alterius tantùm. Si autē ignoret, cauſam juſtam non adeſſe, malè informatus à petente diſpenſationem, iſta non valet, caſu quo cauſa *finalis* & *motiva* (non *merè impulſiva*) non ſubſiſtit; quia defectus cauſæ, ſine qua non diſpenſaretur, facit, ut conſenſus Superioris non detur. *c. 8. 15. 19. de Reſcr.* cùm errantis circa ſubſtantiam nullus ſit conſenſus. *l. 9. C. de J. & F. J.* & nihil ita contrarium conſenſui ac error. *l. 15. ff. de juriſd.* Poſterior pars probatur tum ex Trid. *de reform. S. 25. c. 18.* tum ex ratione; quia talis Legislator imprudenter abutitur ſua poteſtate, committit aliquo modo acceptionem perſonarum, & dat anſam querelis, vel etiam contemnendi Legem, dum unum à Lege eximit ſine cauſa, alios verò eâdem premit. Unde tam petens, quàm concedens diſpenſationem ſine juſta cauſa, peccat, & quidem graviter, ſi id faciat cum gravi aliorum detrimento vel ſcandalo: his verò ſecluſis tantùm venialiter. Palao *d. 6. pu. 8. §. 1. n. 5.*

Oppones 1. Obligatio Legis pendet à voluntate Legislatoris: ergo, ſicut pro libitu eam ponere,

Digitized by Google

nere, ita & tollere poteſt. 2. Poteſt Princeps alicui remittere tributa ſine omni cauſa: ergo etiam Legislator obligationem Legis. 3. Petuntur ſæpe à ſummo Pontifice diſpenſationes in gradibus conſanguinitatis & affinitatis prohibitis ſine ulla cauſa addita; ergo. ℞. ad 1. pendet quidem, ſed ita, ut prudenter procedat; aliàs & ferendo, & tollendo agit illicitè. Ad 2. Princeps, dum remittit tributum, habet ſe ut perſona privata, qui autem diſpenſat in Lege, non ſe habet ut perſona privata, ſed ut publica, intendens bonum publicum. Ad 3. etiamſi à petente non aſſignetur cauſa, Pontifex tamen non diſpenſat ſine cauſa; cùm pro cauſa ſuccedat eleemoſyna, v.g. quam copioſiùs fortè donat diſpenſatus in ſumptus publicos.

Dico 5. Sine cauſa juſta nec validè nec licitè 85
diſpenſat inferior in Lege Superioris. Ratio; quia diſpenſans in Lege Superioris (v. g. Papa in Lege Divina, Epiſcopus in Lege communi Eccleſiaſtica) ſine juſta cauſa, transgreditur limites poteſtatis ſibi conceſſæ; cùm prudenter credi nequeat, à Superiore datam fuiſſe poteſtatem diſpenſandi temerè & irrationabiliter: ſed qui transgreditur limites ſuæ poteſtatis, nihil agit & invalidè. per *c. 22. de Reſcr. l. 5. ff. Mandati*, imò probabiliter peccat mortaliter, etiam ſecluſo ſcandalo ac aliorum gravi detrimento; quia uſurpat jurisdictionem ſibi non conceſſam: ergo. Utrùm verò invalida etiam ſit diſpenſatio Inferioris, quæ quidem fit cum juſta cauſa, non tamen prius cognita à diſpenſante, diſſident Auctores: Azor. & Bonac. negant eſſe validam, Suar. Sanch. & Laym. affirmant va-

N 3 lere

lere, quod videtur eſſe veriſimilius. Si verò diſpenſans ex errore probabili putavit, adeſſe ſufficientem cauſam, re ipſa tamen non adfuiſſet, cenſent plerique cum cit. Sanch. diſpenſationem valere; quia hæc rationabiliter fuit conceſſa: rationabiliter autem concedendi poteſtatem accepit.

86 Quæres, quænam cenſeantur eſſe cauſæ diſpenſandi juſtæ? ℞. in caſibus particularibus arbitrio prudentûm relinqui decidendum, attentâ qualitate perſonæ, quacum diſpenſatur, & aliis circumſtantiis. In genere enumerantur tres cauſæ, *neceſſitas*, *pietas*, *utilitas*: à quibusdam non immeritò additur *gratitudo* ob merita in Eccleſiam, Rempublicam &c. item *Miſericordia* ad ſuccurrendum humanæ fragilitati, ut ſi quis parùm conſideratè voviſſet, aut difficulter ſervaret, quod promiſit, quamquam hæ cauſæ referri poſſint ad tres priores. Si plures adſint cauſæ, quarum nulla ſufficit ſeorſim, ſufficere poſſuut omnes ſimul; quæ enim ſingula non valent, multa proſunt. *arg. c. 13. de probat.* Non tamen requiritur cauſa tam urgens, quæ oſtendat, mentem Legislatoris non fuiſſe in his circumſtantiis obligare; quia tunc non opus eſſet diſpenſatione, ſed epijkia. In dubio, an adſit ſufficiens cauſa diſpenſandi, Superior debet inclinare in partem benigniorem; hoc enim exigit ſuave regimen Eccleſiæ; & aliàs, ſi de ſufficientia cauſæ deberet conſtare certò, vix auderent anxii Superiores diſpenſare. Sylv. Sanch. Diana. Similiter ſi dubium ſit, utrùm caſus aliquis egeat diſpenſatione, reſolvere ſe aliquis poteſt,

poteſt, quòd non egeat, propter poſſeſſionem ſuæ libertatis.

Pro coronide nota, quamvis actualis diſpen- 87
ſatio regulariter ſit ſtrictæ interpretationis, utpote exorbitans à Jure, & odioſa, cùm diſpenſationes ſint *vulnera Legum*; tamen ipſam facultatem diſpenſandi, præſertim ordinariam, & univerſaliter delegatam, amplæ interpretationis eſſe, utpote favorabilem; quia Juri communi non repugnat ex una, ex altera verò parte Bono communi neceſſaria eſt. Atque hinc poteſtas diſpenſandi in votis etiam extenditur ad juramenta pia, DEO facta. Rurſus extenditur ad ea, in quibus eadem, vel major reperitur ratio: Sic, qui poteſt diſpenſare in affinitate, etiam poteſt in publica honeſtate. Quòd ſi autem poteſtas diſpenſandi delegata ſit non univerſaliter, ſed particulariter tantùm cum una vel pluribus perſonis determinatis, non tam concesſa videtur facultas diſpenſandi, quàm actualis diſpenſatio ſub conditione, ſi delegatus rem ita ſe habere compererit, ut eſt propoſita in petitione, conſequenter erit ſtrictè interpretanda.

TITULUS III.

De Reſcriptis.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. 4. *Reſcriptum, quod ſubinde rationem Legis obtinet, accipi poteſt genericè & ſpecificè, latè & ſtrictè, ſecundùm, præter, & contra Jus Commune, complectitúrque duas partes.*

5. *Definitur Reſcriptum. Quomodo differat à vivæ vocis oraculo, Brevi Apoſtolico, Epiſtola Decretali &c.*
6. *Aliud eſt Reſcriptum Gratiæ, aliud Juſtitiæ.*
7. *Differentiæ inter utrumque.*
8. *Variis modis vitiari poſſunt Reſcripta.*
9. *Nimirum ſi careant formâ, & conditionibus debitis;*
10. *Vel Clauſulis. Ubi de clauſulis derogatoriis.*
11. *Si ſit contra Jus aliquod, ídque non exprimat Reſcribens. Ubi de dieta Legali.*
12. *Si impetrentur per abuſum.*
13. *Reſcripta gratiæ ſubreptitiè, etiam abſque dolo, obtenta cenſentur vitioſa.*
14. *Item obtenta obreptitiè. Reſcripta verò Juſtitiæ, ob- vel ſubreptitiè impetrata, ſed ſine dolo, non ſunt irrita ipſo Jure, ſed tantùm irritabilia.*
15. *Valent Reſcripta, ſaltem Juſtitiæ, ſub- vel obreptitiè obtenta, ſaltem in forma communi, licèt non fuiſſent conceſſa in ea forma & modo, ſi abfuiſſet ob- vel ſubreptio.*
16. 17. *Si verò ſub- vel obreptio contingat dolosè, omne Reſcriptum ipſo Jure & totaliter eſt nullum, etiamſi falſitas expreſſa, vel veritas ſuppreſſa, non fuerit cauſa finalis, ſed impulſiva tantùm.*
18. *Solus Princeps ſupremus concedit Reſcripta.*
19. *Omnes regulariter obtinere poſſunt Reſcripta.*
20. 21. *Quid exprimi debeat à petente Reſcriptum tum ad lites tum ad beneficium.*
22. *Reſcripta gratiæ præſentari poſſunt quocunque tempore.*

23.

Digitized by Google

23. 24. *Reſcripta Juſtitiæ, quamdiu durat jus agendi vel excipiendi: conſultum tamen eſt ea intra annum præſentare.*

25. *Quibus perſonis committatur executio Reſcritorum.*

26. *Quid ab executore obſervandum.*

27. *An & quomodo Reſcripta exſpirent per mortem concedentis.*

COnſtitutiones, de quibus hucuſque, faciunt *Jus Commune*, Reſcripta Principum verò *Jus Particulare* & inter partes, pro quibus emanant. *l. 2. 3. C. de LL.* Excipe, niſi data ſint ad declarationem Juris Communis dubii, vel in *Corpus* Juris relata; tunc enim & ipſa vim Juris Communis obtinent. *l. fin. C. eod. c. 19. de ſent. & re jud.* Rectè proin ſubjungitur priori titulus *de Reſcriptis.* 1

§. 1.

Quid & quotuplex ſit Reſcriptum?

Sciendum 1. Reſcriptum, quaſi *Reſponſum ſcriptum*, dici à reſcribendo, dum nempe Princeps, vel alius, ad alterius conſultationem, relationem, ſupplicationem reſpondet ſcriptô, Reſcriptum *in genere* acceptum comprehendit omnia reſponſa ſcriptô data, etiam à privatis; ex uſu tamen Juris & *ſpecificè* ſumptum reſtringitur ad illa duntaxat reſponſa, quæ à ſummo Principe emanant, videlicet vel à Papa vel ab Imperatore. Opus tamen haud eſt, ut Princeps ſcribat ipſemet litteras, ſed ſufficit, ſi ſignet & ſubſcribat nomen ſuum. Juxta 2

ſtylum Curiæ Romanæ Pontifex, ſi ei ſupplicetur pro gratia, ſubſcribit ſupplicationi unicum verbum, *fiat*, ſi verò pro decernenda juſtitia circa aliquam litem, unicum verbum, *placet*, addita initiali littera ſui nominis, antequam litteræ Apoſtolicæ expediantur: quæ tamen expeditio neceſſaria eſt; aliàs enim gratia non dicitur *collata*, ſed *conferenda*, & proceſſus circa litem fortè interea factus nullius eſt roboris.

3 Sc. 2. Reſcriptum ſpecificè acceptum vel ſumi latè vel ſtrictè: *latè* ſumitur, prout fit in hoc Titulo, quando complectitur omnia Reſcripta ſecundùm- præter- & contra- Jus: *ſecundùm Jus* dicitur, quod tendit ad obſervantiam & executionem Juris Communis, eique conforme eſt; ut ſi Princeps alicui committat litem ſecundùm Jura decîdendam: *præter Jus* vocatur, quod circa materiam, de qua Jus nihil decernit, verſatur, & nihil præſcribit, uti ſunt gratiæ & beneficia Principum: *contra Jus* appellatur, quando conceditur aliquid contra claram diſpoſitionem Juris Communis; uti fit per diſpenſationes & exemptiones à legibus. *Strictè*, vel potiùs *ſtrictiſſimè* ſumitur, quando ea ſola comprehendit Reſcripta, quæ ſunt *ſecundùm Jus*, illud vel explicando, ſi dubium ſit, vel obſervari mandando, ſi clarum. Oppones. Reſcripta, quæ contra Jus Commune vel utilitatem publicam tendunt, pro invalidis habenda ſunt. *can. 15. cauſ. 25. q. 2. l. fin. C. ſi contra Jus*: ergo non dantur Reſcripta *contra Jus*. R. Diſt. Ant. pro invalidis habenda ſunt, ſi Juris

Com-

Communis non faciant expreſſam mentionem, illúdque nolint obſtare. C. Ant. ſi expreſſa mentione, ſaltem per clauſulam generalem, derogare velint Juri Communi. N. Ant. & Conſ.

Sc. 3. Reſcriptum conſtare duabus partibus, Narratione & Concluſione. *Narratio* fit tum à Supplicante, tum à Reſcribente ſaltem ſubinde: ſi fiat à ſupplicante, qui nimirum petit Reſcriptum, nihil eſt aliud, quàm propoſitio, vel relatio eorum, propter quæ obtinere quis nititur Reſcriptum: atque hæc narrata à ſupplicante probari debent, ſi exigatur. *l. 5. C. de fide Inſtrum.* ibi: *probare debere, fidem precibus veſtris adeſſe;* ſolétque in omni Reſcripto aut expreſsè addi hæc clauſula, *ſi preces veritate nitantur,* vel, *ſi ita eſt*, idque de Jure & in foro Civili omnino neceſſarium. *l. fin. C. de diverſis Reſcriptis*, aliàs nihil prodeſt Reſcriptum. Aut ſaltem tacitè ſubintelligi, uti de Jure & in foro Canonico ſufficit. *c. 2. h. t.* junctâ praxi. Si verò narratio fiat à Reſcribente, ea ſolet eſſe ſummaria repetitio narrationis poſitæ à ſupplicante, vel etiam nova quædam expreſſio relativa rerum, quas incidenter commemorat Reſcribens: hæc narrata Reſcribentis nec aliquid probant, nec probari debent, niſi Reſcribens intentionem ſuam in iis fundaverit, aliàs Reſcriptum non daturus; vel niſi aliquid faciant ad cauſam principalem Reſcripti. *Clem. un. de probat. c. 10. de privil. in 6.* ubi habetur, Eccleſiam non propterea eſſe exemptam, quòd in Reſcripto Pontificis nominata fuerit exempta: 4

ergo,

ergo nihil probant hæc narrata. Quòd autem nec probari debeant, ratio eſt; quia nihil intereſt, ſive vera ſint, ſive falſa, ſi Reſcribens iis non alliget gratiam vel reſponſum. *Concluſio* autem, quæ præcipua Reſcripti pars eſt, & à Practicis *Diſpoſitiva* vocatur, exprimit mentem Principis, & cum certis clauſulis declarat tum ſubſtantiam tum qualitates ſui reſponſi, an & ſub quibus conditionibus annuat petitioni Supplicantis.

5 Dico 1. Reſcriptum rectè definitur eſſe reſponſum Principis ſcripto datum ad inſtantiam alicujus, vel ſupplicantis vel conſulentis. Ita quoad rem communis ex *l. fin. cit.* Unde apparet, quòd Reſcriptum differat 1. à *vivæ vocis oraculo*, quia hoc, licèt fortè poſtea redigatur in ſcripturam, primitus tamen verbo datur. A *Brevi Apoſtolico* non videtur diſcrepare, niſi accidentaliter; quia *Breve* eſt compendioſum, paucíſque verbis expeditum, reſcriptum, exprimens in cera rubra ſigillum Papæ cum ſubſcriptione, *datum ſub annulo Piſcatoris*, quia ſigillum illud refert imaginem S. Petri ex navi jacientis rete in mare. 2. Ab *Epiſtola Decretali*; quia hæc non neceſſariò ſupponit conſultationem vel ſupplicationem alicujus. 3. à *Pragmatica*; quia hæc ſine interventione precum de negotio publico diligentiùs inſtruit. 4. ab *Edicto*; quia hoc à Principe in utilitatem ſubditorum motu proprio promulgatur. De reliquo dixi 1. *ad inſtantiam alicujus*; ſiquidem omne reſcriptum propriè tale fit ad inſtantiam, per *l. fin. cit.* & communem,

Au-

Auctorum: ſi tamen, ut quandoque fieri ſolet, in reſcripto reperiatur clauſula, *motu proprio*, non ſequitur indè; quod nulla ſupplicatio vel conſultatio præceſſerit, ſed ſolummodo indicatur, quòd Princeps magis motu proprio & clementiâ ſuâ, quàm precibus & alicujus inſtantiâ, inductus ſit ad dandum reſcriptum. *c. 15. h. t. pr.* Quæ clauſula, ſi additur, habet hunc effectum, ut tollat vitium *ſubreptionis*, & ex hoc capite impugnari reſcriptum nequeat, niſi per reticentiam omiſerit ſupplicans, quòd Reſcriptum cedat in præjudicium tertii; vel inhabilitas ad officium aut beneficium, vel beneficii, quod petitur, qualitas intrinſeca fuerit diſſimulata; ratio, quia quando tacetur aliqua veritas, regulariter indè non movetur Princeps ad conceſſionem: quamvis moveri poſſit à cauſa, quæ exprimitur falsò per *obreptionem*. Dixi 2. *vel ſupplicantis vel conſulentis*, ex quibus colligitur celeberrima diviſio Reſcripti, de qua

Dico 2. Reſcriptum dividitur in Reſcriptum gratiæ & juſtitiæ. Reſcriptum *Gratiæ* eſt, quo conceditur alicui favor, gratia, indulgentiæ, beneficium, privilegium, vel exemptio ad ejus ſupplicationem. v. g. ſi Papa providet, vel provideri mandat alicui de beneficio vacante. Reſcriptum *Juſtitiæ*, ſeu *ad lites*, ut etiam vocatur, eſt, quo vel ad conſultationem alicujus explicatur Jus dubium, vel ad alicujus petitionem delegatur Judex ad deciſionem alicujus litis, vel aliàs jubetur adminiſtrari juſtitia. Quando eſt dubium, an ſit Reſcri- 6

ſcri-

ſcriptum gratiæ, vel juſtitiæ, præſumitur eſſe juſtitiæ; cùm gratia ſit aliquid facti, non Juris, & qui allegat gratiam, eam probare debeat. *c. 2. de Schiſmaticis.*

7 Inter Reſcriptum Juſtitiæ & Gratiæ ſunt prorſus notabiles differentiæ in effectu; nam 1. Reſcriptum Juſtitiæ non poteſt ab uno obtineri prò aliò, niſi habeatur ſpeciale mandatum, vel perſona, pro qua petitur, ſit conjuncta. *c. 22. c. c. 33. h. t.* ne nimirum lites foveantur magis, quàm ſopiantur: econtra Reſcriptum Gratiæ poteſt prò alio obtineri à quocunque ſine ſpeciali mandato. per *l. 6. C. de precibus Imperat. offer.* nec enim prohibitum eſſe debet actum Charitatis, qualis eſt proximò impetrare reſcriptum, exercere erga alium. 2. Reſcriptum juſtitiæ valorem & effectum ſuum obtinet non à tempore *datæ*, hoc eſt, à tempore, quo Romæ ſunt expeditæ & ſignatæ litteræ, ſed à tempore *præſentatæ*, h. e. à tempore, quo litteræ ſunt actu præſentatæ Judici delegato. *c. 12. & 59. de appellat.* econtra reſcriptum gratiæ valorem & vim ſuam obtinet ſtatim à die *datæ*: quamprimum igitur in Dataria Romana expeditum eſt, jam valet & prodeſt *c. 7. 9. h. t.* Unde ſi duo obtineant reſcriptum gratiæ pro aliquo beneficio, inſpicitur tempus *datæ*, non *præſentatæ*. *c. 12. eod. in 6.* Excipe, niſi reſcriptum poſterius eſſet ſpeciale ad certum & determinatum beneficium, illud autem, quod priùs erat expeditum, foret generale, & ad aliquod beneficium indeterminatè; ſpecies enim derogat generi, & ſpeciale præ-

Digitized by Google

præfertur generali. *c.* 1. *&* 14. *eod.* vel niſi is, qui priùs obtinuit, per negligentiam vel malitiam longiùs diſtuliſſet uti reſcripto ſuo. *arg. c.* 12. *cit. & c.* 11. *de Præb. in* 6. 3. Juxta aliquos reſcriptum Juſtitiæ eſt tantùm annale, ac intra annum præſentari debet, ſaltem de Jure Canonico, ne amittat valorem: reſcriptum verò gratiæ eſt perpetuum. Sed meliùs dicitur, utrumque eſſe perpetuum; nam Jus Civile *l.* 2. *C. de diverſis reſcriptis* clarè decidit, reſcriptum juſtitiæ eſſe perpetuum, Jus verò Canonicum nihil clarè de hoc ſtatuit: ergò juxta *c.* 1. *de N. O. N.* ſequi oportet diſpoſitionem Juris Civilis. Nec obſtant *c.* 12. *&* 11. *citt.* quibus Adverſarii nituntur; quia exaudienda ſunt de caſu ſpeciali, quo quis ex dolo & malitiâ, vel per negligentiam non præſentavit reſcriptum intra annum, qui proin à *citt. c. c.* in pœnam doli & negligentiæ meritò non ampliùs permittitur poſt annum opponere ſuum reſcriptum alteri interea impetrato. 4. Reſcriptum juſtitiæ per ſub- vel obreptionem impetratum probabiliùs non eſt nullum ipſo Jure, ſed ſolùm ope exceptionis irritabile: reſcriptum verò gratiæ eſt ipſo Jure nullum. Sed hæ, & plures aliæ differentiæ ex dicendis adhuc magis clareſcent.

§. 2.

Quomodo vitientur Reſcripta, maximè per ſub- & obreptionem.

Sciendum, variis modis vitiari & inutilia 8
reddi poſſe reſcripta, nempe 1. ſi deficiant in forma ſua, & conditionibus à Jure requiſitis. 2. Si

2. Si deſtituta ſint debitis clauſulis, vel illæ, quas exprimunt, non ſubſiſtant. 3. Si ſint contra jus tertii, nec id exprimatur per clauſulam derogatoriam. 4. Si obtineantur per abuſum. 5. Si contineant ſubreptionem vel obreptionem: quæ duo, quamvis ſæpe confundantur ab AA. & accipiantur promiſcuè, preſsè tamen *ſupreptio* dicitur, quandò ſupprimitur vel reticetur verum à ſupplicante, quod deberet exprimi ſecundùm ſtylum Curiæ, vel Jus Commune: *obreptio* autem, quando exprimitur & narratur falſum aliquid; proinde ſubreptio eſt ſuppreſſio veri, obreptio eſt expreſſio falſi: reipſa autem & in effectu parùm intereſt, an ſubreptitium vel obreptitium ſit reſcriptum; quamvis valde attendatur in Jure, an ſub-vel obreptio contigerit ex dolo & malitia; an verò ex ignorantia & ſimplicitate, uti videbimus.

9 Dico 1. Nullum, vel ſaltem ſuſpectum, eſt Reſcriptum quod caret legitimâ formâ & debitis conditionibus, ſeu ſi non eſt ritè formatum. Conditiones autem, ut ritè cenſeatur formatum, ſequentes enumerantur. 1. debet exprimere nomen Pontificis (ſi eſt reſcriptum Papale) annum Incarnationis & Pontificatûs, diem expeditionis non per cifras & notas numerorum, ſed per integras voces, v. g. *octavò Calendas Maij &c.* juxta *reg. Cancell. 16.* De reſcriptis Cæſareis videantur Legiſtæ. 2. debito nomine compellare debet illos, ad quos dirigitur; nam juxta ſtylum Curiæ Romanæ Papa Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos confirma-

firmatos vocat *venerabiles fratres*, Imperatorem verò, Reges, Principes alios, cœteróſque fideles omnes, tam Clericos quàm Laicos, appellat *dilectos filios. c.6. de crim. falſ.* Illuſtres autem & Nobiles, ſi aliquando fuere ligati vinculo conjugali, *Viros*; ſi ſint ſoluti, *Juvenes*. 3. debito modo alloqui debet eos, ad quos emanat; nam ſi ad unum dirigatur, non eſt adhibendus numerus pluralis, *vos*, *veſter &c.* ſed ſingularis, *tu*, *tuus &c. c. 6. cit.* 4. ſi ſit reſcriptum gratiæ, debet bullari cum filo ſerico rubro & croceo, ſi verò ſit reſcriptum juſtitiæ, cum filo cannabis, in quo pendet plumbum. per *c. 5. 6. eod.* & receptam praxim. 5. debet interinari, ſeu approbari ab iis, ad quos mittitur, ubi hæc approbatio poſtulata & neceſſaria fuerit: ſolent autem reſcripta gratiæ dirigi ad Ordinarios locorum, reſcripta verò juſtitiæ ad ipſos Judices delegatos, ut ſuper veritate Narrationis cognoſcant. 6. debet eſſe purum ab omni ſolœciſmo contra latinitatem. *c. 11. h. t. junct. gl.* quia præſumitur, fieri non poſſe, ut tot Officiales litterati, per quorum manus tranſit, non advertant errorem manifeſtum & talem, qui excuſari nequeat; *barbariſmus* verò, aut minor elegantia latinitatis, vel ſolœciſmus dubius, quem aliqui excuſare ſolent, non vitiat Reſcriptum. Tantus rigor latinitatis non exigitur in Teſtamentis (& aliis contractuum inſtrumentis) *l. errore 7. C. de teſtamentis.* 7. debet eſſe purum à raſura, vel cancellatione, & deletione litterarum in loco ſubſtantiali, id eſt, Concluſione

ſeu in parte diſpoſitiva. *c. 5. de crim. falſ. c. 12. de privil.* quia præſumeretur falſatio ex tali raſura, vel deletione; niſi aliunde omnis ſuſpicio adimeretur, eò quòd v. g. reſcriptum adhuc clauſum & ſignatum coram Ordinario eſſet exhibitum; quia tunc præſumeretur raſura eſſe facta in Cancellaria ab ipſo Notario ſeu ſcriptore Reſcripti: pariter aliquam præſumptionem facit, cancellationem & emendationem eſſe factam à manu ipſius ſcriptoris, ſi eam ſimilitudo characterum referat: ſed hæc ſimilitudo, cùm conſtet, valde dextrè aliquos imitari poſſe alienam manum, plùs non probat, quàm ſemiplenè. per *Auth. at ſi contractus C. de fid. inſtrum.* 8. non debet continere nimis durum, & à recta ratione alienum. per *c. 5. h. t.* 9. non debet omnia negotia, & cauſas litigioſas, tam præſentes, quàm fututas, uni, vel certis quibusdam Judicibus committere. *c. 10. eod.* exceptis tamen Judicibus *Conſervatoribus*, ut vocantur, Religioſorum Ordinum, vel Monaſteriorum; his enim in genere datur & committitur omnis defenſio alicujus Ordinis vel Monaſterii. 10. non debet conſtituere Judicem incertum, & eligendum ad arbitrium impetrantis. *d. c.* quia impetrans facilè poſſet ſibi nimis faventem Judicem eligere. Excipitur, niſi Reſcripto inſerta ſit clauſula, *ex certa ſcientia.*

10 Dico 2. Vitioſum eſt Reſcriptum 1. quòd caret clauſulâ: *ſi preces veritate nitantur*, vel ſimili. *l. fin. C. de div. Reſcr.* De Jure Canonico tamen non neceſſariò exprimitur, quamvis ſub intelligi debeat. Et in Reſcriptis juſtitiæ ſi deſit, non

ca

ea reddit irrita ipſo facto, etiam de Jure Civili, ſed tantum reſcindibilia per exceptionem. *arg. c. 8. de crim. falſi;* quia Judicis delegati eſt examinare, num vera ſint allegata. 2. quod caret clauſulâ, *ſalvo jure alterius*, aut ſimili; ſi Reſcriptum cedat in præjudicium tertii; quia Princeps non ſolet derogare juri alieno, niſi id exprimat. 3. quod caret clauſulâ derogatoriâ, ſi ſit Reſcriptum derogans alienis privilegiis, v. g. hoc modo expreſsâ, *non obſtantibus quibuscunque privilegiis ſub quacunque verborum forma conceſſis*; per hanc tamen clauſulam non derogatur privilegiis Juri communi inſertis, quia habent ut publicæ leges, quibus per clauſulam generalem non intendit derogare Princeps, utpote cuſtos legum: neque derogatur aliis privilegiis, quæ per modum contractûs conceſſa ſunt, vel in compenſationem meritorum; quia per hujusmodi privilegia acquiritur jus privilegiatis: Juri autem jam acquiſito non poteſt derogari ſine gravi cauſa, nec derogari cenſetur ſine ſpeciali mentione. Neque derogatur ſtatuto ſpeciali à Sede Apoſtolica approbato, niſi de illo fiat mentio; cùm Papa non cenſeatur habere notitiam juris ſpecialiter conceſſi. Begnudell. *v. clauſulæ.* Quid operetur clauſula, *Motu proprio*, dixi *n. 5.* Alias autem clauſulas, quas ſolet Princeps extraordinariè adjicere tanquam limitationes & declarationes ſuæ voluntatis, diligenter oportet attendere, cùm ab iis pendeat vis & efficacia Reſcripti. De clauſulis *derogatoriis* adhuc obſerva, eas quidem, ſi adjecta ſit hæc clauſula, *quorum tenores &c.* tollere diſpo-

ſitiones contrarias, ac ſi nominatim fuiſſent expreſſæ. *l. omnes. C. de præſcr. 30. ann.* non tamen ſi priores diſpoſitiones habeant clauſulas *prægnantes*, vi quarum derogatur *derogatoriis* ſubſequentibus, ſeu ſi habeant clauſulas *derogatorias derogatoriarum*; tunc enim per clauſulam derogatoriam generalem illis non derogatur, niſi de illis fiat expreſſa mentio derogatoria. *c. 28. de Reſcr.* Begnudellius *v. clauſulæ Apoſtolicæ.* ubi tamen dicit, derogari juxta aliquos de ſtylo Curiæ.

11 Dico 3. Inutile eſt Reſcriptum, quod datum eſt contra Jus aliquod, niſi id exprimat Reſcribens. *c. 15. de offic. deleg. Novell. 134. c. 6.* Unde in ſpecie nihil prodeſt Reſcriptum 1. quod eſt contra Jus commune, contra conſuetudinem legitimè præſcriptam, contra ſtylum Curiæ receptum, contra publicam utilitatem. *c. 15. l. fin. & Novell. citt. & c. 6. de confir. utili.* ſi nempe his non expreſſa mentione derogetur; quod ſemper ſubintelligi oportet etiam in ſequentibus. 2. quod impetratur poſt transactionem jam initam à partibus. *l. 16. C. de transact.* 3. quod impetratur lite pendente, nimirum ſi cedat in præjudicium litis. *c. 1. & fin. ut lit. pend.* 4. quod impetratur contra ſententiam, ſeu poſt appellationem deſertam. *l. fin. C ſent. reſcindi non poſſe.* 5. quod uni vel alteri Judici omnes lites, præſentes & futuras, delegat. *c. 10. cit.* & juxta dicta *n. 9.* quia valde præjudicat Judici Ordinario. 6. quod reum ultra unam dietam extra ſuam diœceſim trahit ad judicium. *c. 11. §. ſi verò in 6. h. t.* Dicitur autem *diæta legalis*, quam faciunt

Digitized by Google

ciunt 20. milliaria legalia. *l. 3. ff. de V. S.* Milliare autem legale, ſeu Italicum, conſtat mille paſſibus. *l. cit.* paſſus autem quinque pedibus, pes autem 16. digitis. *gl. in l. 3. cit.* Hæc obiter pro eruditione. 7. quod impetrat pars litigans non exprimendo in ſua petitione, quòd ab Adverſario, vel ab utroque litigante communi opera, jam aliud Reſcriptum ſit obtentum: ſed hoc novum non eſt irritum ipſo Jure, quamvis elidi poſſit per exceptionem, ita ut eo eliſo valeat primum. *c. 3. 9. h. t.* niſi iſtud dolo aut ex negligentia nunquam fuiſſet præſentatum Judici; tunc enim valeret ſecundum Reſcriptum caſſato primo. *c. 9. cit. c. 23. eod.* 8. quod poſt impetratum ab alio Reſcriptum gratiæ aliquis impetrat de novo, non facta mentione prioris in ſua petitione. *per c. 31. eod.* Debet præterea huic ſecundo Reſcripto eſſe inſerta derogatio Regulæ Cancellariæ 18. de non tollendo jus alteri quomodolibet quæſitum per conceſſionem vel commiſſionem priorem.

Dico 4. Irrita ſunt etiam aliqua Reſcripta 12
propter abuſus in iis obtinendis committi ſolitos, cujusmodi recenſentur *c. fin. h. t. & c. 3. eod. in 6.* v. g. ſi quis ſuo nomine impetret litteras, ac poſtea tradat alteri, cui idem eſt nomen: aut ſi petat Reſcriptum ad litem in anteceſſum, ſive pro controverſiis nondum exiſtentibus: aut ſi ſuper una lite impetret plura Reſcripta ad diverſos Judices, vel ſuper diverſis quidem litibus, quæ tamen commodiùs expediri poſſent coram eodem Judice &c. Proceſſus autem inſtituti dependenter à taliter obtentis Reſcriptis

ſunt nulli, & impetrans condemnatur Adverſario in expenſas. *cc. citt.*

13 Dico 5. Reſcripta gratiæ ſubreptitiè, ſeu per reticentiam veritatis, qualitatis, circumſtantiæ, intrinſecè ad rem pertinentis, obtenta juxta communem ſunt irrita tunc, quando veritate candidè expreſſa & cognita gratiam non conceſſiſſet Reſcribens, etiamſi absque dolo & malitia eam reticuerit impetrans. Ratio; quia valor Reſcripti pendet à voluntate concedentis: hæc autem abeſt, ſi veritate comperta non dediſſet Reſcriptum etiamſi nulla fraus intervenerit. Dixi 1. *intrinſecè ad rem pertinentis*; ſi enim ſuppreſſa veritas ſe habeat extrinſecè ad gratiam, v. g ſi is, qui petiit, ſit facinoroſus in tali crimine, quod per ſe non debet exprimi, valet Reſcriptum, etiamſi Princeps cognita veritate gratiam non conceſſiſſet. Dixi 2. *tunc, quando veritate &c.* nam ſi Princeps etiam intellecta veritate nihilominus conceſſurus fuiſſe meritò credatur, etiamſi aliàs intrinſecè pertineret ad gratiam poſtulatam, valet Reſcriptum juxta multos. Si dubium ſit, an Princeps cognita veritate gratiam nihilominus conceſſurus fuiſſet, lis eſt inter DD. an valeat Reſcriptum nec ne: aliqui cum Molina negant: alii cum Sanch. affirmant, ſi non cedat in præjudicium tertii.

14 Dico 6. Reſcripta Gratiæ obtenta obreptitiè, ſeu per expreſſionem falſi, ſunt irrita ipſo Jure; Reſcripta verò Juſtitiæ ſolùm irritabilia ope exceptionis, etiamſi ſine dolo & malitia petens allegaverit falſum; modò illa allegatio falſitatis fuerit

fuerit cauſa finalis concedendi. Prior pars ſumitur ex *c. 31. h. t.* & *c. 23. h. t. de Præb. in 6. citt.* Poſterior ex *c. 9.* & *23. h. t.* Ratio eſt ferè eadem, quam adduximus pro priori aſſertione; quia nempe valor Reſcripti totus habetur à voluntate Reſcribentis. Quòd autem Reſcripta Gratiæ ſint irrita ipſo jure, Reſcripta Juſtitiæ autem ſolùm irritabilia, indè provenit, quòd illa tribuant impetranti aliquod jus jam completè, & negotium quaſi definiant; iſta autem, nempe Reſcripta Juſtitiæ, ſolùm præparent negotium dato Judice, qui merita cauſæ examinet, & jus tribuat primùm per ſententiam, qui debetur. Dixi, *modò illa allegatio falſitatis ſit cauſa finalis*, & principale motivum, propter quod Princeps concedit Reſcriptum, & quo abſente non concederet. Si enim illa allegata falſitas eſſet tantùm *cauſa impulſiva*, nec irritum nec irritabile propterea foret Reſcriptum, ut habet communis Theologorum contra plurimos Canoniſtas; quia, ſi ſolummodo hæc ſit falſa, non deficit conſenſus concedentis, utpote qui nihilominus cóceſſiſſet. Colligitur etiam ex *c. 14. de Præb. in 6.* & *l. 72. §. 6. ff. de condit. & demonſtr.* Multò minùs vitiabitur Reſcriptum, quando allegata à petente falſitas nec directè nec indirectè concernit materiam in Reſcripto contentam, ut ſi impetrans falsò ſe dixerit nobilem, gradu litterario conſpicuum &c. modò Nobilitas, vel Doctoratus, non requiratur tanquam conditio neceſſaria ad impetrandam gratiam.

Quæres, an Reſcripta ſubreptitiè vel obreptitiè (absque dolo tamen) obtenta valeant, ſi 15

ſuppreſſa veritas, vel allegata falſitas, ſit talis, ut eâ cognitâ nihilominus ea dediſſet Princeps, ſaltem in forma communi, quamvis fortè non in ea forma & modo, quo conceſſit de facto? ℞. Cum Wagnereck ad *c. 27. h. t.* affirmativè. Sumitur ex *c. 20. eod.* ubi litteræ ſine dolo impetratæ ſolùm tunc declarãtur irritæ, quando veritate narrata *nullas prorſus Papa litteras dediſſet*. Ecce! *nullas prorſus*, ait, id eſt, abſolutè nullas; & hinc ratio eſt, quia ejusmodi veritas ſuppreſſa, vel falſitas allegata, non eſt cauſa finalis & abſolutè inductiva ipſius Reſcripti conceſſi quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quoad formam accidentalem ejusdem, & quoad ſpecialem modum procedendi, v. g. præſcriptum Judici delegato, conſequenter non vitiat ipſam ſubſtantiam Reſcripti. Procedunt hæc ſaltem quoad Reſcripta juſtitiæ. De Reſcriptis Gratiæ aliud docet Cavarruv. cujus opinionem nonnemo vocat communem.

Sed unde deſumi debet, an id, quod à petente exprimitur, ſit cauſa *finalis*, vel ſolùm *impulſiva* Reſcripti quoad ſubſtantiam, & ſic deprehendatur, an validè vel invalidè impetratum, caſu quo falſum eſt allegatum? ℞. Generaliter 1. vel ex ſtylo Curiæ, aut Principis, vel ex judicio prudentis viri, maximè Judicis. ℞. 2. In ſpecie: ſi una tantummodo cauſa à ſupplicante fuit expreſſa, cenſetur ea eſſe finalis; proinde ſi falſa ſit, Reſcriptum erit nullum; quia Superior non cenſetur dare Reſcriptum ſine omni cauſa. Pariter, ſi duæ cauſæ ſunt allegatæ, quarum tamen una ſolùm movere Principem ad con-

concedendum potens eſſe poterat, ea iterum pro finali eſt habenda, & conſequenter Reſcriptum pro nullo, ſi falſa exſtitit, licèt altera fuerit vera. Quòd ſi verò utraque cauſa à petente adducta de ſe fuerit abſolutè potens ad movendum Principem, ac una vera exſtiterir, & altera falſa; vera pro cauſa finali, falſa autem pro impulſiva tantùm, adeóque Reſcriptum pro valido habendum eſt, niſi ex circumſtantiis conſtet, Principem à falſa principaliter fuiſſe motum: Suar. Haun. alii: præſertim cùm in dubio æquali potiùs præſumendum ſit pro valore Reſcripti, quàm pro nullitate. *arg. c. 25. de V.S.* 16

Dico 7. Si ſubreptio vel obreptio contingat dolosè & ex malitia, Reſcriptum tam juſtitiæ quàm gratiæ eſt ipſo Jure nullum, & vitiatur totaliter, etiamſi ſuppreſſio veri, vel expreſſio falſi, non fuerit cauſa finalis indulti Reſcripti, mòdò tamen pertineat ad ſubſtantiam rei petitæ. Deſumitur ex *c. 15. h.t.* ubi ſic deciditur: *Mendax precator penitus careat impetratis; quia fraus & dolus ei patrocinari non debent.* Et ex *c. 20. eod.* ibi: *qui per fraudem vel malitiam falſitatem exprimunt, vel ſupprimunt veritatem, in ſuæ perverſitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum conſequantur.* Dixi 1. *tam juſtitiæ quàm gratiæ;* quamvis enim *citt. cc.* determinatè loquantur de Reſcriptis juſtitiæ, ex communi tamen DD. calculo extenduntur etiam ad Reſcripta gratiæ, idque meritò, & ex ratione à fortiori; quia Reſcripta gratiæ ſunt magis odioſa, utpote plerumque contra, vel ſaltem non ſecundùm Jus Commune, ejúsque

relaxationes. Dixi 2. *ipſo Jure nullum:* de Reſcripto gratiæ nemo dubitat, Reſcriptum verò juſtitiæ duntaxat irritandum eſſe per exceptionem putant Krimer & Schambogen, meliùs tamen Gonzal. & alii cenſent, pariter eſſe nullum propter verba textuum citt. *careat penitus impetratis: nullum commodum conſequantur:* ergo etiam Reſcripta juſtitiæ nullius omnino valoris ſunt. Dixi 3. *vitiatur totaliter*, ita nempe, ut nulla ex parte proſit impetranti; ac proinde, ſi Reſcriptum contineat plures partes, ſive deinde inter ſe ſint connexæ & dependentes, ſive non, quoad omnes carebit effectu; licèt enim caſu, quo partes connexæ non ſunt, quoad omnes vitiari Reſcriptum negent Sanch. Decius, P. Wieſtner, & cum hoc P. Schmaltzgrueber, meliùs tamen cum Panorm. & Caniſio affirmatur univerſaliter propter citatos textus: *penitus careat: nullum commodum;* conſequenter nihil omnino, & in nulla ſui parte proderit tale Reſcriptum, nimirum in pœnam doli, etiamſi falſitas ſolùm afficiat unam Reſcripti partem. Dixi 4. *Etiamſi expreſſio falſi non fuerit cauſa finalis conceſſionis*, ut colligitur rurſus ex citt. textibus; quia non diſtinguunt, an dolus habeat rationem cauſæ finalis vel impulſivæ, ubi agunt de doloſa impetratione; diſtinguit tamen expreſsè *c. 20. cit.* in illa ſui parte, ubi agit de impetratione non doloſa, ſed de obreptione, quæ contingit ex ignorantia vel ſimplicitate: igitur ſpectato Jure eſt quidem diſtinctio inter cauſam finalem & impulſivam facienda, quando obreptio con-

tin-

Digitized by Google

tingit absque dolo & malitia; non verò ſi fiat malitiosè. Diſſentire iterum videtur P. Wieſtner *n. 42.* cum Covarruv.

Oppones 1. *l. 2. C. ſi contra Jus &c.* habetur, quòd Reſcriptum Principis, mendaciô impetratum, valeat quoad Judicem in eo datum, ut poſſit cognoſcere cum jurisdictione de veritate cauſæ & negotii: ergo Reſcriptum non vitiatur totaliter per obreptionem doloſam. 2. *c. 9. h. t. in 6,* defectus ætatis, qui fuit diſſimulatus in beneficio curato, dicitur non obſtare, quò minus valeat Reſcriptum ad beneficium ſimplex, ad quod idoneus eſt precator: ergo Reſcriptum non vitiatur omni ex parte per ſubreptionem obtentum, & valere poteſt quoad illam partem, in qua preces veritate nituntur. 3. *Utile per inutile non debet vitiari. c. 37. de R. J. in 6.* ergo nec Reſcriptum quoad partem, in qua non intervenit ſubreptio vel obreptio. 4. In *c. 14. ℣. conſideranter de præb. in 6.* habetur, gratiam ſubſiſtere, etiamſi taceatur verum, quò cognito Papa nihilominus conceſſiſſet gratiam & Reſcriptum: ergo, ſi dolus ſit tantùm cauſa impulſiva, non vitiatur Reſcriptum. 5. Diſpoſitiones aliæ, v.g. legata non vitiantur ex defectu ſolius cauſæ impulſivæ. *l. 72. §. 6. ff. de condit. & demonſtr.* ergo nec Reſcripta; cùm ſtante falſitate cauſæ ſolùm impulſivæ maneat voluntas abſolutè concedendi, licèt eâ non adductâ non tam facilè concederetur. ℞. ad 1. cum Panorm. ibi ſermonem non eſſe de mendacio doloſo, ſed per ignorantiam vel errorem commiſſo, Aut

cum

cum gl. ſermonem eſſe non de Judice per Reſcriptum delegato, ſed de ordinario, cujus jurisdictioni ordinariæ ſubſunt litigantes; qui utique poteſt cognoſcere de cauſa ſubditorum, non vi Reſcripti, ſed vi jurisdictionis ſuæ ordinariæ, quamdiu à Superiore non inhibetur. Ad 2. Ibi vel nulla intervénit ſubreptio, ſed ſimpliciter ſupplicatum eſt pro beneficio, abſtrahendo à curato & non curato. Vel ſaltem non intervénit ſubreptio doloſa, ſed commiſſa ex ignorantia. Ad 3. illa Regula non habet locum, ubi lex & voluntas Legislatoris totum actum, totum negotium, totam gratiam invalidat, uti invalidat totum *penitus* Reſcriptum *c. 15. & c. 20. citt.* Fateor tamen, oppoſitam ſententiam, quòd Reſcriptum non totaliter vitietur, quam etiam tenet P. Pirhing, non eſſe improbabilem, ſed indè maximè, quòd pœnæ non ſint extendendæ ultra verba Juris, & eo caſu, quo partes non ſunt connexæ, cenſeantur eſſe virtualiter duo Reſcripta. Ad 4. Ibi nec verbulô fit mentio alicujus doli ex parte ſupplicantis commiſſi, ſed ſolùm dicitur, quòd Reſcriptum poſterius valeat, etiamſi mentionem non faciat prioris, ſi poſterius ſit ſpeciale, prius autem generale. Ad 5. Trans. *Ant.* Diſt. *Conſ.* ergo etiam Reſcripta, ſi falſitas per ignorantiam vel ſimplicitatem inſperſa eſt. C. ſi per dolum vel malitiam. N. *Conſ.* Nam citt. Jura indicant ſatis, quòd non maneat voluntas quidquam abſolutè concedendi, ubi præceſſit dolus ex parte ſupplicantis, etſi dolus ſit cauſa tantùm impulſiva; nempe *in perverſitatis pœnam.*

§. 3.

Digitized by Google

§. 3.

Reliqua de Reſcriptis.

Sciendum, reſtare adhuc diſtinctiùs explicandum 1. quis concedere. 2. quis impetrare Reſcripta poſſit. 3. quid in eorum petitione exprimi debeat. 4. cui & quando præſentari obtenta. 5. quomodo interpretanda. 6. cui illorum executio demandanda. 7. an & quando morte concedentis exſpirent.

Dico 1. Solus Princeps ſuperiorem non re- 18
cognoſcens concedere poteſt Reſcripta propriè dicta, uti Papa in Spiritualibus per totum Mundum, Imperator in temporalibus per Imperium Romanum: Reges in ſuis Regnis: aliiſque in certis Regionibus ſupremam poteſtatem habentes, per *c. 10. 11. &c. h. t.* Aliorum verò inferiorum litteras potiùs dicendas eſſe *litteras commiſſionis*, *abſolutionis*, aut *Reſponſa*, quàm Reſcripta, monet Vallens. *n.* 2. Zœſius *n.* 7.

Dubitabis, an Principibus liceat concedere debitoribus *reſcripta moratoria*, vi quorum debitores ad certum tempus non teneantur ſatisfacere ſuis creditoribus? ℞. licet ad quinquennium. *l. 4. C. de prec. Imper. offer. l. fin. C. qui bonis cedere.* ſed cum limitatione ad certos tum debitores tum creditores. *Debitores* ſint tales, qui non propriâ culpâ, ſed aliorum injuriâ, vel temporum iniquitate, vel belli, incendii, naufragii, rapinæ, aut alio ſiniſtro caſu ad incitas redacti ſunt. *Receſſ. Imper.* de anno *1548.* & *1577. tit.* Von den verdorbnen Kauffleuthen;

then; nec ſint debitores ex delicto; ſecus enim juſtè ad aliorum exemplum coguntur egeſtate laborare. *l. 31. ff. depoſiti. Creditores* autem non ſint 1. æquè pauperes vel pauperiores, ac debitor. 2. non opifices, mercenarii, vel alii, qui ſe & ſuos mercede ſuæ operæ perſonalis ſuſtentant; quia tales difficulter ferunt moram. 3. non Eccleſia, vel fiſcus, vel pupillus; quia ſunt in Jure ſpecialiter privilegiati. 4. non tales, quibus tempore Reſcripti nihil adhuc debebatur; quia tale Reſcriptum non ſe extendit ad creditores futuros. 5. non tales, quibus debentur alimenta, quia hæc non patiuntur dilationem. 6. non tales, quibus ſolvenda vel reſtituenda eſt dos; quia cauſa dotis eſt valde favorabilis in Jure. 7. nec tales, qui agunt de pretio pro re vendita, & jam tradita, vel pro pretio & penſionibus propter rem locatam, cujus fructus percipit debitor ſeu conductor; ne ſcilicet emptor, vel conductor, ſimul rem & pretium habeat. 8. nec tales, qui agunt pro repetendo pignore, precario poſt finitum uſum, vel pro ſolvenda pecunia, ratione conceſſi uſûs debita: vel qui agunt pro recuperando depoſito: Jura enim neutiquam volunt rem *ſuam* repetenti quocunque prætextu denegari, vel moroſè detineri ab alio. Oppones: talia Reſcripta cedunt in præjudicium creditorum: ergo non ſunt licita. ℞. Sit, quòd aliquo modo cedant ratione dilationis; graves tamen cauſæ ſunt & publicæ, propter quas leve damnum eos ſuſtinere æquum eſt. Quin ejusmodi Reſcripta moratoria plerumque proſunt creditoribus

ribus indirectè; quia ſic debitores conſequuntur tempus augendi res ſuas, & poſtea omnibus ſatisfaciendi completè, quod ordinariè non poſſent, ſi à creditoribus obruti cogerentur ſtatim cedere bonis.

Dico 2. Omnes, quibus ſpecialiter non eſt 19
prohibitum, impetrare Reſcripta poſſunt. per *c. 3. & 10. b. t.* Prohibitum verò eſt 1. hæreticis *l. 3. C. de ſumma Trinit.* ſed in foro ſæculari, in quo tolerantur, id non ampliùs procedit. 2. excommunicatis, etiam toleratis (niſi ſit Reſcriptum ſuper ipſa excommunicationis, vel appellationis cauſa) *c. 26. eod. & c. 1. in 6.* quòd ſi à Papa, excommunicationis inſcio, impetrarent aliquod Reſcriptum, id eſſet ipſo Jure irritum (etiamſi ei inſerta eſſet abſolutio à cenſuris) & proceſſus indè ſecutus nullarum virium. *c. 1. cit.* Nec obſtat, quòd aliàs acta excommunicatorum toleratorum valeant in Judicio, ſi per exceptionem non repellantur; id enim ſolùm procedit, ſi agant coram Judice ordinario, non verò, ſi coram Judice per Reſcriptum delegato, propter *c. 1. cit.* Adde, quòd Judex delegatus ſuam juriſdictionem primùm acquirere debeat per Reſcriptum: ſi ergo Reſcriptum eſt nullum, nullam utique confert juriſdictionem. 3. procuratoribus falſis; aut jam revocatis. *c. 33. b. t.* Hi tamen validè obtinent Reſcripta impropriè dicta, ſcilicet quæ impetrant à Prælatis vel Principibus non ſupremis.

Dico 3. In petendis Reſcriptis *ad lites* expri- 20
mi debet 1. Reſcriptum jam priùs obtentum

in

in eadem cauſa, ſi revera obtentum ſit. 2. diſtantia rei ultra diætam à loco Judicii, ad quod trahitur, ſi revera tantùm diſtet. 3. conditio perſonæ privilegiatæ, ſi contra talem impetretur Reſcriptum. 4. lis pendens, & Judex, ſi cauſa jam ſit inchoata in Judicio. 5. ſententia lata, vel appellatio interpoſita, ſi illa jam lata, vel hæc interpoſita ſit. 6. transactio, vel pronuntiatio arbitri compromiſſarii, ſi alterutro modo jam ſit cauſa finita. 7. diffamatio, vel huic æquivalentia indicia, ſi in Reſcripto jubeatur inquiſitio ſpecialis contra aliquem.

21 Dico 4. In petendis Reſcriptis *Beneficialibus* exprimi debet 1. beneficium, ſi petens jam aliquod habeat (etiamſi tenue ſit) vel penſio in titulum beneficii data, vel vicaria perpetua, vel etiam jus ad beneficium tantùm. 2. qualitas beneficii antè obtenti, an ſit curatum, dignitas exigens reſidentiam, patronatum, unitum, electivum &c. an ſit beneficium Eccleſiæ Cathedralis, vel Regulare, ſi hoc petat ſæcularis, & viciſſim. 3. valor ſeu quantitas redituum beneficii juxta ſtylum Romanæ Curiæ, juxta quem omnes Canonicatus Germaniæ non excedere æſtimantur 24. ducatos, ut nimirum evitentur annatæ. teſte Chokier ad *reg. 61. Cancellar.* 4. modus, quo vacat beneficium, nimirum an per mortem, reſignationem &c. 5. jus in vel ad beneficium, ſi tale aliquod competat alicui alteri. 6. Poſſeſſio etiam colorata tantùm, ſiquis alius eam in beneficio jam habeat, quin & detentio, modò ea non ſit notoriè injuſta. 7. Reſcriptum anterius, quod vel

vel ipſe petens, vel alius jam obtinuit ſuper idem Beneficium. 8. Patrimonium, quod habet petens, ſi Reſcriptum petatur in *forma pauperum*. 9. Habilitas, vel potiùs inhabilitas, propter quam, ſi non diſpenſetur, petens eſt incapax, ſi petitur & datur Reſcriptum in *forma gratioſa*, ut appellant, non in forma *dignum*. 10. Nomen Sancti illius Eccleſiæ, in qua eſt beneficium, niſi ſit Eccleſia Cathedralis; tunc enim ſufficit hanc exprimere. Vid. *Reg. Cancell.* & DD. paſſim tum ibi tum ad h. t.

Dico 5. Reſcripta *gratiæ* (niſi tempus præfixum ſit à Reſcribente) quocunque tempore (etiam jam mortuo Reſcribente, antequam initium ſit datum executioni gratiæ) præſentari poſſunt executori, quem Reſcribens deſignavit. Reſcripta etiam *juſtitiæ* tamdiu, quamdiu durat jus agendi, vel jus excipiendi, præſentari poſſunt Judici à Reſcribente deſignato. Prior pars colligitur ex *c. 36. de præb. in 6.* Poſterior ex *l. 2. C. de diverſ. Reſcr.* Si tamen impetrans Reſcriptum tam juſtitiæ quàm gratiæ ſibi velit conſultum, & tutò procedere; præſentare non differat ultra annum, poſtquam Judicis vel Executoris deſignati copiam habuerit; ſi enim intra annum ex negligentia vel malitia non obtulerit, & interea Adverſarius aliud Reſcriptum juſtitiæ, vel competitor aliud Reſcriptum gratiæ, v. g. ad beneficium impetraverit, valebit hoc ſecundum evaneſcente primo, ſi impetrans ſecundum excipiat contra primum, etiamſi in poſteriori non fiat mentio Reſcripti prioris. *c. 9. c. 23. h. t.* ſi enim poſterius 22

faceret mentionem prioris, per ſe clarum foret, quòd valeret ſecundum, utpote revocatorium prioris.

23 Dico 6. Quamvis Reſcripta omnia ſecundùm intentionem Reſcribentis, quæ maximè colligitur ex verbis ſecundùm receptam ſignificationem & ſtylum Curiæ acceptis, & diligenter attentis clauſulis Reſcripto annexis, accipienda ſint; ſi tamen omnibus perpenſis maneat dubium de mente concedentis, Reſcripta *gratiæ* quoad beneficia Eccleſiaſtica, & quoad diſpenſationes quaſcunque, ſunt ſtrictè interpretanda. *c. 4. de præb. in 6.* ibi: *quamvis aliàs in beneficiis* (à Principe conceſſis) *pleniſſima ſit interpretatio facienda, litteræ tamen ſuper obtinendis beneficiis* (Eccleſiaſticis) *debent reſtringi, cùm ſint ambitioſæ*, h. e. ambitionem ſapiant, & importunis precibus extorqueri ſoleant; niſi nimirum motu proprio conceſſum ſit Reſcriptum ad beneficium, vel in compenſationem damni. Quoad diſpenſationes conſtat tum ex *c. 28. de R. J. in 6. & l. 141. ff. eod.* tum indè, quia omnis diſpenſatio eſt contra Jus. Excipe tamen iterum 1. diſpenſationem motu proprio, & intuitu utilitatis publicæ conceſſam. 2. indultam toti Religioni. 3. clauſam *Corpore Juris.* 4. & niſi ea, ad quæ extenditur diſpenſatio, ſint acceſſoria, aut inſeparabiliter connexa cum eo, quod conceſſum eſt, vel talia, ut, ſi ad ea non extenderetur diſpenſatio, Reſcriptum fieret inutile. *c. 17. de ſent. Excom. in 6.* Cœtera autem Reſcripta gratiæ, quæ non ſunt contra Jus, neque cedunt in præjudicium tertii,

tertii, ſunt latæ interpretationis, non tamen ultra proprietatem verborum; uti & Reſcriptum, quo conceditur alicui *facultas diſpenſandi* generaliter, quia talis facultas nemini præjudicat, niſi concedenti tantùm; nec eſt contra Jus, adeóque eſt mera gratia & beneficium Principis, quod ampliari debet juxta regulam *odia. de R. J. in 6.* Excipe, niſi facultas diſpenſandi reſtringeretur ad unum caſum in particulari, quia tunc eſſet moraliter diſpenſatio ipſius Superioris, executione ſolùm commiſſâ alteri. Vid. *n. 87. de Conſtit.* Reſcripta verò *Juſtitiæ* ita debent accipi, ut non repugnent Juri Communi, ſed eidem conſonent, etiamſi verba debeant aliquo modo impropriè accipi. *c. 18. h. t. l. fin. C. ſi contra Jus:* imò ſi contra Jus ſint, nec expreſsè mentionem faciant, ſaltem generalem, qua ei derogare volunt, ſunt nulla. *l. cit.* ſi verò talem mentionem faciant, tamen ſunt ſtrictæ interpretationis, utpote correctoria Juris. Imò omnia Reſcripta ad lites, quia derogant juriſdictioni Judicis ordinarii, & fovent potiùs, quàm tollunt lites, non debent extendi ad perſonas, & cauſas in iis non expreſſas. *c. 40. de off. deleg.* atque ita accipienda ſunt, ut aliis eorúmque Juri jam quæſito quàm minimè noceant. *l. 2. §. 10. ff. ne quid in loc. publ.*

Oppones 1. *c. 27. de Decimis* extenditur privilegium percipiendi Decimas etiam ad Decimas Novalium: ſed diſpenſatio imitatur naturam privilegii, quod eſt contra Jus: ergo diſpenſatio eſt extendenda & latæ interpretationis. 24

nis. 2. Legitimatio obtenta ad actus ſpirituales extenditur etiam ad temporalia. *c. 13. qui filii ſint legit.* ſed legitimatio eſt aliqua diſpenſatio: ergo. ℞. ad 1. Illa diſpoſitio non erat contra Jus, ſed ſecundùm Jus commune; nam illud Monaſterium, cui Pontifex attribuit decimas, habebat parochias unitas, quibus de Jure debentur omnes decimæ. Ad 2. Illa extenſio non eſt deciſio Juris, ſed allegatio Partis, quæ ibi refertur.

25 Dico 7. Executio Reſcriptorum, quæ requirunt cognitionem cauſæ, & jurisdictionem Eccleſiaſticam, à Sede Apoſtolica ejúsque Legatis committi ſolet, & de Jure debet perſonis vel habentibus Dignitatem, vel Perſonatum, vel Canonicatum in Eccleſia Cathedrali. *c. 11. h. t. in 6.* Quò etiam ſpectant Priores Conventuales, & ſimiles Regularium Superiores, etiamſi non ſint perpetui. *Clem. Etſi 2. eod.* Dixi 1. *quæ requirunt cognitionem cauſæ & jurisdictionem*; Reſcripta enim alia & eorum executio non requirit prædictas qualitates in perſonis, quibus committitur, ut patet in diſpenſationibus, quas S. Pœnitentiaria committere ſolet Confeſſariis; qui tamen debent eſſe approbati ab Epiſcopo, ab Oratore (ſeu diſpenſationem petente) electi, & Doctores in Theologia vel Jure Canonico, vel ſaltem muniti privilegio Apoſtolico, quale habent Confeſſarii noſtræ Societatis per Conſtitutionem Gregorii XIII. quæ incipit, *Exponi.* Dixi 2. *à Sede Apoſtolica ejúsque Legatis:* quare Epiſcopi, cùm de ijs nihil ſtatuatur, ſuas litteras & earum

Digitized by Google

earum executionem poſſunt committere cuilibet idoneo Clerico. Dixi 3. *de Jure Communi debent*, qua tamen lege non ligatur Papa: ſi autem executionem committeret ſimplici Clerico, nec adderet clauſulam, *ex certa ſcientia*, Reſcriptum haberetur pro ſubreptitio & nullo. Porro ſi executio eſt demandata Epiſcopo, Præpoſito, Decano, nimirum intuitu & ſub expreſſione dignitatis, non perſonæ, tranſit ad ſucceſſores. *text. & gl. in c.14. de Offic. deleg.* Rurſus notandum eſt, quòd, ſi executio ad Epiſcopum pertinet, & Sedes vacat, Capitulum debeat exequi Reſcriptum. per *c.1. de Inſtit. in 6.* Si verò ad Capitulum Sede vacante dirigatur Reſcriptum, & novus Epiſcopus, antequam Capitulo fuerit præſentatum, eligatur interea & confirmetur, executio ſpectat ad Epiſcopum. Aliud eſt de Reſcriptis ad Vicarium Generalem deſtinatis; hæc enim, ſi moritur Vicarius, vel cedit Officio, non poteſt exequi Epiſcopus; nec illo vivente ſe ingerere in ea, quæ ſunt à Papa ſpecialiter commiſſa Vicario Generali: uti nec iſte viciſſim in ea, quæ à Papa ſpecialiter commiſſa ſunt Epiſcopo; licèt aliàs ſit idem utriusque tribunal, ſpectando jurisdictionem ordinariam, & cauſas generali mandato Epiſcopi comprehenſas.

Quæres, quid executores Reſcriptorum obſervare debeant circa modum exequendi? 26
℞. ſequentia. 1. debent diligenter inquirere, an non aliquid ſubſit, quo vitietur Reſcriptum, ejúsque impediatur effectus: ſi de aliquo vitio, vel ſubreptione &c. dubium ſit, executionem

ſuſpendere, donec plenè informentur. 2. Cauſas auctoritate Apoſtolica ſibi delegatas in civitatibus, & locis inſignibus, ubi facilè haberi poteſt copia peritorum Juris, cognoſcere & tractare. *c. 11. cit.* 3. intra 30. dies à litterarum præſentatione numerandos executioni mandare Reſcripta gratiæ ad beneficia Eccleſiaſtica, ac Oratores in poſſeſſionem mittere juxta conſtitutionem Pii V. niſi obſtet legitimum impedimentum, aut appareat contradictor. Si ulteriùs differant executionem, impetrans propter hoc gravamen appellare poteſt ad delegantem. per *c. 27. §. ult. de offic. deleg.* 4. Si in Reſcripto delegatur cauſa contra plures perſonas indefinitè, non poteſt delegatus vi talis Reſcripti plures, quàm tres vel quatuor in Judicium trahere; atque impetrans debet eorum nomina in primo Citatorio coram Judice delegato exprimere: nec poſtea variare poteſt. *c. 15. h. t. & c. 2. eod. in 6.*

27 Dico 8. Reſcripta juſtitiæ exſpirant cum concedente, ſi nimirum Reſcribens moriatur, re adhuc integra. *c. 20. & 30. de offic. deleg.* Econtra Reſcripta gratiæ durant, etiamſi Reſcribens moriatur, re adhuc integra, ſeu antequam initium executionis factum ſit. *c. 36. de præb. in 6. c. 9. de off. deleg. in 6. & c. 16. de R. J. in 6.* ibi: *decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum.* Niſi nimirum ipſe Princeps per clauſulam adjectam inſinuet aliud; ſi enim hanc adderet vel ſimilem; *quamdiu voluero: uſque ad beneplacitum meum*, per mortem ipſius naturalem exſpiraret Reſcriptum. *c. 5. h. t. in 6.* non verò per civilem,

ut

Digitized by Google

ut tenet Wagnereck *not.6.ad c.5.cit.* ut ſi concedens eſſet excommunicatus, ſuſpenſus, vel aliter impeditus, ne officium ſuum exercere poſſet; quia mors Civilis non æquiparatur Naturali, niſi in caſibus Jure expreſſis. Aliud foret juxta Pirhing, ſi civiliter eſſet mortuus per depoſitionem & omnimodam amiſſionem Officii; quia radix concedendi gratiam eſt officium, conſequenter voluntas concedendi non durat diutiùs, quàm officium. Oppones. Si hæc clauſula, *quamdiu voluero: usque ad beneplacitum meum &c.* faciat, ut Reſcriptum gratiæ per mortem, ſaltem naturalem, concedentis exſpiret, etiam exſpirabit, ſi ei adjiciatur hæc: *usque ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, Epiſcopalis &c.* vel iſta: *donec revocavero:* vel: *uſque dum aliter providendum judicavero:* vel: *usque ad Papæ concedentis beneplacitum:* ſed ſi una ex his poſterioribus clauſulis adjiciatur, non ceſſat gratia cum morte concedentis. per *c. 5. cit. & ibi gl. v. perpetuò:* ergo neque, ſi illæ duæ priores apponantur. ℞. N. *Sequelam.* Ratio diſparitatis eſt, quia ipſa Sedes nunquam moritur, nec Papa in genere: ergo ſi ad beneplacitum *Papæ*, vel *Sedis* conceditur gratia, moriente Papa non ceſſat. Item ſi concedatur tamdiu, quamdiu *non revocaverit*, vel *aliter judicaverit* concedens, alligatur ceſſatio ad expreſſam concedentis voluntatem in contrarium, & ad poſitivam revocationem: priores verò duæ ſolùm denotant voluntatem ſemel poſitam, quæ cum concedente utique extinguitur; nõ verò per mortẽ concedentis ponitur actus poſitivus Reſcriptũ revocans.

TITULUS IV.

De Conſuetudine.

SUMMARIUM.

1. 2. *Conſuetudo dicitur Lex ſeu Jus non-ſcriptum, ſi ſit Juris, & non Facti.*

3. *Alia dicitur eſſe ſecundùm, alia contra, alia præter Legem.*

4. *Conditiones ad Conſuetudinem requiſitæ: quæ introduci poteſt vel per viam præſcriptionis, vel per viam conniventiæ.*

5. *Quid ſit Conſuetudo.*

6. *Quomodo differat à Lege, Traditione, Uſu, Stylo fori, Præſcriptione.*

7. 8. *Conſuetudo omnis, tam contra quàm præter Legem, debet eſſe rationabilis, ſaltem negative.*

9. *Actus ad Conſuetudinem introducendam neceſſarii debent eſſe notorii, frequentati &c.*

10. *Quale tempus requiratur ad introducendam.*

11. 12. *Conſenſus Legislatoris neceſſarius eſt, ſed Juridicus & Legalis ſufficit.*

13. *Quis effectus conſuetudinis.*

14. *Poteſt abrogare Legem Humanam.*

15. *Quasnam Conſuetudines reprobent Jura.*

16. *Qualiter abroget Conſuetudinem Lex ei contraria.*

17. *An derogari poſſit per conſuetudinem Legi, conſuetudinem abroganti, vel reprobanti.*

18. *An & qualiter probanda ſit conſuetudo ab allegante.*

Ordo

Digitized by Google

ORdo Doctrinæ poſtulat, ut à *Jure Scripto*, quod faciunt Conſtitutiones & Reſcripta Principum, ad *Jus non-Scriptum*, quod in Conſuetudine conſiſtit, tranſitus fiat. Vocatur conſuetudo Jus non-Scriptum nō propterea, quòd ex poſt facto, memoriæ causâ, non poſſit redigi in ſcripturam, vel etiam in *Corpus Juris* inſeri, ſicut Jus Feudale, quod merè Conſuetudinarium eſt, in Corpus Juris Civilis relatum eſt, ſed quòd initio absque ſcriptura, absque Legislatoris expreſſo præcepto, & absque Præconis voce introducatur, & ex uſu moribúsque hominum deſcendens, authoritatem legalem obtineat. Germanicè appellatur Ein altes Herkommen: Gebrauch: Gewohnheit. 1

§. I.

Quid ſit Conſuetudo, & quas requirat Conditiones.

Sciendum 1. duobus modis conſuetudinem accipi. 1. *materialiter & cauſaliter*, ſeu pro ipſo uſu diuturno, pro moribus, ſeu actibus à populo frequentatis; & tunc dicitur *conſuetudo Facti*, de qua ſermo eſt *can.5.d.1.* ibi: *vocatur autem Conſuetudo, quia in communi eſt uſu.* 2. *formaliter*, ſeu pro ipſo Jure ſive Lege ex ejusmodi actibus, vel publicis moribus populi reſultante; & tunc appellatur *conſuetudo Juris*, de qua potiſſimùm à nobis agetur, quam *can. cit. pr.* ſic deſcribit: *Conſuetudo eſt jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro Lege ſuſcipitur, cùm deficit Lex.* Quæ definitio, quamquam frequenti DD. calculo recipiatur; quia tamen non convenit conſuetudini contra Legem, ac inſuper plures ad 2

Digitized by Google

conſuetudinem neceſſarias conditiones nō exprimit, accuratiorem infrà dabimus. Civiliſtæ ex *l 32.33.35.ff.de LL.*eam dicunt eſſe *Jus non ſcriptum tacitis utentium moribus introductum.*

Sc. 2. Conſuetudinem, ſicut de Reſcriptis
3 meminimus, aliam eſſe *ſecundùm Legem*, quæ non inducit novum Jus,ſed Legem priùs latam actuali executione confirmat & declarat;unde illud: *Conſuetudo eſt optima Legum interpres. l.37. ff.eod.c.8.h.t.* Aliam verò *præter legem*,per quam verè inducitur novum Jus & obligatio. Aliam denique *contra Legem*, per quam Jus aliquod antè exiſtens abrogatur,& tollitur vel ſimpliciter vel ſecundùm partem.Hæc diviſio communiter adduci ſolet, quamquam ſtrictè loquendo conſuetudo *ſecundùm Jus*, vocetur rectiùs *Obſervantia*,quàm conſuetudo,vel ad ſummum *conſuetudo Facti*; quia non conſtituit Jus ſeu Legem non ſcriptam. Quin & conſuetudo *contra Legem* directè non facit Jus, niſi *permiſſivum*,ferè eo modo, quo Lex abrogatoria prioris Legis directè non inducit Jus obligans, ſed permiſſivum, vi cujus aliquis licitè poteſt aliquid facere vel omittere, quod ſtante Lege non potuiſſet; adeóque potiùs *deſuetudo* vocanda videretur quàm conſuetudo, niſi receptus loquendi uſus aliud expoſceret. Cæterùm cùm conſuetudo habeat rationem Legis, ferè eaſdem diviſiones recipit, quas Lex ſcripta. Præcipuè dividitur in Canonicam & Civilem. Conſuetudo *Canonica* eſt, quæ datur in re ſpirituali, vel in re quidem temporali, ſed inter perſonas Eccleſiaſticas tantùm. *Civilis*, quæ datur in re temporali,

rali, & inter Laicos, vel tantùm, vel inter Laicos & Clericos ſimul.

Sc. 3. Sicut ad rationem Legis ſcriptæ requiritur, ut ſit rationabilis, utilis communitati, atque ab eo, qui curam communitatis habet, ſeu à Legislatore profecta; ita etiam ad conſuetudinem requiri 1. ut ſit rationabilis. 2. introducta à tota Communitate, & non ab homine privato, vel à Communitate aliqua imperfecta, qualis eſt familia aliqua ſpecialis; cùm utique abſurdum foret, ſi homo privatus, vel familia privata poſſet vel Legem conſtituere, vel per transgreſſionem ſe ab obligatione Legis eximere. Cùm verò populus nequeat introducere conſuetudinem, utpote nō præditus poteſtate Legislativa (niſi ſit Communitas Democratica) quia poteſtatem hanc à ſe in Principem vel Magiſtratum jam tranſtulit, hinc 3. requiritur, ut accedat conſenſus Principis vel Magiſtratûs, Legiſlativam poteſtatem habentis; quia conſuetudo eſt lex. Populus itaque ponit duntaxat actus, per quos introducitur uſus, auctoritatem verò legalem ſuperaddit Principis, vel Magiſtratûs conſenſus. Has proinde conditiones ad conſuetudinem neceſſarias enucleatiùs explicaturi dicemus 1. an & quomodo rationabilis eſſe debeat conſuetudo. 2. quot actus & qua intentione poſitos requirat. 3. quanto tempore illi debeant continuari. 4. quali conſenſu Legislatoris opus ſit, perſonali an legali. Conſenſus *Perſonalis* ſeu Specialis eſt, quo Legislator actus & mores populi immediatè per 4

ſe,

Digitized by Google

ſe, & perſonaliter approbat, vel expreſsè, vel ſaltem tacitè, dum populi actibus, quos tamen ſcit, non contradicit, licèt poſſet. *Legalis* eſt ſeu Juridicus, & Generalis, qui habetur per leges & canones, generaliter omnem conſuetudinem approbantes, quæ debitis conditionibus eſt affecta. *c. fin. h. t. l, 32. & 35. ff. de LL.* nam & ipſa generalis approbatio Conſuetudinis, in Jure Scripto contenta, originaliter eſt à Legislatore competente. Siquidem conſuetudo introduci poteſt duplici via, conniventiæ & præſcriptionis: *per viam conniventiæ* introducitur, ſi Legislator populi mores, quibus conſuetudo perficitur, ſcit & diſſimulat: *per viam præſcriptionis* autem, ſi mores & actus populi, ignorante eos Legislatore, debito modo & tempore continuentur: quamquam hæc præſcriptio non ſit propriè & ſtrictè talis.

5 Dico 1. Conſuetudo eſt Jus non-Scriptum diuturnis populi moribus, & cum aliquo Legislatoris Conſenſu introductum. Colligitur hæc definitio tum ex dictis, tum ex *can. 5. & l. 32. citt.* Dixi 1. *Jus*, ut indicarem, ad conſuetudinem requiri eas conditiones, quas poſtulat Lex, ſcilicet eam eſſe oportere honeſtam, poſſibilem, utilem, rationabilem, obligationis reſpectu totius Communitatis inductivam, ut adeò Judex ſecundùm eam non minùs, ac ſecundùm Legem Scriptam judicare teneatur. *pr. Inſt. de Off. Judic. arg. l. 19. ff. de appellat.* aliàs ſententia eſt nulla. 2. *non ſcriptum*, per quod differt à Lege ſcripta, & per expreſſam voluntatem

Digitized by Google

tatem Legislatoris poſita. 3. *diuturnis moribus*, h. e. frequentatis actibus debito tempore; lex enim unico quidem actu, nempe Legislatoris volitione promulgata, conſtituitur; conſuetudo autem plures exigit actus. 4. *Populi*, h.e. Communitatis perfectæ, vel majoris ſaltem partis; nam ſicut ad aliorum actuum, quos celebrat Communitas, opus & ſufficiens eſt conſenſus ſaltem majoris partis, ita ad introducendam conſuetudinem, per *l. 19. ff. ad Municipalem, c. 1. de his, quæ fiunt à Majore*; cùm in perſona ficta, qualis eſt Communitas, major pars repræſentet totum Corpus. 5. *aliquo Legislatoris conſenſu*, nimirum *tacito*, ſi per viam *conniventiæ* introducitur conſuetudo, vel *Legali*, ſi per viam *præſcriptionis*; conſenſum verò aliquẽ exigi, conſtat indè, quòd populus poteſtate condendi & abrogandi Leges careat: conſenſus verò Legislatoris, ſicut expreſſus in Lege ſcripta promulgatur per ſcripturam aut præconis vocem, ita tacitus vel Legalis in conſuetudine divulgatur per mores populi. Ex quibus

Infertur 1. conſuetudinem differre 1. à *Lege* tum ratione conſensûs Legislatoris tum ratione modi promulgandi & introducendi. 2. à *Traditione*; quia hæc non oritur ex uſu, neque novum Jus introducit, ſed introductum à Chriſto v. g. vel ab Apoſtolis ſupponit, & inſtar promulgationis proponit per continuam obſervationem atque narrationem. Sic ex traditione Divina, quam nobis proponit Eccleſia, habemus in plerisque Sacramentis determinatam 6

natam materiam & formam: ex eadem infallibiliter cognoſcimus, quòd exiſtat aliqua Scriptura S. & Divinitus inſpirata, quænam illa ſit, & an ab omni errore purgata &c. Unde, cùm hæretici ex odio Romani Pontificis & Eccleſiæ Catholicæ rejiciant traditiones iſtas, in prædictis Fidei primis principiis eos fluctuare ſemper neceſſe eſt. 3. ab *Uſu* vel *obſervantia*, & quidem tanquam effectum à cauſa; quia ex uſu frequenti naſcitur conſuetudo. 4. à *Stylo Curiæ*, & *Fori*, tanquam genus à ſpecie: hic enim ſtylus eſt quædam ſpecies conſuetudinis, nimirum eſt conſuetudo certæ Curiæ, certorum Tribunalium in ſuis Judiciis. Quòdſi verò Stylus Curiæ ſumatur non pro certo modo Judicialiter procedendi in aliquo tribunali, ſed pro certa ratione ſcribendi, reſpondendi &c. non eſt propriè conſuetudo, quia non inducit Legem; ſed quædam potiùs obſervantia. 5. à *Præſcriptione*, & quidem multipliciter; nam Præſcriptio datur ſolùm inter perſonas privatas & particulares; & ipſa etiam Communitas in puncto præſcriptionis conſideratur ut perſona particularis: fit cum lucro unius & damno alterius: datur etiam, & quidem maximè, in rebus corporalibus: requirit bonam fidem & titulum. Econtra Conſuetudo reſpicit Communitatem quà talem: non ſpectat lucrum vel damnum particularium, ſed vel exemptionem à Lege, vel impoſitionem Legis pro tota Communitate: ſolùm habet locum in incorporalibus: non exigit bonam fidem &c.

7 Dico 2. Conſuetudo tam contra quàm præter

ter legem neceſſariò debet eſſe rationabilis ſaltem negativè, & eo modo, quo lex. *c. fin. h. t. c. 2. eod. in 6. l. 1. C. quæ ſit longa conſuet.* Addidi, *ſaltem negativè*, h. e. non debet adverſari Juri Naturali aut Divino, non rectæ rationi & bonis moribus, nec indecentiam, nimiam licentiam, vel occaſionem peccandi ſecum ferre, non repugnare Religioni, nec demum à Jure Poſitivo humano eſſe reprobata tanquam corruptela. Fateor tamen, vix eſſe poſſibile, ut conſuetudo, dictis rebus non adverſans, non ſimul *poſitivè* rationabilis ſit propter aliquam rationem generalem, v. g. quòd ſtante tali conſuetudine, quæ fortè eſt contra legem, ſuaviùs regatur populus, diminuatur legum copia, tollantur conſcientiarum laquei &c. Etiamſi igitur non appareret aliqua ratio ſpecialis, quæ conſuetudinem reddat poſitivè rationabilem, quia v. g. minuendis ſervit litibus, tranquillitatem fovet publicam &c. tamen talis ordinariè erit. Adde, quòd in lege ſcripta non neceſſariò requiratur ratio poſitiva ſpecialis ad hoc, ut lex habeatur pro rationabili; quæ enim cauſa ſpecialis eſt ea in lege, quæ determinatè requirit 7. teſtes ad valorem Teſtamenti? cur non 6. vel 8. exigit? Cur ergo ad legem non ſcriptam neceſſaria ſit cauſa poſitiva ſpecialis? & quidem in ſpecie, cur dictæ legi de 7. teſtibus non poſſit introduci conſuetudo contraria, vi cujus adhibendi eſſent 6. vel 8. teſtes? cur enim talis conſuetudo non poſſit eſſe utilis Reipublicæ, etiamſi nulla ſpecialis ratio pugnaret pro tali numero teſtium determinato? Cœterùm

Digitized by Google

terùm in dubio conſuetudo præſumenda eſt rationabilis eſſe, ſicut lex ſcripta, niſi ſpecialiter ſit reprobata à Jure.

8 Oppones 1. Quod eſt contra aliquid rationabile, id nequit eſſe rationabile, utpote rationi repugnans: ſed conſuetudo contra legem eſt contra aliquid rationabile; cùm omnis lex neceſſariò ſit rationabilis: ergo conſuetudo contra legem non poteſt eſſe rationabilis. 2. actus contra legem ſunt peccaminoſi: ergò non ſunt rationabiles: ergò neque conſuetudo, quæ ex his actibus naſcitur, ac in iis partialiter conſiſtit. 3. conſuetudo debet eſſe *legitimè præſcripta. c. fin. cit.* ergo debet introduci cum bona fide, cùm hanc requirat omnis præſcriptio: atqui bona fides non poteſt eſſe in iis, qui ſcienter & voluntariè transgrediuntur legem uti faciunt, qui conſuetudinem introducunt contra legem. ℞. ad 1. retorquendo imprimis argumentum in adverſarios, qui omnes admittunt, ferri poſſe legem novam priori contrariam: ſi igitur lex poſterior, quæ eſt contra legem, poteſt eſſe rationabilis: cur non & conſuetudo contra legem? In *forma* diſt. *Ma.* quod eſt contra aliquid rationabile tam *in facto eſſe*, quàm *in fieri*. *C. Ma.* quod tantùm *in fieri*, non verò *in facto eſſe*. *N. Ma.* & ſic diſtincta *Min. N. Conſ.* Si conſuetudo conſideretur *in facto eſſe*, & per frequentatos actus jam completa, jam adeſt conſenſus, ſaltem legalis, ſuperioris: accedente autem conſenſu legislatoris in conſuetudinem eo ipſo ceſſat lex, contra quam pugnat conſuetudo, & conſequenter

con-

conſuetudo incipit eſſe rationabilis, nec ampliùs adverſatur alicui rationabili; quamvis ſtante adhuc lege, dum conſuetudo adhuc erat *in fieri*, & nondum completa, ea fuerit non rationabilis, utpote contraria legi adhuc duranti. Poſt legis autem violationem valde frequentem & communem lex deſinit eſſe utilis Communitati, imò incipit eſſe noxia membrorum æternæ ſaluti, conſequenter debet deſinere, legislator autem, qui vel maximè utilitatem & ſalutem ſubditorum reſpicere tenetur, conſentire in ceſſationem legis, cùm ejus obſervatio poſt tot & tam communes transgreſſiones prudenter ſperari haud ampliùs poſſit, adeóque fiat moraliter impoſſibilis. Et quia lex ipſa approbat omnem conſuetudinem rationabilem & præſcriptam contra legem, eo ipſo datur legalis conſenſus Superioris. Ad 2. Diſt. *illatum* eodem modo: ergo conſuetudo *in fieri* non eſt rationabilis. *C. in facto eſſe. N. illatum.* Alii, qui putant, per actus peccaminoſos non poſſe introduci conſuetudinem contra legem (uti Azor, Layman. Engel, Pirhing ad *h. t. n.* 44. contra Suar. *l. 7. de LL. c. 1. n. 12.* Sanch. Sal. Lug) reſpondent hoc modo: primi transgreſſores legis non derogant legi per ſuos actus peccaminoſos, bene tamen poſteriores, qui ſucceſſu temporis bona fide non obſervant legem, eò quòd per errorem putent, anteceſſores ſuos licitè egiſſe contra legem, v. g. propter diſpenſationem vel alium honeſtum titulum. Sed horum reſponſio non placet; quia, ſi ſucceſſores per errorem judicent, legem, cui con-

trarios exercent actus, per Anteceſſores jam eſſe abrogatam, vel aliunde non ampliùs obligare, tunc eorum actus non ampliùs ſunt contra legem, utpote non ampliùs exiſtentem in ipſorum opinione, & ſic non introducunt conſuetudinem contra legem, nec eam abrogant. Ratio eſt, quòd actus non operentur ultra intentionem agentium, adeóque per actus erroneos, quibus operantes non intendunt abrogare legem, non præjudicetur legi, ac per conſequens ea maneat ſemper in poſſeſſione & vigore ſuo. Ad 3. vel eſt ſermo de conſuetudine *præſcriptiva*, in qua intervenire debet præſcriptio propriè dicta, uti debet, quando per actus frequentatos læditur jus alterius privati, vel ſaltem conſiderati ut privati, v. g. jus Eccleſiæ, civitatis? & tunc utique non poteſt introduci conſuetudo, alieno juri contraria, cùm mala fide & per actus illicitos. Sic immunitas à ſolvendis Decimis introduci nequit per conſuetudinem ab eo, qui ſcit, ſe obligari ad Decimas ſolvendas, etiamſi centum annis non ſolveret. Vel eſt ſermo, uti eſſe debet, de conſuetudine *Legali*, qua ſcienter contravenitur legi, Communitatem quà talem reſpicienti & obliganti? & tunc çum Suar. Vasq. Lugo, Barb. Haun. Baſſus, Wieſtner *n.35*. nego, requiri bonam fidem. Talis conſuetudo debet quidem, uti aſſerit *c. fin. cit.* eſſe *legitimè præſcripta*, at non præſcriptione propriè dicta, cùm conſuetudinis legalis & præſcriptionis propriè dictæ conditiones ſint longè diverſæ, ſicut longè diverſa eſt utriusque natura, ut *n. 6.* vidimus; ſed

ſed hoc ſenſu, quòd debeat habere actus diuturno tempore à majori parte communitatis & ſine interruptione frequentatos, ſicut ad præſcriptionem requiruntur iſta: quin imò nec in tempore perfectè convenit conſuetudo legalis cum præſcriptione; aliàs contra legem Eccleſiaſticam univerſalem, vel à Papa latam, non poſſet prævalere conſuetudo niſi poſt 100. annos, quod nemo dixerit; cùm ad præſcriptionem contra Eccleſiam Romanam requirantur aliàs tot anni. *c. 14. de Præſcript.*

Dico 3. Actus, quibus introducitur conſuetudo, debent eſſe 1. notorii. 2. tot, quot juxta arbitrium prudentis Judicis ſufficiunt ad colligendum populi conſenſum. 3. poſiti voluntariè, ſine ignorantia, errore, metu. 4. & cum intentione introducendi conſuetudinem, adeóque obligationem, ſi *præter*, & tollendi obligationem, ſi *contra* legem ſit conſuetudo. Menoch. Harprecht, alii. Prima pars probatur indè, quia niſi actus ſint publici & notorii, à majori parte Communitatis præſentibus & ſcientibus multis perſonis facti, nequit intelligi tacitus populi conſenſus, qui tamen neceſſarius eſt. *§. 9. Inſt. de J. N. G. & C. l. 32. & 35. ff. de LL.* Sufficit tamen, quòd ſint notorii notorietate facti, nec opus, ut ſint notorii notorietate juris, h. e. publicati in Judicio contradictorio per ſententiam Judicis; quia hæc neceſſitas ex nullo Jure probatur: quamquam ejuſmodi actus Judiciales multùm ſervirent ad conſuetudinem probandam. *l. 34. ff. eod.* ſi ea aliquando firmata ſit in Judicio contradictorio. Altera pars valde controverſa eſt inter Auctores, dum

aliqui cùm Azor volunt ſufficere etiam unicum actum, ſi ille continuetur, & ſit ſucceſſivus, alii cum Sylv. duos vel tres requirunt, alii cum gl. id ipſum admittunt, ſi actus ſint Judiciales, non verò, ſi extrajudiciales, alii demum, cum quibus & nos ſentimus, convenientiùs numerum actuum relinquunt arbitrio Judicis. per *l. 137. §. 2. ff. de V. O. & l. 10. ſeqq. ff. de LL.* cùm Jura nihil certi ſtatuerint, imò nec ſtatuere potuerint, eò quòd pro diverſitate materiæ & circumſtantiarum exigantur plures vel pauciores actus ad hoc, ut conjiciatur populi conſenſus. Unicus actus, vel duo tantùm aut tres, non tantùm ſine lege ſtatuuntur, ſed etiam contra leges, uti *§. 9. cit. l. 33. ff. de LL. l. 1. & 2. C. quæ ſit longa conſuet.* ubi ad conſuetudinem requiſiti actus vocantur *diuturni, frequentes, longævi.* Adde, quòd pluralitas actuum neceſſaria ſit etiam ad hoc, ut conſtet de populi conſenſu in conſuetudinem: ſed ex uno vel duobus actibus planè impoſſibile eſt de populi, vel majoris partis populi, conſenſu ſatis conſtare. Nec obſtat *can. ult. cauſ. 25. q. 2.* ubi ex *geminatis* actibus conſuetudinem induci inſinuatur; nam ibi non eſt ſermo de conſuetudine legali, ſed de conſuetudine alicujus privati, & uſu peccandi 3.tia pars patet ex *l. 35. cit.* ubi conſuetudo vocatur *tacita civium conventio*, & ex §. 9. *cit.* ubi *diuturni mores conſenſu utentium approbati legem imitari* dicuntur: ergo actus debent eſſe voluntarii: voluntarii autem non ſunt, qui procedunt ex ignorantia aut errore, dum ignoratur, vel judica-

dicatur non exiſtere lex, contra quam tendunt actus; cùm nihil ſit adeò contrarium conſenſui, ac ignorantia & error. *l. 116. §. 2. ff. de R. J.* atque errantis ſeu ignorantis nullus ſit conſenſus. *l. 15. ff. de jurisdict.* Et hinc, ſi populus per multos annos obſervaret aliquod feſtum vel jejunium, per errorem judicans, illud eſſe ſub præcepto, non induceret conſuetudinem Juris, & obligatoriam; nec abrogatoriam legis, ſi per multos annos ignarus legis eam materialiter violaret. Metus autem, quamvis non tollat voluntarium & liberum ſimpliciter, tollit tamen intentionem inducendi conſuetudinem, quæ omnino requiritur, ut per eam introducatur nova lex, vel abrogetur antiqua; nam 4.ta pars, quam teſte Wagnereck *ad hanc rubr. not. 6.* tenent omnes, indè evincitur, quòd actus non operentur ultra intentionem agentium. per *l. 19. ff. de reb. cred.* & de ratione legis cujuscunque ſit, ut ponatur cum intentione obligandi: conſuetudo autem ſit lex non ſcripta. Atque hinc actus *meræ facultatis,* ut vocant, devotionis, aut liberalitatis, non inducunt conſuetudinem legalem & obligatoriam; nec etiam actus quicunque abrogant legem præexiſtentem, ſi fiant ſine intentione abrogandi. Unde univerſalis uſus ter ſalutandi in die B. Virginem ad campanæ pulſum, aſpergendi ſe aquâ benedictâ in ingreſſu Eccleſiæ, pia conſuetudo quotidie audiendi Sacrum, frequens eleemoſyna hoſpitali vel Eccleſiæ erogari ſolita, invitatio annua ad convivium amicitiæ causâ &c. nullam inducit obligationem. Sed quid

 dicen-

dicendum, ſi dubium ſit, an Comunitas actus, quos ponit frequentes, faciat animô introducendi conſuetudinem? ℞. Si conſuetudo ſit *præter* legem, & tendat ad obligationem introducendam, præſumendum eſt, non adeſſe animum introducendi conſuetudinem. Excipe 1. niſi res admodú ardua uniformiter obſervetur à majori parte Comunitatis, quia difficilia non ſolent à multis ſervari citra obligationem. 2. aut niſi res bono Communi ſit valde utilis. 3. aut niſi ex transgreſſione communis obſervantiæ ſcandalizetur populus, vel Judex transgredientes puniat. Suar. *l. 7. de LL. c. 15. n. 15.* Atque ob ſimiles cauſas præſumebatur jam olim, introductam eſſe obligationem recitandi Breviarium, nulla adhuc lege ſcripta exiſtente. Quòd ſi verò conſuetudo ſit *contra* legem, & tendat ad liberationem ab obligatione, faciliùs præſumi poteſt animus conſuetudnem inducendi; cùm homines ad liberandum, quàm onerandum obligatione, proniores ſint, & in dubio nemo præſumendus ſit obligari velle. *l. 47. ff. de O. & A.*

10 Dico 4. Temporis ad conſuetudinem requiſiti longitudo relinquitur arbitrio prudentis Judicis; modò ſit continuum & non interruptú. Menoch. *Arbitr. l. 2. Caſ. 83. n. 6.* Lauterbach, *ad tit. de LL. in ff. §. 35.* & plures alii; id deſumentes ex *l. 10. ſeqq. ff. de LL. l. 1. §. 2. ff. de jure deliberandi.* & ex hac ratione, quia Jus nullibi determinat certum tempus, ſed ſolùm requirit tempus plurium annorum, conſuetudinem vocando *inveteratam, longam, longævam, vetuſtiſſimam.*

Digitized by Google

mam. l. 32. ff. de LL. l. 1.2. C. quæ ſit longa conſuet. l. ult. C. de privil. ſcholar. Jus autem, *cùm dicit tempus, nec adjicit diem* (h. e. illud non determinat) *ſine dubio oſtendit, eſſe in poteſtate jus dicentis, quem diem* (quod tempus) *præſtituat. l. 1. cit.* Judex igitur ex circumſtantiis metietur, an conſuetudo duret tanto tempore, ut ex ejus lapſu rationabiliter poſſit præſumi conſenſus populi in conſuetudinem. Addidi in aſſertione, *modò ſit continuum &c.* quando enim Jus præſcribit aliquod tempus, ſolet & cenſetur præſcribere continuum, ut patet in tempore Præſcriptionis, in anno Novitiatûs ante Profeſſionem Religioſam &c. Tempus autem conſuetudini neceſſarium interrumperetur, ſi Princeps v. g. puniret transgreſſores legis, vel ſi major pars communitatis ageret adversùs conſuetudinem, etiam unico tantùm actu. Sed iſta procedunt de caſu, quo conſuetudo inducitur per viam præſcriptionis; citiùs enim introducitur per viam conniventiæ, ſi Princeps ſciat, & diſſimulet &c.

Oppones 1. Conſuetudo debet eſſe legitimè præſcripta. *c. fin cit.* ergo requirit tempus, quod aliàs requirit præſcriptio; ſi enim non conveniret cum præſcriptione quoad tempus, nullam ex requiſitis ad præſcriptionem conditionibus haberet, ac proinde malè diceretur *præſcripta:* ergo à Jure ſatis eſt determinatum tempus ad conſuetudinem neceſſarium. 2. Ad conſuetudinem introducendã requiritur longum tempus & diuturnum. *c. fin. & l. 32. citt.* ſed tempus longum in Jure ſunt 10. anni inter præſentes,

& 20. inter abſentes: ergo de Jure requiruntur 10. vel 20. anni ad conſuetudinem. 3. Conſuetudo legalis eſſe cenſetur, quæ excedit hominum memoriam. *l. 3. §. 4. de aqua quotid. & æſtiv.* & alibi ſæpius: ergo de Jure requiritur ad conſuetudinem tempus immemoriale. ℞. Ad 1. *N. Conſ.* In ratione temporis convenit conſuetudo legalis cum præſcriptione, quòd requirat tempus *continuum* & non interruptum, non verò quòd habeat tempus à Jure determinatum, ſicut præſcriptio. Conſuetudo *legalis*, inquam; nam *præſcriptiva* contra Eccleſiam v. g. requirit tempus ad præſcriptionem contra Eccleſiam à Jure determinatam, quia per eam aliquod Jus vel dominium, ad Eccleſiam vel ejus utilitatem aut favorem pertinens, aufertur & perimitur. Econtra per conſuetudinem legalem, licèt introductam per viam præſcriptionis, non aufertur Eccleſiæ aliquod jus, ad ejus utilitatem ſpectans. Deinde in conſuetudine legali adeſt conſenſus ſaltem legalis ſummi Pontificis, etiamſi pugnet contra legem Eccleſiaſticam; quia Pontifex & ipſa Eccleſia in Jure approbat conſuetudinem contra legem; ſed tempus non determinat ad talem conſuetudinem, ſicut tamen determinat Lex Præſcriptionis. Ad 2. Diſt. *Min* tempus longum in Jure ſunt 10. vel 20. anni tantùm. N. etiam. C. *Mi.* tempus enim diuturnum & longum quandoque Jus vocat etiam annos 30. vel 40. uti *l. 57. ff. de ritu Nupt. l. 2. C. de præſcript. 30. ann.* Hoc tamen concedo Adverſariis, qui cum Suar. *c. 15. n. 5.* Palao & aliis magno numero re-

qui-

quirunt Decennium, quòd iſtud, ſaltem ordinariè, ſufficiat, non verò, quòd ſemper; quia Jus non determinat pro omni conſuetudine, & ratio dictat, plus temporis requiri ad conſuetudinem in rebus magni momenti, vel præjudicii, quàm in levioribus. Diſcrimen inter Legislatorem abſentem & præſentem, conſequenter inter 10. & 20. annos vanum eſt; quia conſuetudo nec inducit nec abrogat Legem per conſenſum Legislatoris perſonalem, ſed per Legalem: quid autem facit ad hunc conſenſum præſentia vel abſentia Principis? Si enim princeps infra Decennium ſciat transgreſſiones Legis frequentes, & taceat, deſinit lex ante completum Decennium, at non vi conſuetudinis, ſed vi conſenſûs perſonalis Principis, Legem tacitè revocantis; quia conſuetudo talis legi contraria, non per viam præſcriptionis, quod tamen ad conſuetudinem propriè talem neceſſarium eſt, ſed per viam conniventiæ introducitur. Ad 3. Ibi quidem approbatur conſuetudo temporis immemorialis, non tamen reprobatur vel negatur alia, quæ minus habet temporis.

Dico 5. Ad introducendam conſuetudinem requiritur quidem conſenſus Legislatoris, non tamen alius, niſi legalis & juridicus. Prior pars conſtat indè, quia conſuetudo habet rationem Legis: Lex autem non conſtituitur (vel conſtituta non abrogatur) niſi per voluntatem ejus, qui Leges ferendi poteſtate pollet. Poſterior probatur tum negativè, quia Jura nullibi requirunt conſenſum Legislatoris perſonalem, ſed 11

approbant generaliter omnem conſuetudinem rationabilem, legitimè præſcriptam,& diuturnis populi uniformiter operantis moribus firmatam. *c. fin. l.32. citt. l. fin. C. quæ ſit longa conſuet.* ſine ulla mentione conſensûs Legislatoris, adeóque non alium conſenſum illius, quàm per dicta Jura expreſſum, qui eſt conſenſus legalis, requirunt: tum exinde, quia, ſi accederet conſenſus perſonalis illius, qui legem ferre vel abrogare poteſt, lex non tam per conſuetudinem præſcriptam & mores populi fieret, vel deſineret, quàm per conſenſum Principis vel expreſſum vel tacitum, v.g. ſi ſciat Princeps, Legem ſuam, quam primùm tulit, & quæ nondum recepta eſt, violari à ſubditis, ipſe verò taceat, cenſetur revocare legem, & ſic aboletur per ejus maximè conſenſum: ſi verò lex jam quidem fuit uſu recepta, Princeps tamen ſciat, eam paſſim violari, nec tamen contradicat, rurſus cenſetur legem velle tollere; modò non coactè & metu majoris mali taceat: ſi enim non liberè & voluntariè taceret, non poſſet præſumi ejus conſenſus, ſicut nec præſumitur populi conſenſus in conſuetudinem, ſi operetur uniformiter quidem & diu, non tamen perfectè voluntariè & ſine metu, juxta illud *c. 18. de Præb. multa per patientiam tolerantur, quæ in judicium deducta tolerari non debent.* Itaque ad conſuetudinem propriè dictam, & quæ per *viam præſcriptionis* inducitur, non requiritur, ut Legislator ſciat,& perſonaliter conſentiat in eam, ſicut Præſcriptio non requirit ſcientiam & conſenſum Domini perſonalem; imò potiùs requirit ignoran-
tiam.
Digitized by Google

tiam illius. Quamvis requiratur ad inductionem conſuetudinis per *viam conniventiæ* ſcientia Principis mores & actus frequentatos approbantis vel ſaltem diſſimulantis: ſed tunc propriè & ſtrictè dicta conſuetudo non eſt.

Oppones cum Pontio & aliis. 1. Neque Jus, 12
neque Princeps approbat omnes conſuetudines, ſed aliquas damnant & rejiciunt: ergo Princeps ſcire debet, quænā & qualis ſit conſuetudo, quæ introducitur: ſed ſi ſcire debet, etiam approbare debet ſuo conſenſu perſonali, vel tacito, vel expreſſo: ergo. 2. Conſuetudo ſpecialis eſt lex ſpecialis: ſed lex ſpecialis requirit conſenſum ſpecialem Superioris: ergo: ſed conſenſus ſpecialis eſt perſonalis, & ſupponit ſcientiam illius, quod approbat. ℞. ad 1. Jus generali Lege approbat omnem conſuetudinem rationabilem legitimo tempore continuatam, moribus conſensúque populi introductam, & his conditionibus deſtitutam pariter omnem reprobat: non igitur opus eſt, ut legislator, qui ſuum conſenſum generaliter expreſſit in Jure, denuo ſciat & cognoſcat quamcunque conſuetudinem in particulari, & ſpecialiter approbet perſonali conſenſu. Imò Princeps plerumque ignorat particulares locorum conſuetudines. *c. 1. de Conſtit. in 6.* & tamen multæ particulares variorum locorum conſuetudines introducuntur, ut conſtat à poſteriori: ergo ad conſuetudines iſtas ſcientia & conſenſus perſonalis non eſt neceſſarius. Ad 2. N. *Min.* vel Diſt. requirit conſenſum ſpecialem, datum tamen generaliter. C. datam ſpecialiter & pro caſu ſingulari,

lari, N. *Min.* In exemplo: det aliquis Superior Religioſus ſuis ſubditis generalem licentiá prodeundi in campos cum ſocio die recreationis: iſta licentia, quamvìs dici poſſit data ad actum ſpecialem certis qualitatibus affectum, tamen data eſt generaliter, & ſe extendit ad omnem ambulationem cum dictis qualitatibus, nempe cum ſocio, die recreationis, & in campos inſtitutam vel inſtituendam, nec opus eſt, ut licentia ulterior detur ſpecialiter & pro ſingulis ambulationibus. Ita ſe res habet in conſuetudine cùm certis conditionibus generaliter approbata à Jure.

§. 2.

De Effectibus, Reprobatione, & Ceſſatione Conſuetudinis.

13 Sciendum, diverſæ conſuetudinis diverſum pariter eſſe effectum; ſi enim ſit conſuetudo *ſecundùm Legem*, declarat dubium Legis ſenſum juxta illud *c. 8. h.t. conſuetudo eſt optima legum interpres.* Item confirmat Legem juxta illud in *can. 3. d. 4. Leges inſtituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cùm moribus utentium approbantur.* Cóſuetudo *præter Legem* conſtituit Jus & Legem novam. *can. 5. d. 1.* Et conſuetudo *contra Legem* abrogat Legem jam priùs exiſtentem vel ex parte, v. g. quoad pœnam tantùm, aut quoad obligationem in conſcientia tantùm, vel quoad utramque & ex toto. Generalis autem effectus omnis conſuetudinis legalis eſt ſimilis, imò idem, qui eſt Legis, cùm ſit lex non ſcripta. Ut autem conſuetudo exſerat ſuum effectum, non

debet

debet eſſe reprobata à Jure. *c. 1. h. t. in 6. arg. l. 24. ff. de uſurp.* nec abrogata per legem vel aliam conſuetudinem contrariam, imò ut effectum ſortiatur in Judicio, debet ab allegante probari, ut patebit ex dicendis. Itaque

Dico 1. Conſuetudo contra Legem poteſt abrogare Legem humanam, tam Eccleſiaſticam quàm Civilem, ſi ei non reſiſtat Jus. Sumitur ex *c. fin. h. t.* & *l. 32. ff. de LL.* Confirmatur: Lex poſterior ſcripta, quæ adverſatur priori, eam abrogat: ergo etiam lex non ſcripta. Dixi 1. *humanam;* nam contra Jus Naturale & Divinum clarum conſuetudo nullas habet vires; quia aſſuefactio ad res malas, & à ſuperiore, quàm ſit humana, poteſtate prohibitas, corruptela eſt potiùs quàm vera conſuetudo. Si tamen Jus Naturale vel Divinum non clarum, ſed dubium ſit, vim interpretandi illud non denegamus conſuetudini, & communi hominum ſenſui per mores expreſſo. Dixi 2. *ſi ei non reſiſtat Jus*, intellige Poſitivum, h. e. niſi lex Scripta talem conſuetudinem expreſsè reprobet tanquam abuſum & corruptelam, vel damnet ut irrationabilem, pravam &c. vel ut adverſantem decentiæ, Religioni, dignitati Eccleſiæ, diſciplinæ, niſi enim Jus adhibeat hujusmodi verba, ſed ſimpliciter tantùm prohibeat, non improbando, corruptelam vocando &c. non cenſetur *reprobare* conſuetudinem, ac ei reſiſtere, ut notat Wagnereck ad *c. 6. h. t. not. 5.* Imò etiamſi Jus per ejusmodi expreſſionem reprobet conſuetudinem, ſed generaliter tantùm, & ſine ſpeciali mentione conſuetudinis 14

im-

immemorialis, iſta non cenſetur prohibita aut reprobata, ut cum Abb. & Laym. advertit Pater Wieſtner *n.46*. eò quòd conſuetudo immemorialis habeat vim privilegii, ſpecialiter conceſſi à Principe. *c.26 de V.S.* ac proin ſine ſpeciali mentione non cenſetur à Principe prohibita vel reprobata.

Oppones 1. In *c. 7. h. t.* dicitur, quòd *non tam conſuetudo, quàm corruptela ſit cenſenda, quæ ſacris eſt canonibus inimica*: ergo nulla conſuetudo tantarum eſt virium, ut poſſit abrogare legem Eccleſiaſticam, cùm omnis conſuetudo, SS. Canonibus repugnans, reprobetur, velut corruptela. 2. In *c.8. de ſent. & re judic.* Alexander III. ſic reſcripſit: *licèt uſûs vel conſuetudinis non minima ſit auctoritas, nunquam tamen aut veritati aut legi præjudicat.* 3. In *l. 2. C. quæ ſit longa conſuet.* diſertè negatur conſuetudini vis, qua *aut rationem vincat aut Legem*: ergo nec de Jure Civili poteſt conſuetudo prævalere contra Legem. ℞. ad hos & ſimiles textus, eos intelligendos eſſe de conſuetudine debitis conditionibus non affecta, irrationabili, & non legitimè præſcripta. *gl. in c. 8. cit.* Idque ſatis clarè exprimit *c. fin. h. t.* ſic loquens: *licèt etiam longævæ conſuetudinis non ſit vilis auctoritas, non tamen eſt uſque adeò valitura, ut vel Juri Poſitivo debeat præjudicium generare, niſi fuerit rationabilis, & legitimè ſit præſcripta.* Ad ultimum etiam reponi poteſt, quòd illa *l. 2.* nihil aliud velit, quàm quòd conſuetudo particularis alicujus loci non tollat legem generaliter & pro omni loco. *gl. ibid*

15 Quæres, quænam conſuetudines in ſpecie ſint

ſint defacto reprobatæ in Jure? ℞. præter alias etiam iſtæ. 1. quæ fovent occaſionem peccandi, vel bonis moribus adverſantur, aut bono communi. *c. 10. h. t.* quia videntur eſſe contra Jus Naturale & Divinum. Ex hoc capite in *Receſſu Imperii de anno 1500. & 1530. tit.* Vom Zuetrincken / reprobatur ſub gravibus pœnis abuſus ille & conſuetudo immoderata bibendi, qua combibones ſe provocant & obligant ad æquales hauſtus, certant de palma in potando, & unus alterum inebriare contendit. 2. Conſuetudines, quæ diminuunt vel tollunt immunitatem Eccleſiaſticam tam realem quàm perſonalem. *c. 3. eod. c. 4. de Immunit. Eccleſ. c. 49. de ſent. excomm. Trid. Seß. 25. c. 20. de Reform.* Nec obſtat, quòd in multis locis aliqua fiant huic immunitati contraria; ex conniventia enim Pontificis non poteſt ſemper eo ipſo ejus conſenſus colligi, quia potiùs tolerat, quod citra periculum majoris mali impedire ſe poſſe non ſperat, quàm approbat; præſertim cùm mentem ſuam ſatis prodat, cùm quotannis in *Bulla Cœnæ* reclamet hujusmodi conſuetudinibus ſaltem generaliter. Vid. tamen dicenda in *lib. II. tit. II. n. 24. ſeqq.* 3. quæ enervant diſciplinam Eccleſiaſticam, aut vergunt in detrimentum Eccleſiarum. *c. 5. h. t.* ubi reprobatur conſuetudo, qua temere violantur cenſuræ. Et *c. 1. h. t. in 6.* ubi exauthoratur conſuetudo retinendi ſimul duos Canonicatus: Perſonatus: Dignitates: Officia, ſine peculiari diſpenſatione Pontificis, in eadem Eccleſia.

Dico 2. Conſuetudo jam exiſtens abrogatur 16

per

per legem poſteriorem, quæ illi vel eſt pen
contra ia, vel expreſsè conſuetudinem toll
intendit. Sumitur ex *c.9.h.t.* & *c.1.de con*
in 6. Ratio; quia conſuetudo eſt lex: ſed lex
rogatur per aliam poſteriorem, ut nemo ne
ergo. Adde, quòd conſuetudo legalis omn
ſuam vim habeat à voluntate Legislatoris
tem legali: ſi enim Legislator in nova Le
conſuetudini è diametro oppoſita, vel per
cialem mentionem velit abrogare conſuet
nem, vel ei derogare, illa ceſſabit vel ex t
vel ex parte. Dixi 1. *jam exiſtens*: nam verior
tentia cum *gl. in Clem. 7. de Elect. V. conſuet*
nem. Suar. *l. 7. de LL. c. 7.* Abb. Bartolo,
nig &c. contra communiorem tenet, per l
qua revocatur generaliter conſuetudo: ab
hendo à futura, præſenti, vel præterita non
rogari conſuetudinē futuram, & tempore
Legis nondum exiſtentem. Ratio eſt, quia
lex intendit ſolùm tollere conſuetudinem
contrariam: ſed conſuetudo futura, & nond
exiſtens non eſt illi contraria; cùm non
nullas habeat qualitates. Excipe, niſi lex
probaret conſuetudinem tanquam corru
lam &c. tunc enim propter defectum ratio
bilitatis, quem habet à Jure Poſitivo, ne
conſuetudo futura, quæ tali legi contraria
introduci poteſt, niſi mutentur circumſtan
& nova cauſa emergat, propter quam fiat
tionabilis, uti dicemus. Dixi 2. *quæ illi eſt*
tus contraria: ſi enim poſterior lex cum con
dinē conciliari poſſit, non obeſt conſuetu
Dixi 3. *vel expreſſè conſuetudinem tollere inten*

Digitized by Google

quia lex non operatur ultra intentionem Legislatoris. Neque is ullam conſuetudinem præſumendus eſt abrogare velle, niſi priùs eam cognoverit; cùm nihil ſit volitum, niſi cognitum. Unde, quia Princeps cenſetur ſcire conſuetudinem univerſalem, non verò particularem alicujus loci per *c. 1. cit.* ideo ferendo Legem, conſuetudini Univerſali contrariam, cenſetur illam abrogare velle, etiamſi nullam mentionem faciat conſuetudinis: non autem ferendo legem, ſive generalem, ſive particularem pro certa ditione, conſuetudini particulari contrariam, niſi expreſſam talis conſuetudinis particularis mentionem faciat, ſaltem terminis generalibus. v. g. his: *non obſtante quacunque conſuetudine.* Aliud eſt, ſi non ſupremus Princeps, Papa aut Imperator, ſed inferior & proprius talis ditionis Dominus ferat Legem particularem, conſuetudini particulari talis loci contrariam; tunc enim etiam ſine expreſsâ mentione conſuetudinis particularis iſta tolleretur; quia talis inferior Legislator præſumitur nôſſe conſuetudinem ſui Epiſcopatûs vel provinciæ communem.

Quæres, an illa lex, quæ abrogat conſuetudinem, vel reprobat velut irrationabilem, ſit adeò efficax, ut hæc ipſa lex per nullam conſuetudinem contrariam abrogari valeat. 17 ℞. cum Covar. *l. 3. variarum c. 13.* Leſſ. *l. 2. c. 6. dub. 14. n. 45.* & communi, ſi mutentur circumſtantiæ, & nova cauſa poſt talem Legem emergat, quæ faciat, ut conſuetudo adverſans legi, omnem conſuetudinem ſibi contrariam

abroganti, evadat rationabilis, poteſt hæc ip
Lex per conſuetudinem contrariam tolli:
cus, ſi maneant eædem circumſtantiæ, & no
cauſa rationabilis contra talem legem non
mergat. Ratio prioris partis eſt: quia L
prohibens & reprobans conſuetudinem
oppoſitam eſt Lex humana: ſed omnis L
humana per conſuetudinem rationabilem
legitimè præſcriptam aboleri poteſt, per c.
ſæpius cit. Confirmatur: Si mutentur circu
ſtantiæ vel nova cauſa emergat, ipſe Prin e
poſſet Legem talem revocare: ergo re
præſumitur conſentire in abrogationem, ſi co
tra eam introducatur conſuetudo. Ratio
ſterioris partis eſt; quia manentibus iisd
circumſtantiis manet Lex rationabilis, con
quenter conſuetudo reprobata à tali Lege
irrationabilis: conſuetudo autem irrationab
eſt nulla.

Oppones 1. Qui prohibet conſuetudin
futuram, adimit ei omnem vim in perpetu
ne prohibitio ſit inefficax: ergo nulla conſ
tudo tali Legi adverſans introduci poteſt.
Conſuetudo habet ſuam vim à conſenſu Leg
latoris: ſed Legislator abrogans vel reprob
omnem conſuetudinem, etiam futuram,
oppoſitam, ſatis declarat, ſe nunquam conſ
ſurum in conſuetudinem. ℟. utrumque
quidem verum, ſub iſta conditione, tamen
eædem maneant circumſtantiæ, & niſi no
cauſa emergat, non autem abſolutè & pro
ſu etiam novæ cauſæ emergentis &c.

18 Dico 3. Ut conſuetudo habeat vim in
dic

dicio, debet ab allegante probari. *c. 8. h. t. l. 1. C. quæ ſit longa conſuet.* Ratio, quia conſiſtit in facto: quæ autem Facti ſunt, probari debent, nec præſumuntur. Excipe, niſi conſuetudo ſit notoria, vel conſtituat ſtylum Curiæ. Rationabilitas verò conſuetudinis à Judice metiri, non à parte probari debet, cùm ſit Juris, non Facti. Oppones: conſuetudo eſt Jus: at Jus non probatur, ſed ſupponitur: ergo. ℟. Eſt quidem Jus, ſed dependens in ſui conſtitutione à factis. Sed quomodo probanda eſt conſuetudo? ℟. vel per litteras publicas, ſeu per Acta, Inſtrumenta, & ſimilia documenta publicè conſcripta ſuper iis, quæ in Judicio pertractantur: vel per teſtes, ſaltem duos, uti res aliæ, qui teſtari debent, ſe vidiſſe in tali loco & communitate uniformiter aliquid eſſe obſervatum ſcientibus multis, & tempore ad introducendam conſuetudinem requiſito. Unus Doctor, etiam excellens, in foro externo præſumptivè tantùm, non concludenter probat conſuetudinem; licèt in foro interno nonnunquam aliquis ei valeat acquieſcere. In quibusdam provinciis ajunt, ad probandam conſuetudinem in Judicio externo requiri 10 teſtes, vel etiam turbam, qui omnes ſimul, non ſeorſim, examinantur.

TITULUS V.

De Poſtulatione Prælatorum.

SUMMARIUM.

1. *Poſtulare quid ſit.*
2. *Poſtulatio quomodo differat ab Electione.*

3. Definitio & diviſio Poſtulationis.
4. Poſtulare qui poſſint.
5. 6. Quinam poſtulari.
7. Apud quem Superiorem interponenda Poſtulatio.
8. 9. Requirit ſolennitates Juris, quas Electio.
10. Quantus ſuffragiorum numerus ſit neceſſarius in Poſtulatione Prælati.
11. 12. Quæ ſit pœna poſtulantium ſcienter indignum &c.
13. Quid ſit Nominatio Prælatorum.

POſt generalia Juris Principia, huc usque explicata, meritò primum ſibi locum vendicant Prælati Eccleſiæ, qui ſunt vel Conditores, vel ſaltem Cuſtodes & Executores Juris. Per tres itaque ſequentes *titulos* agitur de modis, quibus ad regendas Eccleſias aſſumuntur Prælati, nimirum de *Poſtulatione*, *Electione*, *Translatione*; inter quas præcipua eſt Electio.

1 Sciendum 1. Poſtulationem, Juridicè & huic loco propriè acceptam, eſſe petitionem, qua à Superiore aliquis in Prælatum depoſcitur, qui propter defectum aliquem eligibilis non eſt, licèt cœteroquin habilis ſit? Nam prout tò *poſtulare* dicit advocare ſeu patronum cauſæ agere, habetur infrà ſpecialis titulus, nempe 37. *de Poſtulando* inſcriptus, ſicut in *ff.* habetur idem titulus, ſed in eo ſenſu, quo *poſtulare* dicit petere aliquid in Judicio, videlicet vel exponendo ſuum deſiderium, vel contradicendo alteri.

2 Sc. 2. Poſtulationem, uti hic ſumitur, in mul-

multis quidem convenire cum Electione, & olim cum hac fuiſſe ſæpius confuſam, uti patet ex *can.* 11. & 16. *d.* 61. cùm tendant ad eundem finem, ſcilicet ad conſtituendum Eccleſiæ Prælatum; at ſecundùm Jura recentiora multùm ab ea differre. Siquidem 1. Poſtulatio eſt via extraordinaria ad Prælaturas perveniendi, Electio autem ordinaria. 2. Poſtulatio ſupponit in poſtulato defectum vel impedimentum Canonicum, non item Electio in electo. 3. Poſtulatio innititur gratiæ, quia ſine Superioris vel conſenſu vel diſpenſatione, quem vel quam Superior dare per ſe non tenetur, non habet vires: Electio verò innititur juſtitiæ, ita ut legitimè facta neceſſariò confirmanda ſit à Superiore. Unde 4. Poſtulatio ſecundùm terminos Juris *admitti*, Electio autem *confirmari* dicitur: habet tamen hæc admiſſio vim electionis confirmatæ, ita ut admiſſus confirmari ampliùs non debeat; nam Pontifex ſicut eligendo confirmat, & confirmando eligit, ita admittendo confirmat. 5. Poſtulatus nullum acquirit jus per Poſtulationem, nec poteſt abſolutè, ſed ſub conditione tantùm, ſi Superior conſentiat vel diſpenſet, conſentire in ſui aſſumptionem; Electus autem per Electionem acquirit jus, & abſolutè poteſt conſentire in eam. 6. Poſtulantes factâ Poſtulatione (modò eam nondum actualiter præſentaverint Superiori) variare, & illam revocare poſſunt, quia Poſtulato necdum eſt acquiſitum jus; Eligentes verò nequeunt revocare factam Electionem. 7. Poſtulandus majore ſuffragiorum numero indiget,

 quàm

Digitized by Google

lari, N. *Min.* In exemplo: det aliquis Superi
Religioſus ſuis ſubditis generalem licentiá pr
deundi in campos cum ſocio die recreationi
iſta licentia, quamvìs dici poſſit data ad actu
ſpecialem certis qualitatibus affectum, tam
data eſt generaliter, & ſe extendit ad omne
ambulationem cum dictis qualitatibus, nem
cum ſocio, die recreationis, & in campos i
ſtitutam vel inſtituendam, nec opus eſt, ut
centia ulterior detur ſpecialiter & pro ſingu
ambulationibus. Ita ſe res habet in conſuet
dine cum certis conditionibus generaliter a
probata à Jure.

§. 2.

De Effectibus, Reprobatione, & Ce ſatione Conſuetudinis.

13 Sciendum, diverſæ conſuetudinis diverſu
pariter eſſe effectum; ſi enim ſit conſuetudo
cundùm Legem, declarat dubium Legis ſenſu
juxta illud *c. 8. h.t. conſuetudo eſt optima legum*
terpres. Item confirmat Legem juxta illud
can. 3. d. 4. Leges inſtituuntur, cùm promulgant
firmantur, cùm moribus utentium approbantur. C
ſuetudo *præter Legem* conſtituit Jus & Lege
novam. *can. 5. d. 1.* Et conſuetudo *contra Leg*
abrogat Legem jam priùs exiſtentem vel
parte, v. g. quoad pœnam tantùm, aut quo
obligationem in conſcientia tantùm, vel qu
ad utramque & ex toto. Generalis autem ef
ctus omnis conſuetudinis legalis eſt ſimilis, in
idem, qui eſt Legis, cùm ſit lex non ſcripta.
autem conſuetudo exſerat ſuum effectum, n
deb

debet eſſe reprobata à Jure. *c. 1. h. t. in 6. arg. l. 24. ff. de uſurp.* nec abrogata per legem vel aliam conſuetudinem contrariam, imò ut effectum ſortiatur in Judicio, debet ab allegante probari, ut patebit ex dicendis. Itaque

Dico 1. Conſuetudo contra Legem poteſt 14 abrogare Legem humanam, tam Eccleſiaſticam quàm Civilem, ſi ei non reſiſtat Jus. Sumitur ex *c. fin. h. t.* & *l. 32. ff. de LL.* Confirmatur: Lex poſterior ſcripta, quæ adverſatur priori, eam abrogat: ergo etiam lex non ſcripta. Dixi 1. *humanam;* nam contra Jus Naturale & Divinum clarum conſuetudo nullas habet vires; quia aſſuefactio ad res malas, & à ſuperiore, quàm ſit humana, poteſtate prohibitas, corruptela eſt potiùs quàm vera conſuetudo. Si tamen Jus Naturale vel Divinum non clarum, ſed dubium ſit, vim interpretandi illud non denegamus conſuetudini, & communi hominum ſenſui per mores expreſſo. Dixi 2. *ſi ei non reſiſtat Jus*, intellige Poſitivum, h. e. niſi lex Scripta talem conſuetudinem expreſsè reprobet tanquam abuſum & corruptelam, vel damnet ut irrationabilem, pravam &c. vel ut adverſantem decentiæ, Religioni, dignitati Eccleſiæ, diſciplinæ, niſi enim Jus adhibeat hujusmodi verba, ſed ſimpliciter tantùm prohibeat, non improbando, corruptelam vocando &c. non cenſetur *reprobare* conſuetudinem, ac ei reſiſtere, ut notat Wagnereck ad *c. 6. h. t. not. 5.* Imò etiamſi Jus per ejusmodi expreſſionem reprobet conſuetudinem, ſed generaliter tantùm, & ſine ſpeciali mentione conſuetudinis

im-

immemorialis, iſta non cenſetur prohibita a reprobata, ut cum Abb. & Laym. advertit P ter Wieſtner *n.46*. eò quòd conſuetudo imm morialis habeat vim privilegii, ſpecialiter co ceſſi à Principe. *c.26 de V. S.* ac proin ſine ſp ciali mentione non cenſetur à Principe proh bita vel reprobata.

Oppones 1. In *c. 7. h. t.* dicitur, quòd *n tam conſuetudo, quàm corruptela ſit cenſenda, q ſacris eſt canonibus inimica:* ergo nulla conſuetuc tantarum eſt virium, ut poſſit abrogare lege Eccleſiaſticam, cùm omnis conſuetudo, SS. C nonibus repugnans, reprobetur, velut corr ptela. 2. In *c. 8. de ſent. & re judic.* Alexander I ſic reſcripſit: *licèt uſûs vel conſuetudinis non mi ma ſit auctoritas, nunquam tamen aut veritati a legi præjudicat.* 3. In *l. 2. C. quæ ſit longa conſu* disertè negatur conſuetudini vis, qua *aut r tionem vincat aut Legem:* ergo nec de Jure Civ poteſt conſuetudo prævalere contra Legem. ad hos & ſimiles textus, eos intelligendos e de conſuetudine debitis conditionibus non fecta, irrationabili, & non legitimè præſcript *gl. in c. 8. cit.* Idque ſatis clarè exprimit *c. fin. h* ſic loquens: *licèt etiam longævæ conſuetudinis n ſit vilis auctoritas, non tamen eſt uſque adeò valit rà, ut vel Juri Poſitivo debeat præjudicium gener re, niſi fuerit rationabilis, & legitimè ſit præſcrip* Ad ultimum etiam reponi poteſt, quòd illa *l.* nihil aliud velit, quàm quòd conſuetudo par cularis alicujus loci non tollat legem genera ter & pro omni loco. *gl. ibid.*

15 Quæres, quænam conſuetudines in ſpec

fi

ſint defacto reprobatæ in Jure? ℞. præter alias etiam iſtæ. 1. quæ fovent occaſionem peccandi, vel bonis moribus adverſantur, aut bono communi. *c. 10. h. t.* quia videntur eſſe contra Jus Naturale & Divinum. Ex hoc capite in *Receſſu Imperii de anno 1500. & 1530. tit.* Vom Zuetrincken/ reprobatur ſub gravibus pœnis abuſus ille & conſuetudo immoderata bibendi, qua combibones ſe provocant & obligant ad æquales hauſtus, certant de palma in potando, & unus alterum inebriare contendit. 2. Conſuetudines, quæ diminuunt vel tollunt immunitatem Eccleſiaſticam tam realem quàm perſonalem. *c. 3. eod. c. 4. de Immunit. Eccleſ. c. 49. de ſent. excomm. Trid. Seſſ. 25. c. 20. de Reform.* Nec obſtat, quòd in multis locis aliqua fiant huic immunitati contraria; ex conniventia enim Pontificis non poteſt ſemper eo ipſo ejus conſenſus colligi, quia potiùs tolerat, quod citra periculum majoris mali impedire ſe poſſe non ſperat, quàm approbat; præſertim cùm mentem ſuam ſatis prodat, cùm quotannis in *Bulla Cœnæ* reclamet hujuſmodi conſuetudinibus ſaltem generaliter. Vid. tamen dicenda in *lib. II. tit. II. n. 24. ſeqq.* 3. quæ enervant diſciplinam Eccleſiaſticam, aut vergunt in detrimentum Eccleſiarum. *c. 5. h. t.* ubi reprobatur conſuetudo, qua temere violantur cenſuræ. Et *c. 1. h. t. in 6.* ubi exauthoratur conſuetudo retinendi ſimul duos Canonicatus: Perſonatus: Dignitates: Officia, ſine peculiari diſpenſatione Pontificis, in eadem Eccleſia.

Dico 2. Conſuetudo jam exiſtens abrogatur 16

per legem poſteriorem, quæ illi vel eſt penitus contraria, vel expreſsè conſuetudinem tollere intendit. Sumitur ex *c.9.h.t.* & *c.1.de conſtit. in 6.* Ratio; quia conſuetudo eſt lex: ſed lex abrogatur per aliam poſteriorem, ut nemo negat: ergo. Adde, quòd conſuetudo legalis omnem ſuam vim habeat à voluntate Legislatoris ſaltem legali: ſi enim Legislator in nova Lege, conſuetudini è diametro oppoſita, vel per ſpecialem mentionem velit abrogare conſuetudinem, vel ei derogare, illa ceſſabit vel ex toto vel ex parte. Dixi 1. *jam exiſtens:* nam verior ſententia cum *gl. in Clem. 7. de Elect. V. conſuetudinem.* Suar. *l. 7. de LL. c. 7.* Abb. Bartolo, Kônig &c. contra communiorem tenet, per legẽ, qua revocatur generaliter conſuetudo: abſtrahendo à futura, præſenti, vel præterita non abrogari conſuetudinẽ futuram, & tempore talis Legis nondum exiſtentem. Ratio eſt, quia talis lex intendit ſolùm tollere conſuetudinem ſibi contrariam: ſed conſuetudo futura, & nondum exiſtens non eſt illi contraria; cùm non-ens nullas habeat qualitates. Excipe, niſi lex improbaret conſuetudinem tanquam corruptelam &c. tunc enim propter defectum rationabilitatis, quem habet à Jure Poſitivo, neque conſuetudo futura, quæ tali legi contraria eſt, introduci poteſt, niſi mutentur circumſtantiæ, & nova cauſa emergat, propter quam fiat rationabilis, uti dicemus. Dixi 2. *quæ illi eſt penitus contraria:* ſi enim poſterior lex cum conſuetudine conciliari poſſit, non obeſt conſuetudini. Dixi 3. *vel expreſſè conſuetudinem tollere intendit:*

quia

quia lex non operatur ultra intentionem Legislatoris. Neque is ullam conſuetudinem præſumendus eſt abrogare velle, niſi priùs eam cognoverit; cùm nihil ſit volitum, niſi cognitum. Unde, quia Princeps cenſetur ſcire conſuetudinem univerſalem, non verò particularem alicujus loci per *c. 1. cit.* ideo ferendo Legem, conſuetudini Univerſali contrariam, cenſetur illam abrogare velle, etiamſi nullam mentionem faciat conſuetudinis: non autem ferendo legem, ſive generalem, ſive particularem pro certa ditione, conſuetudini particulari contrariam, niſi expreſſam talis conſuetudinis particularis mentionem faciat, ſaltem terminis generalibus. v. g. his: *non obſtante quacunque conſuetudine.* Aliud eſt, ſi non ſupremus Princeps, Papa aut Imperator, ſed inferior & proprius talis ditionis Dominus ferat Legem particularem, conſuetudini particulari talis loci contrariam; tunc enim etiam ſine expreſſâ mentione conſuetudinis particularis iſta tolleretur; quia talis inferior Legislator præſumitur nôſſe conſuetudinem ſui Epiſcopatûs vel provinciæ communem.

Quæres, an illa lex, quæ abrogat conſuetudinem, vel reprobat velut irrationabilem, ſit adeò efficax, ut hæc ipſa lex per nullam conſuetudinem contrariam abrogari valeat. 17 ℞. cum Covar. *l. 3. variarum c. 13.* Leſſ. *l. 2. c. 6. dub. 14. n. 45.* & communi, ſi mutentur circumſtantiæ, & nova cauſa poſt talem Legem emergat, quæ faciat, ut conſuetudo adverſans legi, omnem conſuetudinem ſibi contrariam

abroganti, evadat rationabilis, poteſt hæc ipſ
Lex per conſuetudinem contrariam tolli: ſe
cus, ſi maneant eædem circumſtantiæ, & nov
cauſa rationabilis contra talem legem non e
mergat. Ratio prioris partis eſt: quia Le
prohibens & reprobans conſuetudinem ſib
oppoſitam eſt Lex humana: ſed omnis Le
humana per conſuetudinem rationabilem &
legitimè præſcriptam aboleri poteſt, per *c. fi*
ſæpius cit. Confirmatur: Si mutentur circum
ſtantiæ vel nova cauſa emergat, ipſe Princep
poſſet Legem talem revocare: ergo rect
præſumitur conſentire in abrogationem, ſi con
tra eam introducatur conſuetudo. Ratio po
ſterioris partis eſt; quia manentibus iisdem
circumſtantiis manet Lex rationabilis, conſe
quenter conſuetudo reprobata à tali Lege, e
irrationabilis: conſuetudo autem irrationabil
eſt nulla.

Oppones 1. Qui prohibet conſuetudinem
futuram, adimit ei omnem vim in perpetuum
ne prohibitio ſit inefficax: ergo nulla conſue
tudo tali Legi adverſans introduci poteſt. 2
Conſuetudo habet ſuam vim à conſenſu Legis
latoris: ſed Legislator abrogans vel reprobans
omnem conſuetudinem, etiam futuram, leg
oppoſitam, ſatis declarat, ſe nunquam conſen
ſurum in conſuetudinem. ℞. utrumque eſt
quidem verum, ſub iſta conditione tamen,
eædem maneant circumſtantiæ, & niſi nov
cauſa emergat, non autem abſolutè & pro ca
ſu etiam novæ cauſæ emergentis &c.

18 Dico 3. Ut conſuetudo habeat vim in Ju
dicio

Digitized by Google

dicio, debet ab allegante probari. *c. 8. h. t. l. 1. C. quæ ſit longa conſuet.* Ratio, quia conſiſtit in facto: quæ autem Facti ſunt, probari debent, nec præſumuntur. Excipe, niſi conſuetudo ſit notoria, vel conſtituat ſtylum Curiæ. Rationabilitas verò conſuetudinis à Judice metiri, non à parte probari debet, cùm ſit Juris, non Facti. Oppones: conſuetudo eſt Jus: at Jus non probatur, ſed ſupponitur: ergo. ℞. Eſt quidem Jus, ſed dependens in ſui conſtitutione à factis. Sed quomodo probanda eſt conſuetudo? ℞. vel per litteras publicas, ſeu per Acta, Inſtrumenta, & ſimilia documenta publicè conſcripta ſuper iis, quæ in Judicio pertractantur: vel per teſtes, ſaltem duos, uti res aliæ, qui teſtari debent, ſe vidiſſe in tali loco & communitate uniformiter aliquid eſſe obſervatum ſcientibus multis, & tempore ad introducendam conſuetudinem requiſito. Unus Doctor, etiam excellens, in foro externo præſumptivè tantùm, non concludenter probat conſuetudinem; licèt in foro interno nonnunquam aliquis ei valeat acquieſcere. In quibusdam provinciis ajunt, ad probandam conſuetudinem in Judicio externo requiri 10 teſtes, vel etiam turbam, qui omnes ſimul, non ſeorſim, examinantur.

TITULUS V.

De Poſtulatione Prælatorum.

SUMMARIUM.

1. *Poſtulare quid ſit.*
2. *Poſtulatio quomodo differat ab Electione.*

multis quidem convenire cum Electione, & olim cum hac fuiſſe ſæpius confuſam, uti patet ex *can. 11.* & *16. d. 61.* cùm tendant ad eundem finem, ſcilicet ad conſtituendum Eccleſiæ Prælatum; at ſecundùm Jura recentiora multùm ab ea differre. Siquidem 1. Poſtulatio eſt via extraordinaria ad Prælaturas perveniendi, Electio autem ordinaria. 2. Poſtulatio ſupponit in poſtulato defectum vel impedimentum Canonicum, non item Electio in electo. 3. Poſtulatio innititur gratiæ, quia ſine Superioris vel conſenſu vel diſpenſatione, quem vel quam Superior dare per ſe non tenetur, non habet vires: Electio verò innititur juſtitiæ, ita ut legitimè facta neceſſariò confirmanda ſit à Superiore. Unde 4. Poſtulatio ſecundùm terminos Juris *admitti*, Electio autem *confirmari* dicitur: habet tamen hæc admiſſio vim electionis confirmatæ, ita ut admiſſus confirmari ampliùs non debeat; nam Pontifex ſicut eligendo confirmat, & confirmando eligit, ita admittendo confirmat. 5. Poſtulatus nullum acquirit jus per Poſtulationem, nec poteſt abſolutè, ſed ſub conditione tantùm, ſi Superior conſentiat vel diſpenſet, conſentire in ſui aſſumptionem; Electus autem per Electionem acquirit jus, & abſolutè poteſt conſentire in eam. 6. Poſtulantes factâ Poſtulatione (modò eam nondum actualiter præſentaverint Superiori) variare, & illam revocare poſſunt, quia Poſtulato necdum eſt acquiſitum jus; Eligentes verò nequeunt revocare factam Electionem. 7. Poſtulandus majore ſuffragiorum numero indiget,

quàm Eligendus, ſi concurrat cum Eligend
Sed iſta in decurſu magis eluceſcent.

3 Sc. 3. Poſtulationem, prout differt ab
lectione, ſic deſcribi poſſe: eſt petitio gratiæ
Capitulo vel Collegio ad Superiorem deſtin
ta, ut aliquem admittat ad Prælaturam
Dignitatem Eccleſiaſticam, ad quam de Ju
Communi propter defectum vel impedim
tum aliquod eligi non poteſt. Ita quoad r
plerique cum Panormit. ad *Rubr. h. t.* Eſt
plex, ſolennis, & ſimplex ſeu non ſolennis.
lennis eſt, quando quis poſtulatur ab illo Su
riore, qui ſuper omni impedimento, quo la
rat poſtulatus, diſpenſare poteſt, uti ordina
eſt Papa. *Simplex*, quando quis poſtulatu
tali Superiore, qui diſpenſare non poteſt ſu
impedimento poſtulati, debet tamen dare
um conſenſum utpote poſtulato neceſſariu
ut acceptare poſſit oblatam Prælaturam: u
Religioſus aſſumatur in Epiſcopum, vel in Pr
latum alterius Monaſterii, ubi profeſſion
non emiſit; quia Religioſus nullo Jure pro
betur aſſumi; ſed potiùs expreſsè id conce
tur à Jure *c. 27. & 36. de Elect. in 6.* adeóque n
indiget diſpenſatione in aliquo impediment
ſed præcisè licentiâ & conſenſu ſui Superior
ſine quo conſenſu Jura nolunt aſſumi Relig
ſum. Unde Religioſus *poſtulari* quidem di
tur, ſi ante obtentam Superioris illius licen
am ferat ſuffragia pro Epiſcopatu, vel Præ
tura alieni Monaſterii regenda, *eligi* autem,
poſt obtentam licentiam. Panorm. *in c. 1. h*
n. 34. Imò poſtulatus ante obtentam licen

an

am, quamprimum poſtea hanc obtinuerit, habetur pro Electo, electionem ſui abſolutè acceptare, & *confirmationem* petere poteſt. Itaque Poſtulatio *ſolennis* indiget diſpenſatione: *ſimplex* non indiget. Deinceps principaliter ſermo erit de ſolenni: de qua

Dico 1 Poſtulare poſſunt omnes & ſoli illi, qui poſſunt eligere. Ita regulæ inſtar tradunt DD. ex *c. 4. h. t.* Oppones. Ergo etiam illi habent jus poſtulandi, qui ex privilegio, conſuetudine, vel præſcriptione habent jus eligendi: ſed hoc eſt falſum; quia privilegium & conſuetudo contra Jus eſt ſtrictæ interpretationis, nec extendi debet à caſu ad caſum. Dein non plus præſcribitur, quàm poſſidetur. *c. 3. de R. J. in 6.* ſed qui ſæpius eligendo præſcripſit jus eligendi, nunquam poſſedit jus poſtulandi: ergo. ℞. C. *illatum. N. ſubſumptum*; extenſio enim fieri debet à caſu ad caſum in iis, quæ ita ſunt connexa, ut unum in altero contineatur tanquam pars: vel quando unum eſt quaſi acceſſorium ad alterum, utpote ad eundem tendens finem: ſed Poſtulatio eſt quaſi pars Electionis, & ſupplementum illius. per *c. 30. de Elect.* item eſt quaſi quid acceſſorium ad Electionem, tendens ad eundem finem: acceſſorium autem ſequitur ſuum principale. *c. 42. de R. J. in 6.* Unde quæ de Electione reperiuntur in Jure ſtatuta, ferè ad Poſtulationem etiam trahenda ſunt, niſi ſpecialis ratio vel ſpeciale Jus obſtet. 4

Dico 2. Poſtulari poſſunt ſoli, non tamen omnes illi, qui laborant aliquo impedimento 5

Canonico, vel ſubſunt alterius poteſtati. DD. paſſim. Ratio; quia aliqui laborant impedimento indiſpenſabili: ergo non *omnes* poſtulari poſſunt. Quia tamen Poſtulatio differt ab Electione per hoc principaliter, quòd per illam aſſumatur aliquis Canonico impedimento, in quo diſpenſari oporteat, laborans, vel alteri ſubjectus, ideo hi *ſoli* poſſunt & debent poſtulari: cœteri enim eligendi ſunt. Proinde nec poſtulandus eligi, nec eligendus poſtulari valet. Ex quibus patet, poſtulari poſſe 1. laborantes defectu Natalium. 2. laborantes defectu ætatis. 3. carentes adhuc præſcripto Ordine. 4. ad Prælaturam Religioſam, nondum expreſsè Profeſſi. 5. vinculo Spiritualis Matrimonii ſuis Eccleſiis adſtricti, uti Epiſcopi confirmati (etiam *titulares*, ut vocant, ſeu in partibus infidelium, carentes Clero & populo; quia cum ſuis Eccleſiis verè ſunt conjuncti Matrimonio ſpirituali, in cujus ſignum geſtant annulum) Archiepiſcopi, & alii Epiſcopis ſuperiores Prælati. *c.* 13. 19. 20. 22. *de Elect.* & *c. fin. h. t.* Cardinales tamen, qui non ſunt Epiſcopi, Abbates, & alii Prælati Epiſcopis inferiores probabiliter non *ſolenniter*, ſed *ſimpliciter* tantùm poſtulandi ſunt; quia Cardinales non-Epiſcopi cum nulla, cæteri non niſi impropriè dictum Matrimonium cum ſua Eccleſia habent, quia tamen Cardinales ſpecialiter ſunt adſtricti Eccleſiæ Romanæ, cæteri autē Prælati ſuis Eccleſiis & Superioribus, opus eſt conſenſu Superiorū, non verò diſpenſatione. *c.* 36. *de Elect. in* 6. *Clē.* 1. *eod.* De reliquo tametſi

metſi decens & expediens ſit, poſtulari aliquem de gremio (cæteris paribus) ſeu qui eſt de corpore Capituli, prohibitum tamen non eſt, ne poſtuletur extraneus, qui idoneus ſit. *can. 13. d. 61. c. 4. h. t.* Subinde enim Eccleſiæ magis conſulitur, ſi poſtuletur extraneus valde inſignis (vel eligatur, ſi nullo laboret impedimento, nec ſubſit alienæ poteſtati) quàm ſi poſtularetur, vel eligeretur unus de gremio. Cur enim Capitulares non poſſint juri ſuo, quòd fortè habent propter *c. 19. & 21. de Elect.* ut aſſumatur aliquis ex gremio ſuo præ extraneis, renuntiare pro uno vel altero actu?

Quæres, quinam poſtulari nequeant? ℞. generaliter omnes illi, qui laborant impedimento vel defectu tali, in quo Superior vel non poteſt, vel non ſolet diſpenſare. Unde in ſpecie poſtulari nequeunt. 1. qui Jure Naturali & Divino ſunt inhabiles, uti infantes, amentes, furioſi, omnino rudes & illiterati. 2. bigami, item ſpurii ſeu ex damnato coitu nati. 3. temerarii violatores interdicti. 4. falſarii. 5. ſimoniaci. 6. infames ratione delicti. 7. corpore vitiati, aut alia irregularitate indiſpenſabili (h. e. in qua diſpenſari non ſolet) laborantes. 8. Religioſi Mendicantes ad Eccleſiam ſæcularem Cathedrali inferiorem, item ad Monaſteria extra ſuos Ordines. DD. & textus in *c. 22. & 59. de Elect. c. 10. de Renunt. c. 2. de big. c. 1. h. t. c. 7. de crim. falſi. c. fin. de tempor. Ordin. c. 6. de corp. vitiat. Extrav. un. inter com. h. t.* 6

Dico 3. Poſtulatio ſolennis interponi debet apud illum Superiorem, penes quem eſt confir- 7

mare electum, ſi fuiſſet inſtituta electio, &
in impedimento diſpenſare poteſt: Poſtul
ſimplex autem apud illum, cui poſtulatus
mediatè ſubeſt. Ratio primæ partis eſt; c
admiſſio poſtulationis habet vim confirma
nis, ut dictum: ergo ad illum ſpectat poſt
tionem admittere, ad quem ſpectat electior
confirmare: & alius, qui diſpenſare neq
impedimentum non aufert. Ratio poſterio
quia Jura ſic volunt *c. 27. 36. citt.* & quia ſic
cet. Unde infertur, Poſtulationem ad Epi
patus Germaniæ petendam eſſe non ab a
quàm à ſummo Pontifice, quia ad hunc pe
net confirmatio electionis: ad Eccleſias au
inferiores & Dignitates (non exemptas)
Epiſcopis, ac iis, quibus competit poteſtas c
firmandi electos. Porro quamquam Supe
non obligetur ex juſtitia ſtrictè dicta ad po
lationem admittendam. *c. 5. h. t.* obligari tar
facilè poteſt ex debito Officii, maximè ſi
ſtulatio cedat in utilitatem publicam Eccleſ
cùm teneatur ex officio ſuo procurare, &
impedire, bonum publicum: ſicut propter e
dem cauſam, vel ſimilem, ſubinde tenetur
penſare in votis, impedimentis Matrimonii
8 Dico 4. In Poſtulatione, etiam ſolenni, p
babiliùs obſervari debet forma & ſolennita
quæ pro facienda Electione in *c. 42. de Elect.*
præſcriptæ (quas vide *n. 30. 31. de Elect.*)
aliud permittat Jus ſpeciale privilegii, conſ
tudinis, aut præſcriptionis. Innoc. Pano
Wieſtner *h. n. 23.* contra Hoſtiens. Laym. P
n. 31. juxta quos conſultius quidem, non v

Digitized by Google

neceſſarium eſt, illas adhibere. Prob. 1. Poſtulatio & Electio tendunt ad eundem finem, utriusque eſt eadem ratio, atq; tanta inter utramque connexio, ut Poſtulatio ſit quaſi pars Electionis & huic ſubrogata, vel ei acceſſoria: ergo quod Jura ſtatuunt de Electione, intelligi quoque oportet de Poſtulatione, nominatim circa formam & ſolennitates, circa quas nihil ſpeciale ſtatuunt in Poſtulatione adhibendum: nam ſubrogatum ſapit naturam ejus, cui ſubrogatur. DD. ad *l. 24. ff. de mortis cauſ. donation.* & acceſſorium ſequitur ſuum principale. *c. 42. de R. J. in 6.* Prob. 2. Poſtulatio non exigit minorem diligentiam, & minùs accuratam, ſed potiùs majorem, quàm Electio; quia eſt via extraordinaria aſſumendi aliquem & quidem Jure impeditum, ad Prælaturam: ergo non eſt credibile, Jus non obligare poſtulantes ad formam & ſolennitates, ad quas obligat eligentes; cùm utique poſtulatio, per quam promovetur perſona de Jure impedita, non debeat eſſe favorabilior, & minùs accurata, quàm Electio, per quam promovetur perſona nullo Jure impedita, nullóque defectu laborans. Dixi, *etiam ſolenni*, ſiquidem in non ſolenni adhibendas eſſe illas ſolennitates, vix poteſt eſſe dubium; cùm Poſtulatio ſimplex potiùs electio videatur dicenda, aut electionis modus, & ferè differat ab illa tantùm in eo, quòd à Jure annexam habeat conditionem obtinendi conſenſum à Superiore.

Oppones 1. Poſtulantes poſſunt recedere à 9
poſtulatione, antequam illam præſentent Superio-

Digitized by Google

periori: ergo ſignum eſt, quòd non teneantur facere ſcrutinium, formare decretum, & alias ſolennitates. *c.42. cit.* adhibere. de quibus nos infrà *tit.ſeq. à n.30.* 2. Electo acquiritur jus per Electionem, non verò Poſtulato per poſtulationem: ergo requiritur major cautela in Electione, quàm Poſtulatione. ℞. ad 1. N. *Conſ.* & ſuppoſitum, quòd propter ſolennitates in Electione adhibendas nequeant ab Electione recedere eligentes: ſed id indè provenit, quia per Electionem electo abſolutè acquiſitum eſt jus. Ad 2. N. iterum *Conſ.* partim quia Poſtulatio non debet eſſe magis favorabilis, & minùs cauta, quàm Electio, partim quia per Poſtulationem ſaltem paratur via ad Jus acquirendum. Sed quid, ſi quis ex Capitularibus non ſatis determinaret, an poſtulet vel eligat, vel ſi plures id facerent, atque uterentur hac formula: *eligo & poſtulo, prout meliùs de Jure valere poteſt?* habétne effectum ejuſmodi modus dandi ſuffragium? ℞. ſi probabile ſit dubium, utrùm perſona, de cujus promotione agitur, habeat defectum, v.g. ſufficientis ætatis, vel non, adeóque an eligibilis, vel poſtulabilis tantùm ſit; tunc valet. *c. un. h. t. in 6.* aliàs non.

10 Dico 5. Si Poſtulatio concurrit cum Poſtulatione, h. e. ſi omnes Capitulares poſtulent, ſed diverſi diverſum, requiritur & ſufficit conſpiratio majoris partis Capituli. Si verò Poſtulatio concurrit cum Electione, h. e. ſi una pars Capitularium poſtulat Titium, alia pars eligit Cajum, nullo impedimento laborantem, poſtulandus debet habere duas partes tertias, ut ejus

ejus poſtulatio ſortiatur effectum, h. e. debet habere duplo majorem ſuffragiorum numerum, quàm eligendus, v. g. ſi ſint 15. Capitulares ſuffragia ferentes, debet poſtulandus ad minimum ferre 10. ſuffragia: Eligendo autem ſufficiunt 6. ſuffragia ex 15. ut ejus electio ſubſiſtat, & ipſe præferatur poſtulando, h. e. ſufficit, modò numerus ſuffragiorum ſuperet unam tertiam. Ita communis. Pars prior patet ex *c.* 1. *de his, quæ à majori parte, & l.* 19. *ff. ad Municipalem*, ibi: *quod major pars Curiæ fecerit, pro eo habetur, ac ſi omnes egerint.* Unde major pars, quia repræſentat totum Capitulum, regulariter ſufficit in omnibus actibus Capitulariter geſtis, cùm cenſeantur geri à toto Capitulo. Pars poſterior habetur in *c.* 40. *h. t.* Ratio datur hæc; quia via ordinaria, qualis eſt Electio, debet eſſe magis expedita, quàm extraordinaria, qualis eſt poſtulatio, quæ promovere intendit perſonam impedimento laborantem. Unde ſi v. g. eſſent 24. Capitulares, jus ſuffragii habentes, & 9. ex iis conſpirarent in talem, qui poſſet eligi, & 15. in alium, qui poſtulari deberet, caſſata Poſtulatione confirmaretur Electio; quo ferè modo ante paucos annos Sereniſſimus Bavariæ Princeps Clemens, modernus Elector Colonienſis, quia, licèt & ipſe alio Epiſcopatu jam frueretur, ac ideo laboraret impedimento (ſicut Comes Fürſtenbergicus ejus Competitor) obtinuit à Sede Apoſtolica *indultum eligibilitatis*, vi cujus poterat *eligi*, à Curia Romana fuit præhabitus Illuſtriſſimo Fürſtenbergio, qui *poſtulari* debuit, etiamſi longè pauciora tulerit ſuffra-

fra-

Digitized by Google

fragia, quàm iſte; illi enim ſufficiebat unic
votum unam tertiam (ſi omnia dividantu
tres partes) ſuperans, huic verò neceſſa
erant duæ tertiæ, quas non attigit. Neque
cas, *c. 40. cit.* eſſe correctum à *cap. 42. eod.*
tanquam à J●e poſteriore, ubi generaliter
cernitur, ut neceſſaria ſit & ſufficiens maj
partis Capituli conſpiratio, non diſting en
an Electio concurrat cum Poſtulatione, nec
nam diſpoſitio generalis, qualis continetu
c. 42. non derogat ſpeciali, qualis eſt in *c.*
juxta regulam Juris: *Generi per ſpeciem dero*
tur, non per genus ſpeciei. reg. 34. in 6.

11 Dico 6. Qui ſcienter poſtulant indignum
licet talem, in cujus impedimento diſpenſ
vel non poteſt, vel non ſolet; Item qui r
tunt poſtulationem indigni, non ſcienter
dem, ſed temerè tamen factam, poſtquan
mel jam eſt rejecta; Demum qui in litteris
ſtulationis ſcienter non exprimunt omnes
fectus illius, quem poſtulant, ea vice privan
Jure poſtulandi, conſequenter & eligendi.
ma pars colligitur tum ex *c. 1. h. t.* tum à
cum Electione indigni; talem enim ſcie
eligentes *c. 7. de Elect.* privantur jure elig
pro ea vice. 2. da pars ex *c. 2. h. t.* 3. ia ex c
de Elect. c. 1. & 2. de filiis Presbyt. in 6. nam
penſatio ſe non extendit ad defectus non
nitos, nec diſpenſatus in uno diſpenſatur
ipſo & in altero defectu. Dixi, *privantur*, &
dem probabiliùs ipſo facto, & ante ſenten
condemnatoriam, quamvis requiratur ſen
tia declaratoria admiſſi criminis, ut cum

nc

norm. tradit P. Wieſtner contra Joan. Andr. quia eligentes taliter per abuſum privantur ipſo Jure. *c. 7. cit.* cur ergo non etiam poſtulantes? imò de renovantibus poſtulationem indigni, jam ſemel reprobatam, ſatis clarè expreſſum id eſt *c. 2. cit.* Sed ad quem ſpectat pro illa vice jus providendi, ſeu poſtulandi vel eligendi? ℞. ad illos Capitulares (ſaltem in duobus primis caſibus qui non conſenſerunt in poſtulationem indigni, aut in renovationem poſtulationis jam ſemel reprobatæ, licèt numero ſint pauciores, modò expreſsè contradixerint; ſi enim tacuiſſent duntaxat, non ſufficeret teſte Panorm. in *c. 2. cit. n. 6.* Ratio autem, cur devolvatur jus poſtulandi vel eligendi ad innocentes, eſt; quia in delictis non cenſetur factum ab omnibus, quod à majori parte perperam geſtum eſt, & delictum ſuos tantùm auctores tenere debet. per *c. 13. de hæret.*

Oppones 1. Conſtitutio *c. 7. cit.* quo dicuntur eligentes indignum ipſo Jure privari poteſtate eligendi, eſt pœnalis & odioſa: ergo non extendenda ad poſtulantes indignum. *per c. 15. de R. J. in 6.* 2. In *c. 1. cit.* habetur ſolùm, quòd Pontifex *potuiſſet* Canonicos Senonenſes privare: ergo non ipſo Jure privatos eſſe inſinuatur. ℞. ad 1. N. *Conſ.* quia conſtitutio etiam pœnalis & odioſa extendi debet ad caſum alium, in quo militat eadem ratio, & ſimul tanta reperitur connexio, ut unus contineatur in altero tanquam pars, ſicut Poſtulatio in Electione. Relege dicta *n. 4.* Ad 2. Dico, *potuiſſe* privare per ſententiam *declaratoriam*; cùm jam fuerint 12

pri-

privati ipſo Jure per *c. 7. cit.* cùm utique poſ
lantes indignum non debeant eſſe melic
conditionis, quàm eligentes indignum, ne I
ſtulatio ſit favorabilior, quàm Electio, c
utraque pari paſſu ambulare debeat, ubi
nihil ſpeciale decernit, per ſuperiùs jam dic

13 In fine obſervandum adhuc eſt, Poſtula
ni valde affinem eſſe *Nominationem*, per qu
duæ vel plures perſonæ idoneæ determinan
à Capitulo, & Papæ vel alteri Superiori p
ponuntur cum petitione, ut ipſe unam ex p
poſitis velit Eccleſiæ præficere. Vel, ut d
Panorm. per quam ipſi Capitulo proponun
duo vel tres idonei, ut de illis fiat ſcrutiniu
Itaque Nominatio, prout eſt hujus loci, diſ
à Poſtulatione per hoc, quòd Poſtulatio p
priè fiat de uno, Nominatio autem ſaltem p
ſit fieri de pluribus, ut ex illis aſſumatur u
qui magis placuerit Superiori. Item diſ
per hoc, quòd non Collegialiter dirigatu
Superiorem: Poſtulatio autem & Electio fi
ab Univerſitate quà tali collegialiter. De
Nominatione, quæ pertinet ad Præſenta
nem, ac nihil eſt aliud, quàm præſentatio u
us, vel duorum, vel trium ad beneficia mi
ra collatori facta, ex quibus ille unum elig
aut admittere debet, dicetur ſuo loco de J
Patronatûs. Cœterùm poteſtas nominand
piſcopos, quamvis olim fuerit per plura ſæ
la penes ſolum Pontificem, tamen hodie p
pter inſignia in Eccleſiam merita aliáſque c
ſas eadem pro multis Eccleſiis permiſſa à P
tifice eſt variis Regibus & ſupremis Princ
b

bus: Sic Reges Hiſpaniarum & Galliarum nominant Epiſcopos in ſuis terris, confirmandos tamen à ſummo Pontifice. In Germania Epiſcopos eligendi poteſtas Canonicis Cathedralium Eccleſiarum competit ſecundùm Concordata Germaniæ inter Nicolaum V. Papam, & Fridericum III. Imperatorem inita, exceptis iis Eccleſiis, in quibus ex ſpeciali privilegio Domus Auſtriaca nominat Epiſcopos.

TITULUS VI.

De Electione, & Electi poteſtate.

SUMMARIUM.

1. *Ordo doctrinæ proponitur.*
2. *Electio latiſſimè, latè, & ſtrictè accipitur.*
3. *Quænam ſint Electioni præmittenda.*
4. *Quid ſit Electio ſtrictè ſumpta.*
5. 6. *An & qualiter Capitulationes cum eligendo licitæ ſint & validæ.*
7. *An tractatus de eligendo ſit neceſſariò præmittendus Electioni.*
8. *Convocatio Electorum, & quæcunque Capitularis de Electione tractatio irrita eſt, ſi fiat ante tertium Depoſitionis diem prioris Prælati.*
9. *Quinam vocandi ad Electionem.*
10. *An & qualiter impugnare poſſint Electionem non vocati.*
11. *A quo & quomodo ſint vocandi Electores.*
12. *Abſens an poſſit conſtituere Procuratorem.*
13. 14. 15. *Quod tempus, quis locus, & qualis modus pro Electione à Jure ſtatuti ſint.*
16. 17. *Quibus competat jus eligendi. Ubi quid Capitulum: quid Conventus.*

Digitized by Google

18. An poſſeſſor beneficii litigioſi, cui annexum eſt jus eligendi, admittendus ad Electionem.
19. 20. An & qualiter ab Electionibus Eccleſiaſticis excludantur Laici.
21. Eligi nequit indignus.
22. 23. 24. 25. Indigni autem alii ſunt ratione defectûs, alii ratione delicti, alii ratione Cenſuræ, & irregularitatis. Ubi ſpecialiter de Intruſis, Simoniacis, & Infamibus.
26. An & quando electio indigni ſit irrita ipſo Jure.
27. 28. Electio, vel Proviſio, irrita ipſo Jure, per ſe & ordinariè non eſt irrita in foro conſcientiæ ante ſententiam.
29. Eſt obligatio eligendi digniorem. Et quis habendus ſit pro digniore.
30. Quæ forma Electionis ſit præſcripta à Jure.
31. 32. 33. Eſt triplex: Scrutinium: Compromiſſum: & quaſi-Inſpiratio Divina.
34. In forma Scrutinii debent eligi tres Scrutatores.
35. Qui ſingulorum vota debent ſigillatim, diligenter, & ordinatè exquirere.
36. Collecta ſuffragia per Scrutinium publicare.
37. Collationem votorum inſtituere.
38. (Quæ Majoritas ſeu pluralitas votorum ſufficiat ad Electionem Canonicam.)
39. Formare Decretum Electionis Communis, & id promulgare ſolenniter.
40. Electio ſine prædictis ſolennitatibus eſt irrita, ſaltem pro foro externo.
41. Ut Electio per Compromiſſum inſtituatur, conſentire debent omnes Electores.
42. Compromiſſariorum pars abſolutè major debet conſpirare.

43.

43. *Neceſſariò formant Decretum Electionis Communis.*
44. 45. *An unum ex ſe ipſis, & an unus ſe ipſum eligere poſſit in Compromiſſo.*
46. *Quando ceſſet poteſtas Compromiſſariorum ad eligendum.*
47. *Quas pœnas incurrant eligentes (vel alio modo promoventes) ſcienter indignum.*
48. 50. *Qualiter Electio vel alia Proviſio debeat eſſe libera.*
49. 51. *Quibus & quomodo impugnare liceat Electionem.*
52. *Quænam Electionem jam factam conſequantur.*
53. *Quando intimanda ſit Electio Electo abſenti.*
54. *Intra quod tempus acceptanda ab electo.*
55. *An licitè acceptetur ab eo, qui laborat impedimentô Juris Eccleſiaſtici occultô.*
56. *Electio tribuit jus ad rem:*
57. *Non tamen jus adminiſtrandi ordinariè.*
58. *Confirmationem petere electus, & eam dare tenetur regulariter Superior.*
59. *Priùs tamen citandi, qui Electionem impugnare velint.*
60. 61. *Quando & à quo petenda Confirmatio.*
62. 63. *Quod ſit officium Confirmantis.*
64. *Confirmatio tribuit electo jus in re, plenam adminiſtrationem &c.*
65. *An & qualiter ſanet Electionem defectuoſam Confirmatio obtenta.*
66. *Quid ſit Conſecratio Epiſcopi.*
67. *Et Benedictio Abbatum.*
68. 69. 70. *Quando, & an à tribus Epiſcopis ſuſcipienda ſit Conſecratio Epiſcopi.*

Digitized by Google

71. *Conſecratio tribuit plenitudinem Officii Epiſcopalis, titulum Epiſcopi ſine addito* Electi *&c.*
72. 73. 74 75. *A quibus, quinam, & quomodo eligendi Prælati Regulares, confirmandi, & benedicendi.*
76. *An & qualiter aſſumi poſſint Religioſi ad Prælaturas Sæculares. Ubi, quid ſit eſſe electum in Concordia.*
77. 78. *Quæ ſint obſervanda in electionibus Abbatiſſæ vel Præfectæ Monialium.*
79. *Quæ propalatio ſuffragiorum obſit in electionibus Regularium.*
80. 81. *De Electione Summi Pontificis.*
82. 83. *Quis eligi in Pontificem valeat.*
84. *An Pontifici electo, & ab Univerſa Eccleſia acceptato poſſit opponi aliquod impedimentum.*

1 AMpliſſima hæc materia, quæ frequentiſſimi in Germania uſûs, & magnarum ſæpe litium occaſio eſt, 11. §§. abſolvetur. 1.us exponet, quid ſit Electio, & quæ ejus præparatoria. 2. quinam ad Electionem vocandi. 3. quinam eligere. 4. quinam eligi poſſint. 5. aget de forma ſubſtantiali Electionis, ubi ſpecialiter de Scrutinio & Compromiſſo. 6. de libertate Electionis, & appellatione contra eandem. 7. de intimatione & acceptatione Electionis: ubi etiam de poteſtate Electi. 8. de Confirmatione Electi, & poteſtate Confirmati 9. de Conſecratione & Benedictione Confirmati. 10. de Electione Prælatorum Regularium in ſpecie, uti

uel & Abbatiſſarum. 11. de Electione ſummi Pontificis.

§. 1.

Quid ſit Electio: & quæ Præparatoria ad eandem.

Sciendum 1. Electionem ſumi poſſe 1. latiſſimè pro quacunque inſtitutione & aſſumptione Clerici ad beneficium Eccleſiaſticum. 2. latè pro collatione cujuſcunque dignitatis, etiam non primæ, in aliqua Eccleſia, intervenientibus ſuffragiis, & accedente legitimi Superioris confirmatione: quo modo in quibusdam Eccleſiis eliguntur Officiales, Decanus, Præpoſitus, & confirmantur ab Epiſcopo. 3. ſtrictè ac huic loco propriè pro vocatione perſonæ habilis ad Prælaturam vel Dignitatem *Paſtoralem*, facta per ſuffragia Capitularium, & confirmationem Superioris ſubſequentem. 2

Sc. 2. Ad Præparatoria electionis ſpectare illa, quæ eam præcedunt. Præmitti autem alia decet, alia licet, alia oportet. *Decens* eſt præmittere ſequentia. 1. indicendæ ſunt preces tum publicæ per civitatem, in qua inſtituetur electio, & per diœceſim, tum privatæ pro bono Paſtore obtinendo. *Trid. Seſſ. 24. c. 1. de ref.* 2. ipſo electionis die (non enim de nocte inſtitui debet) poſt publicum campanæ ſonum, quo convocantur electores, celebretur Miſſa de Spiritu S. & electores, etiam Sacerdotes, S. Euchariſtiam ſumant. 3. aliquis (ſeu Sacerdos, ſeu publicus Notarius) ante fores Eccleſiæ vel loci, ubi celebratur electio, reproducat pro- 3

clama, quo rurſus omnes, qui poſſunt, volu
& debent intereſſe electioni, vocantur. 4 a
te tractatum electionis clara voce recitent e
ctores hymnum, *Veni Creator Spiritus.* 5. e
ctoribus in loco debito congregatis, doceat
per teſtes vel inſtrumenta, quòd abſentes le
timè fuerint vocati; & tum vel per Superio
Commiſſarium, vel per Præſidem ſcrutini
contumacia, per unum nomine totius Capit
priùs accuſatâ, condemnentur. 6. aliquis
mine totius Capituli edicat & proteſtetur,
nolle quemquam ad electionem admittere,
ejus ſuffragium valere, qui de Jure non eſt
bilis ad eligendum. 7. ſi quis præſens exiſt
qui à cenſuris abſolvere poſſit, v. g. Nun
Apoſtolicus, is pro cautela ab iiſdem abſol
omnes electores in ordine ad effectum Cano
cæ electionis. Atque hæc ſunt accidentalia t
tùm, quibus etiam non obſervatis, propte
electio non eſt irrita, quamvis ea obſervare
ceat. *Licitum* eſt præmittere tractatum de
vel pluribus perſonis in genere, quæ poſſ
eligi, & ſpecialiter dignæ videntur: item qu
velint Capitulares in eligendo tenere mod
ac formam: rurſus *Capitulatio*, ut vocant, qu
doque præmittitur, qua Capitulares inte
paciſcuntur, ut is, qui electus fuerit, cer
quoſdam obſervet articulos, Eccleſiæ regim
rerúmque & jurium, ad eam pertinentium,
miniſtrationem concernentes. Sed de hoc t
ctatu vel Capitulatione dubitatur, an liceat
tractatu verò circa perſonam eligendam am
gitur, an non ſit neceſſariò præmittendus.

q

quæ dubia in aſſertionibus reſpondebo. Deniq; *neceſſarium* eſt præmittere 1. convocationem Capitularium debito tempore. 2. obſervationem termini, intra quem electio fieri debet. 3. & loci competentis. Sed de his tribus in §. ſequenti.

Dico 1. Electio ſtrictè ſumpta eſt perſonæ idoneæ ad Prælaturam vacantem per vota legitimorum electorum Canonica vocatio, authoritate Superioris confirmanda. Ita, ſaltem quoad ſenſum plerique DD. ex *c. 7. & 42. h. t.* Dixi 1. *perſonæ idoneæ*, nullo nimirum impedimento Canonico laborantis, aliàs enim poſtulari deberet, non eligi. 2. *ad Prælaturam*, h. e. Dignitatem Paſtoralem: unde electio propriè dicta non eſt, ſi quis etiam per ſuffragia vocetur ad beneficium aut dignitatem inferiorem, & non Paſtoralem. Nam electio ſtrictè talis locum habet in illis tantùm Eccleſiis, quæ per obitum Paſtoris ſui dicuntur *viduatæ. c. 42. cit.* cujusmodi ſunt illæ duntaxat, quæ deſtituuntur ſuo Rectore, jurisdictionem generalem, vel quaſi generalem habente, uti ſunt Epiſcopi, item Præpoſiti &c. quando eorum dignitas eſt prima alicujus Eccleſiæ: cæteris enim Eccleſiis inferioribus, ſi fortè vacent, adhuc præeſt Epiſcopus vivens. 3. *vacantem*, non ſolùm phyſicè & de facto, ſed etiam moraliter & de jure, quod fit per mortem, reſignationem, translationem, depoſitionem & dejectionem legitimam prioris Prælati. 4 *per vota*, h. e. ſuffragia: per quod electio maximè differt à libera collatione, inſtitutione, præſentatione, 4

& ſimilibus modis acquirendi beneficia, de quibus agitur in libro III. *Decretal.* Votum verò, ſeu vox, eſt duplicis generis, activum & paſſivum: *votum activum* dicitur, quod habet is, qui poteſt eligere: *paſſivum*, quod habet is, qui poteſt eligi. Proin ſi quis in Jure privetur *voce activa & paſſiva*, ſenſus eſt, quòd reddatur inhabilis ad ſuffragium dandum & accipiendum ſeu quòd nec poſſit eligere activè, nec eligi paſſivè. Si quis autem in Jure ſimplici er privetur *voce*, ſolùm de *activa* intelligitur quia hæc tantùm propriè vox eſt. 5. *legitimorum electorum*, qui nempe præditi ſunt jure eligendi, nec aliqua lege prohibiti. 6. *Canonica*, nimirum facta cum debitis ſolennitatibus & forma à Jure Canonico præſcripta. 7. *vocatio*, quæ vox genus eſt in hac definitione, & ſimul indicat, per electionem non acquiri electo jus in re, ſeu quaſi dominium Prælaturæ, ſed præcisè jus ad rem. Unde ſubjunxi 8. *Authoritate Superioris confirmanda*, & per hanc confirmationem conſequitur ſuum complementum electio, & jus in re electus.

Dico 2. Tractatus prævius, quem vocant *Capitulationem*, quo Capitulares mutuo conſenſu paciſcuntur ſuper quibusdam articulis ab eligendo obſervandis, eſt illicitus & irritus, ſi per illos articulos præjudicetur Eccleſiæ vel Electo, etiamſi Capitulationi acceſſerit juramentum. Patet ex *tit. ne Sede vacante;* ſiquidem Eccleſia Sede vacante caret legitimo Defenſore, qui tueatur res & jura illius: ſed de rebus & juribus, quæ carent defenſore, nihil authen-

Digitized by Google

authenticè decerni poteſt. Item ex eo, quia inferior non poteſt leges & onera præſcribere Superiori, ac hujus jura reſtringere: ſed Capitulum per hujusmodi Capitulationem, futuro Epiſcopo vel Prælato præjudicioſam, id faceret, cùm ſit inferius Epiſcopo &c. Dixi autem 1. *ſi per illos articulos præjudicetur Eccleſiæ vel Electo*, v. g. ſi immutetur per eos ſtatus Eccleſiæ, ac jura minuantur &c. ſi electo reſtringatur jurisdictio, res vel jura ipſi ſubtrahantur, ac tribuantur vel Capitularibus vel aliis &c. Si verò nec Eccleſiæ nec electo præjudicium afferat, licitus eſt & validus hujusmodi tractatus. v. g. ſi in Capitulatione injungatur eligendo, ut reformet Clerum, ut erigat Seminarium bono publico valde utile, ut pravas conſuetudines tollat &c. quia per hujusmodi non infertur gravamen, ſed electus tantùm admonetur officii ſui. Dixi 2. *etiamſi accesſerit juramentum*, quia unà cum tractatu pariter hoc juramentum eſt irritatum, vel irritum declaratum tum ab aliis Pontificibus, tum nuper ab Innoc. XII. *in conſtit.* quæ incipit, *Eccleſiæ*. 22. *Sept.* 1695. edita, ubi ſimul talia attentantes privantur ipſo facto illius rei, cujus causâ jurârunt, uſu & commodo, atque cenſuris feriuntur.

Oppones 1. Quæ ineuntur mutua conventione, pariunt obligationem naturalem, & obſervari debent, nec altera parte invita revocari posſint: ergo & hujusmodi Capitulatio. 2. Generalis & immemorialis conſuetudo Germaniæ fert, ut fiant tales Capitulationes 3. Etiamſi fortè irrita eſſet Capitulatio, quæ ſit 6

Digitized by Google

ſine juramento, tamen ea firmabitur accedente juramento, vel ſaltem juramentum pariet obligationem Religionis ad ſtandum Capitulatione: ſicut valet juramentum, & ſaltem parit obligationem Religionis, quo quis promittit uſuras mutuanti, vel lytrum ſolvendum latroni. ℞. ad 1. Diſt. Ant. niſi talis conventio ſit irritata à Jure, uti eſt irritata hujusmodi præjudicioſa Capitulatio. C. ſi ſit irritata. *N. Ant. & Conſ.* Ad 2. Conſuetudo eatenus & tunc valet, quatenus & quando non cedit Capitulatio in præjudicium Eccleſiæ vel electi. Ad 3. Niſi juramentum pariter eſſet irritatum, concederem: ſed quia & ipſum eſt irritatum Jure Poſivo, nullarum eſt virium; imò eſt irritatum Jure Naturali, ſi Capitulatio præjudicet Eccleſiæ, utpote emiſſum de re Jure Naturali illicita: quare non eſt paritas cum juramento ſolvendi uſuras vel lytrum prædoni; quia hoc juramentum nec Jure Poſitivo eſt irritatum, nec Jure Naturali, quia ſolvere uſuras vel lytrum non eſt illicitum per ſe: omne autem juramentum eſt ſervandum, quod ſine peccato, & præjudicio tertii ſervari poteſt, per regulam *c. 28. de Jurejur.* traditam.

7 Dico 3. Tractatus, quo deliberatur de una vel altera perſona eligenda, non neceſſariò præmittendus eſt electioni; quia nullo Jure id præcipitur. Oppones: talis tractatus præſcribitur pro electione ſummi Pontificis. *can. 1. d. 23.* ergo. 2. Ejusdem tractatus fit mentio etiam in aliis electionibus. *c. 21. 28. 30. h. t.* Quin in

Digitized by Google

c. 52. & 55. *eod.* caſſantur electiones ſine tali tractatu celebratæ. 3. Sine hujuſmodi tractatu non conſtare poteſt electoribus ſufficienter, quis altero dignior, & in electione præferendus ſit: ergo eſt neceſſarius. ℞. ad 1. ab electione ſummi Pontificis, utpote multa habente ſingularia, non bonum ducitur argumentum ad alias electiones. Ad 2. ex iis *cc.* probatur quidem, poſſe præmitti talem tractatum, non autem debere præmitti. In *c.* 52. caſſata fuit electio propter omiſſum tractatum, vel potiùs conſilium quorundam, nempe duorum Abbatum & unius ex PP. Dominicanis, quos Pontifex præceperat priùs ſpecialiter conſuli. In *c.* 55. per tractatum intelligitur *collatio* ſuffragiorum, poſt ſcrutinium facienda, quæ ubique neceſſariò eſt adhibenda: quæ quia ibi fuit omiſſa, & ſimul electio non facta collegialiter, ideò rectè fuit electio reprobata. Ad 3. illa ratio procedit tantùm in caſu, quo eligeretur perſona extranea & prorſus ignota: ſed ordinariè talis non aſſumitur, nec eſt aſſumenda, ſed aliqua ex gremio, cujus ſingula membra ſatis jam aliunde ſunt cognita, eorúmque merita, electoribus.

§. 2.

Quinam vocari debeant ad Electionem; quo tempore, & loco illa inſtitui.

Sciendum, ſæpe contingere, ut Eccleſia vacare incipiat tempore, quo aliqui ex iis, qui jus eligendi habent, longè abſunt, vel etiam omnino adeſſe nequeunt, v. g. propter infirmitatem,

vel

vel propter nimiam diſtantiam, etiamſi intereſſe cuperent electioni. Idcirco abſentes de vacatione certiores reddi, & ad electionem faciendam vocari, ab impotentibus verò adeſſe procuratores conſtitui, certum temporis ſpatium & locum, quo electio inſtituenda ſit, determinari neceſſe eſt. Quæ omnia, cùm ad præparatoria electionis adhuc pertineant, hoc loco exponenda ſunt.

8 Dico 1. Antequam vacet Eccleſia per mortem &c. prioris Prælati, imò ante corpus ejus ſepulturæ traditum, & ante tertium depoſitionis diem non ſunt convocandi electores, neque conſtituendum tempus pro futura electione, neque ullus tractatus de ea Capitulariter ſeu collegialiter inſtituendus eſt. *can. 7. d. 79. c. 36. h. t.* Secus ſi fiat abſque gravi cauſa feſtinationem exigente, ejusmodi convocatio, & capitularis tractatio irrita eſt, etiamſi Prælatus jam fuerit in agone, dum fieret, & ſine ſpe convaleſcendi: Item ipſa etiam electio ſubſequens caſſari poteſt propterea. Licitum tamen eſt vivente adhuc Prælato, aut juſtis ei nondum perſolutis, vel in- vel extra Capitulum de perſona ſubſtituenda incidenter facere mentionem; cùm talis mentio non ſit tractatus Capitularis, nihilque definitivè per eam decernatur. Oppones. In *c. 7. de ſepulturis* habetur, quod diſpoſitio facta tempore inhabili ſubſiſtat, ſi referatur in tempus habile: ſed tractatus de electione poſt mortem & exequias Prælati inſtituenda reſpicit & refertur ad tempus habile; quamvis fiat tempore inhabili: ergo. ℞. D.

Ma.

Ma. in iis caſibus, in quibus illi, qui diſponunt non ſunt à Jure inhabiles redditi jam tempore, inhabili ad diſponendum, C. in quibus jam ſunt inhabiles ad diſponendum redditi tempore inhabili. *N. Ma.* Capitulares jam ab ipſo Jure ſunt inhabilitati ad quidquam diſponendum de futura electione, quamdiu vivit Prælatus prior, & juſta ipſi non ſunt perſoluta tertio depoſitionis die, quod tempus eſt inhabile ad tractandum de electione.

Dico 2. Ad electionem vocandi ſunt non modò præſentes, ſed etiam abſentes omnes, *qui debent, & volunt, & poſſunt commodè intereſſe.* Ita loquitur famoſum *c. quia propter 42. de elect.* Ratio eſt clara; quia nemo privandus eſt jure ſuo invitus & ſine juſta cauſa: ſed qui *debent* intereſſe electioni, habent jus eligendi: ſi *volunt*, excluduntur inviti: ſi *commodè poſſunt*, non adeſt cauſa juſta eos excludendi: ergo. Unde infertur, non eſſe vocandos 1. illos, qui jure eligendi privati exiſtunt, uti ſunt notoriè excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, irregulares certô modô, vel aliàs ad eligendum inhabiles redditi. 2. qui ſponte renuntiant juri ſuo, quod habent ad eligendum. *c. 28. h. t. & arg. c. 6. de privil* Quare, etiamſi major etiam pars Capitularium, poſtquam ritè vocati ſunt, comparere detrectaret, poſſet Minor pars inſtante termino electioni præfixo ad eligendum procedere. per *c. 19. v. item cùm h. t.* Id quod probabiliùs etiam verum eſt, tametſi unicus tantùm foret, qui electionem vellet peragere; quia tunc Univerſitatis jus reſide- 9

ret

ret in uno. per *l. ſicut. ff. quod cujuſc. Univerſ.* ac proinde poſſet aliquem nominare pro Prælatura à Superiore confirmandum, vel certè compromittere in Superiorem, vel in alium Clericum, unum aut plures, eiſque jus eligendi concedere; à quibus poſtea etiam ipſe eligi poſſet, ſi foret idoneus, ut cum Panorm. docet Laym. *de Prælatis Eccleſ. q. 36. c. 4.* Idem foret, ſi aliqui, jam præſentes, iterum diſcederent abſque juſta cauſa. *c. 19. cit.* ſed ſi major pars diſcederet, ea prævaleret, & traheret ſecum minorem: per *c. 1. de his, quæ à majori*; quia diſcedentes videntur velle diſſolvere Conventum Capitularem, quibus quoad hoc non poteſt prævalere pars minor. Si tamen inſtaret terminus electioni præfixus, aut periculum eſſet in mora, etiam tali caſu poſſet procedere Minor pars, electionem cupiens perficere. Laym. *q. 43.* 3. qui commodè intereſſe & citra periculum Eccleſiæ exſpectari nequeunt. *c. 28. cit.* vel qui ita remotè diſtant, ut conſideratis locorum & temporis circumſtantiis arbitriô prudentis viri adeſſe non commodè poſſe cenſeantur. *c. 18. h. t.* quænam autem cenſenda ſit tanta diſtantia, pendet potiſſimùm ex locorum conſuetudine quæ attendi debet; quamvis enim Papa *c. 35. eod.* dicat, vocandos eſſe, qui fuerint in provincia, conſequenter qui extra eam morantur, non eſſe vocandos, tamen ibi non ſtatuit regulam generalem, ut notat Abb. *n. 3. in d. c.*

10 Dico 3. Si unus vel plures ex iis, qui debent, volunt, & poſſunt intereſſe, non fuerint vocati ad

si ad electionem faciendam, poſſunt agere, ſi velint, de contemptu, & ad irritationem electionis, licèt fortè jam confirmatæ. *c. 28. cit.* cùm plùs in talibus conſueverit contemptus unius obeſſe, quàm multorum contradictio in præſenti, ut loquitur *c. 36. eod.* Id quod etiam locum habet in aliis actibus à Capitulo capitulariter gerendis. per *d. c.* Sed iſti debent agere intra tempus à Jure pro facienda electione præſcriptum, nempe intra tres (vel ſex) menſes à die notæ vacationis: aliàs non ampliùs audiuntur; ſicut pariter non audiuntur, ſi publico edicto ante Confirmationem moniti electionem non oppugnârunt, quia cenſentur eam tacitè approbâſſe. Præterea inefficaciter agerent, ſi confirmatio eſſet facta ex *certa ſcientia* per illum, qui poteſt ſupplere defectus electionis. Quòd ſi contempti remittant injuriam & ad reſciſſionem non agant, probabiliter non poteſt Superior electionem reſcindere ex officio, vel ad inſtantiam adverſarii perſonæ electæ, per *l. 4. §. 8. ff. de damno infecto*. Dixi, *vel plures*; modò non excedant tertiam partem eorum, qui vocari debuiſſent; ſi enim plures, quàm tertia pars, non fuiſſent vocati per contemptum, v. g. ex 15. ſex, electio non irritanda, ſed ipſo Jure eſſet irrita propter defectum poteſtatis eligendi, quæ reſidet in duabus partibus electorum, qui debent, volunt, & poſſunt intereſſe, ut docent Innoc. Abb. Pirh. & alii.

Quæres, à quo, & quomodo vocandi ſint electores? ℞. Poſt tertium depoſitionis diem 11

de-

Digitized by Google

defuncti Prælati ſolent Capitulares, qui ſunt præſentes vel vicini, convenire, & capitulariter decernunt diem electioni (id quod in quibusdam locis ad ſolum Decanum, vel ad ſolum Seniorem Capituli pertinet) diémque decretam abſentibus ſignificant, & ſimul ad novam electionem vocant; quod quidem ordinariè fit per litteras, vel nuntium ad hoc ſpecialiter deputatum, aut per publicum proclama, valvis Eccleſiæ & Curiæ Capitularis affixum: cui præſtat adjicere hanc clauſulam: quòd, ſi citati intra tempus ſtatutum non compareant, præſentes nihilominus ad electionem proceſſuri ſint, ipſis non ulteriùs vocandis: quamvis enim ſufficeret unica citatio *ſimplex*. arg. c. 24. *de off. deleg.* ad cautelam tamen, & ad lites amputandas rectè adhibetur præfata citatio, vim peremptoriæ habens. Sed hujusmodi præambula, cùm à Jure clarè non ſint definita, maximè pendent à conſuetudine locorum particularium.

12 Dico 4. Elector abſens, legitimè impeditus, poteſt ad ferendum ſui loco ſuffragium conſtituere procuratorem, qui tamen ſit membrum Capituli. Sumitur ex c. 42. *cit.* §. *illud autem.* Dixi 1. *abſens*, ita tamen, ut non usque adeò remotus ſit, ut commodè venire non poſſet; talis enim nec vocari deberet, conſequenter nec ejus loco procurator admitti neceſſariò. Si autem elector ſit *præſens* in civitate, ſed ad locum electionis venire propter aliquod impedimentum non poſſit. v. g. ratione morbi, poteſt quidem procuratorem conſtituere, non

tamen

Digitized by Google

tamen tenetur, ſed poteſt petere, ut Scrutatores durante electione ad ipſum accedant (ſi electio fiat per *Scrutinium)* ejúsque ſuffragium percipiant, ſi fieri poſſit. Laym. q. *cit.* Dixi 2. *legitimè impeditus;* qui enim liber eſt ab impedimento, & venire per ſeipſum detrectat, nec per procuratorem permittitur dare ſuffragium. *d. c.* an verò impedimentum ſit legitimum nec ne, relinquitur arbitrio Capituli & prudentum; ipſe verò procurator in animam principalis, à quo fuit conſtitutus, jurare debet, eum eſſe legitimè impeditum, niſi aliunde conſtet de impedimento. Dixi 3. *procuratorem*, ſcilicet unum; ſi enim duos conſtitueret, deberet ſingulis dare poteſtatem ita, ut unus tantùm ferret ſuffragium, qui v. g. alterum præveniret. *c. 46. h. t. in 6.* Dixi 4. *ſui loco*, quod fieri poteſt dupliciter. 1. cum expreſſo & ſpeciali mandato de certa perſona nomine conſtituentis eligenda, quo caſu tenetur procurator huic perſonæ dare ſuffragium, quando fert pro principali, à quo accepit mandatum; poteſt tamen tali caſu hanc poteſtatem ſibi commiſſam alteri ſubdelegare. 2. cum mandato tantùm generali, & relicta procuratori libertate dandi ſuffragium nomine conſtituentis, cui voluerit procurator; & tunc non poteſt iſte ſibi alium ſubſtituere, cùm cenſeatur eſſe electa induſtria perſonæ propter negotii arduitatem: neque poteſt alium eligere nomine proprio, & alium diverſum nomine principalis, cujus loco fert aliud ſuffragium, ſed debet utrumque ſuffragium dare uni eidémque; quia tenetur dare

illi, quem ipſe judicat eſſe digniſſimum. Pot
etiam tali caſu vi ſui mandati generalis co
promittere, ſi electio inſtituatur per *Comp
miſſum*. Dixi 5. *qui tamen ſit membrum Capitu*
ſi enim conſtitueret extraneum, eum non
neretur (quamvis poſſet) admittere Capi
lum. *c. 46. cit.* Quòdſi autem nullus Capitu
rium vellet eſſe procurator electoris imped
Capitulum verò nollet admittere extraneũ
abſens carere debebit pro illa vice jure ſuffr
gii, nec poterit illud mittere ſcriptum; cu
ſuffragia ſint in ipſo Scrutinio ſecretè & ſigil
tim danda (ſi electio fiat per *Scrutinium*) *c. p
ult. h. t. in 6. & c. 42. cit.* ſed talis, qui mitte
votum litteris expreſſum, non in ipſo Scru
nio, ſed ante illud inchoatum, daret votu
nec poſſet ſuffragium eſſe Secretum; quia
teræ deberent priùs inſpici à Capitulo, utr
ſint Authenticæ, & ſcriptæ Electoris abſen
manu. In illis tamen electionibus, in quib
non exactè ſervatur forma Scrutinii, qua
ſunt ferè electiones Regularium, ſed ſche
læ obſignatæ conjiciuntur in urnam, poteri
abſente (vel præſente impedito) mitti ſuf
gium ſcriptum & clauſum.

13 Dico 5. Tempus, electioni faciendæ in
cleſiis Cathedralibus & Regularibus à J
præſcriptum, eſt trimeſtre ſeu tres menſe
die notæ vacationis, ultra quos ſi ſine legiti
impedimento differatur electio, jus elige
pro ea vice amittitur, & devolvitur ad pro
mum eorum, qui debito tempore non ele
runt, Superiorem. *c. 41. h. t.* Dixi 1. *in Eccl*

Cathedralibus & Regularibus. In reliquis enim Prælaturis, dignitatibus, & beneficiis tum electivis, tum collativis, permittitur ſemeſtre ſeu ſex menſes. *c. 2. de conceſſ. præb.* Ratio diſcriminis eſt, quia in illis Prælati habent jurisdictionem ordinariam & generalem, etiam fori externi, in Clericos & Religioſos, alióſque ſubditos; non verò alii Prælati, etiam Eccleſiarum Collegiatarum, minùs alii Beneficiati, ſaltem ſpectato Jure Communi; ac proinde majus Eccleſiis Cathedralibus & Regularibus immineret periculum damni, quàm aliis Eccleſiis, ſi diutiùs vacarent. Unde ſi etiam aliis Prælatis aut Beneficiatis ex ſpeciali privilegio aut præſcriptione, competeret jurisdictio fori externi, præſertim ſi inſuper eſſent exempti à jurisdictione Epiſcopali, etiam his non ſex, ſed tres ſolùm menſes concedendi eſſent propter paritatem rationis. Abb. *in c. 41. cit.* Nec obſtat, quòd diſpoſitio *c. 41. cit.* ſit odioſa, imò & pœnalis; licèt enim talis ſit reſpectu eligentium, principaliùs tamen eſt favorabilis, nempe reſpectu Eccleſiarum, quibus cavere & favere principaliter voluit Papa; & ideo extendenda eſt ad caſum non expreſſum, ſi eadem in illo ſimiliter ratio. Dixi 2. *trimeſtre*: quem terminum quamvis extendere & longiorem facere nequeant electores, utpote à Jure ſtatutum, poſſunt tamen facere breviorem, quia in ipſorum favorem determinatus eſt: modò tamen non ita reſtringant, ut abſentes ad præfixum terminum comparere commodè non poſſint. Superior verò (niſi Papa ſit) invitis electoribus

bus non poteſt minuere hunc terminum t
meſtralem extra caſum neceſſitatis, quo pı
pter periculum moræ acceleranda eſt elect
In quibusdam tamen locis Germaniæ conſı
tudo habet, ut in Eccleſiis Regularibus pra
gatur terminus ab Ordinariis locorum cı
conſenſu Principis territorialis. Porro ſi e
ctus debito tempore renuntiet iterum juri ſı
vel ante confirmationem moriatur, rurſus
cipit illud trimeſtre. *c. 26. h. t. in 6.* Dixi 3
die notæ vacationis; quia *c. 41. cit.* expreſsè
dit, *juſto impedimento ceſſante*, nimirum niſi
ſtet impedimentum legitimum extraordin
um: ſed ignorantia utique eſt impediment
legitimum. Adde, quòd trimeſtre ſit præfix
ſub pœna gravi, nempe amittendæ poteſt
eligendi pro ea vice: ſed pœna gravis non
curritur ſine culpa gravi, qualem utique n
committunt, qui non cognitam habent va
tionem: adeóque hoc trimeſtre eſt *utile*, r
continuum. Dixi 4. *pro ea vice amittitur:* und
proviſio, quam fecit Superior, ad quem dev
luta fuit poteſtas eligendi, non ſortiatur e
ctum ex quocunque capite, quia v. g. prov
moritur, vel iterum reſignat, jus eligendi
dit ad Electores ordinarios. Dixi 5. *amitti*
ſcilicet ipſo Jure & ante ſententiam, ut do
Abbas & alii, quia poteſtas eligendi jam
ipſo Jure translata & devoluta ad Superior
Dixi 6. *devolvitur ad proximum Superiorem;*
Jus nimirum eſt confirmare electum, qui
ſpectu Epiſcopatuum Germaniæ eſt Ponti
14 Dico 6. Locus, in quo debet regular

Digitized by Google

ſieri electio, eſt ambitus Eccleſiæ ſuo Paſtore viduatæ. *c. 28. h. t. c. 25. de appellat.* Per *ambitum* Eccleſiæ intelligo locum Capituli, Chorum, vel aliud conclave honeſtum, juxta cujusque Eccleſiæ conſuetudinem. Dixi 1. *debet*, ita quidem, ut, ſi alibi fiat electio, irritari poſſit per ſententiam, utpote facta contra SS. Canonum præſcriptum. *arg. c. 18. h. t. in 6.* quin aliqui putant, ipſo facto eſſe irritam propter *c. 28. cit.* Dixi tamen 2. *regulariter*, niſi nempe adſit juſta cauſa electionem alio in loco celebrandi. Si cauſa mutandi locum ſit urgens, v. g. peſtis graſſans, vel probabilis metus inferendæ violentiæ, ad determinandum locum alium ſufficit conſenſus majoris partis Capitulariũ, imò, ſi periculum ſit in mora, & major pars convenire nequeat, etiam minoris. Si verò cauſa non ſit urgens, ſed mutetur locus ob majorem duntaxat commoditatem, convenire debent ſaltem duæ partes tertiæ Capitularium, &, quem locum determinabit major præſentium pars, ad eum ſe cæteri conferre debent. Laym. *q. 33.* Pirh. *n. 242.*

§. 3.

Quinam eligere poſſint, ſeu vocem activam habeant.

Sciendum, Epiſcopos diverſis temporibus à diverſis fuiſſe electos; quare & Canones antiqui de his electionibus variè loquuntur, intelligendi proin cum habitudine & relatione ad diverſa tempora. Initio Eccleſiæ Epiſcopos authoritate à Chriſto ſibi conceſſa conſtitue- 15

runt Apoſtoli: his Martyrio ſublatis ea poteſtas manſit penes ſolum D. Petri Succeſſorem, Epiſcopum Romanum, Pontificem ſummum, cui cura totius Eccleſiæ & ſumma poteſtas à Chriſto data eſt. Progrediente tempore Pontifices conceſſere Clero & Populo diœceſium ſibi eligere Præſules, per *can. 13. 18. 34. diſt. 63.* Sed de populo notandum eſt, quòd is non propriè elegerit per ſuffragia, ſed nominaverit ſolùm, vel præſentaverit unum, vel plures, ex quibus poſtea Clerici aliquem, utpote populo magis gratum, canonicè elegerunt, quamquá potuiſſent eligere alium. per *can. 1. d. 62.* Sicut autem populo, ita & Imperatoribus & Principibus ſæcularibus nominandi Epiſcopos ſæpius eſt data poteſtas, vel ſaltem conſenſu ſuo acceptandi, quem Clerici elegerint. per *can. 17. 18. diſt. 63. cit.* Succeſſu verò temporis hæc poteſtas fuit rurſus adempta populo & Principibus ſæcularibus, eáque Clericis ſimul & Religioſis totius diœceſis conceſſa. per *can. 35. diſt. cit.* Sed Religioſis cum tempore ſeparatis à Clero ſæculari, Prælatos Religioſos Religioſi, Clerus autem ſæcularis ſuos ſibi Antiſtites elegêre. per *c. 1. & 14. h. t. can. 3. 4. cauſ. 18. q. 2.* Demum jus eligendi Epiſcopos ad ſolos Canonicos Cathedralium Eccleſiarum devolutum eſt ſecundùm plura *cc. hujus tit.* præſertim *in 6.* hodiéque adhuc durat in plerisque Epiſcopatibus Germaniæ. Quamvis autem jus eligendi poſſit quibusdam competere jure ſpeciali & extraordinario, videlicet ex privilegio, conſuetudine, aut præſcriptione quadragenaria, item

item ex fundatione, ſi nempe Patronus Eccleſiæ ſibi vel alteri in Eccleſia à ſe fundata reſervavit jus eligendi. *arg. c. 4. de condit. appoſ.* aut etiam ex unanimi conſenſu electorum, Sede vacante pro ea vice compromittentium in Clericum extraneum, vel extraneos ad eligendum ſecum admittentium. *c. 8. & 40. h. t.* Nihilominus tamen hìc ſolùm ſermo erit de iis, quibus jus eligendi competit jure ordinario & communi, uti ſunt membra Capitulorum tum Sæcularium tum Regularium, quæ ferè ſunt Canonici aut Religioſi. Annectitur reſolutio de capacitate Laicorum ad eligendos Prælatos Eccleſiaſticos.

Dico 1. Soli Capitulares Eccleſiæ vacantis 16 de Jure Communi eligere poſſunt Prælatum. *can. 3. 4. cauſ. 18. q. 2. c. 1. & 14. h. t.* Per *Capitulares* intelligo non quoslibet Clericos aut Beneficiatos ejusdem Eccleſiæ, ſed eos, qui conſtituunt *Capitulum* ſeu *Conventum*, quæ duo in Jure ſumuntur promiſcuè, & tam Eccleſia Sæcularis, quàm Regularis, dicitur *Conventualis*: quamvis in praxi Capitulum vocari ſoleat congregatio, ſeu Collegium Clericorum ſæcularium, & Conventus congregatio Religioſorum, Porro *Capitulum* conſtituunt, qui communi utuntur ſigillo, & communem procuratorem ſeu Syndicum conſtituere poſſunt. *arg. c. 14. de Exceſſ. Prælat. l. 1. ff. quod cujusque Univerſ.* Ad tale Capitulum Eccleſiaſticum primitus conſtituendum requiruntur ſaltem tres perſonæ. *l. 85. ff. de V. S.* juncto *c. 1. de N. O. N.* conſervari tamen poteſt in duobus, vel etiam

Digitized by Google

in uno. per. *l. 7. §. fin. ff. quod cujusque Univerſ.* plerumque enim plus requiritur ad alicujus rei conſtitutionem primam, quàm ad ejus conſervationem: ſi tamen unus duntaxat remaneat, demortuis reliquis, non foret Collegium actu, ſed habitu quodammodo. Dixi in aſſertione, *Eccleſiæ vacantis*; quare Canonici vel Capitulares alterius Eccleſiæ non ſunt admittendi ad electionem velut extranei. Inter extraneos autem cenſetur quoque ille, qui ex Eccleſiæ vacantis gremio jam antecedenter fuit translatus ad Prælaturam alterius Eccleſiæ vel Monaſterii. *c. 47. h. t.* Niſi nimirum huic vel aliis extraneis Jure ſpeciali privilegii &c. indulgeatur jus ſuffragii.

17 Dico 2. Non omnes Canonici Eccleſiæ vacantis poſſunt ſemper eligere. Ratio, quia Jus aliquos reddit inhabiles, vel generaliter ad omnem vocem activam in Capitulo in quolibet negotio, vel ſpecialiter in negotio electionis: alios autem propter delicta privat ſaltem pro una vice poteſtate eligendi. *Inhabiles* redduntur à Jure 1. impuberes. 2. nondum initiati ordine Subdiaconatûs. 3. excommunicati. 4. ſuſpenſi ab officio, non verò à beneficio tantùm; quia ferre ſuffragium eſt actus officii vel juriſdictionis. 5. perſonaliter interdicti. Sed nota, excommunicatos, ſuſpenſos, & interdictos propter *extrav. Ad evitanda Martini V.* tantùm eſſe inhabiles, ſi ſint *vitandi*, & nominatim denuntiati; non verò ſi ſint *tolerati*, niſi etiam iſti per exceptionem repellantur. 6. temerè violantes interdictum locale per celebrationem Miſſæ.

Miſſæ. 7. abſentes ſine legitimo impedimento, ut ne quidem per procuratorem poſſint eligere. 8. quilibet in ordine ad eligendum ſeipſum, ne detur occaſio ambiendi dignitates. 9. Prælatus in ordine ad deſignandum ſibi ſucceſſorem, ut tollatur omnis ſpecies hæreditariæ ſucceſſionis, quam SS. Canones plurimùm deteſtantur in beneficiis. 10. Novitii, qui nondum expreſsè emiſerunt profeſſionem, item Fratres laici, quos vocant *Converſos*, in ordine ad Prælatum Religioſum eligendum; niſi vel ex privilegio, vel ex fundatione habeant jus. 11. Religioſi proprietarii, ſeu qui contra voluntatem Superioris retinere peculium convincuntur, per duos annos. 12. Religioſi mendicantes, qui tranſeunt ad Ordinem non Mendicantium etiam cum authoritate Pontificia; & his, quamvis ſine delicto tranſeant, locus & vox perpetuò denegatur in Capitulo, nec ipſis adminiſtratio, Prioratus, officium, beneficium curatum, etiam tanquam Vicariis concedi poſſunt. Sumuntur hæc ex *c.32.h.t. in 6. Clem. 2. de ætat. & qualit. juncto Trid. Seß. 22. c. 4. de Ref. c. un. ne ſed. vac. in 6. c. 8. de conſuetud. c. 16. h. t. c. 18. de ſent. excom. in 6. c. 42. h. t. arg. c. 26. de Jur. patron. can. 3 ſeqq. cauſ. 8. q. 1. arg. c. 43. h. t. in 6. Trid. Seß. 25. c. 2. de Regular. Clem. 1. de Regular.* Sed quid de *Irregularibus*, an non & iſti ſunt inhabiles? ℟. probabiliùs non: quia nullo Jure expreſſa eſt eorum inhabilitas; nam *c. 18. cit.* quo adverſarii nituntur, non loquitur de irregularibus quibuscunque & in genere, ſed ſolùm

lùm de iis in ſpecie, qui propter celebrationem in loco interdicto ſunt tales; ſed diſpoſitio odioſa, quæ loquitur de aliqua ſpecie, non debet extendi ad totum genus.

Privati ipſo Jure propter delictum, ſaltem pro una vice, poteſtate eligendi ſunt 1. qui ad Epiſcopatū ſcienter poſtulant minorem 27. annis, aut Religioſum Ordinis Mendicantis ad Prælaturam alterius Ordinis Religioſi, vel ad Sæcularem Cathedrali inferiorem. 2. qui ſcienter poſtulant indignum. 3. qui attentant innovare poſtulationem à Superiore jam caſſatam. 4. qui in Eccleſia, ſeu Cathedrali ſeu Regulari, intra tres menſes (juſto impedimento ceſſante) non eligunt novum Prælatum. 5. qui in electione non obſervant formam, *c. 42. h. t.* præſcriptam; quæ tamen privatio opus habet ſententia Judicis. 6. qui ſcienter eligunt indignum, præſertim debitis natalibus, ſcientiâ, & bonis moribus deſtitutum. 7. qui eligunt per abuſum ſæcularis poteſtatis contra libertatem Eccleſiaſticam, h. e. qui ſcienter & ſponte (nempe ſine vi & metu gravi) petunt, vel admittunt laicos vel ad coëligendum, vel immiſcentes ſe cum authoritate, vel intereſſentes electioni tolerant. text. & DD. in *can. 28. d. 63.* quia ſic impeditur libertas electionis. Nec excuſantur à contraria conſuetudine. Habentur hæc *Extrav. un. h. t. inter comm. c. 1. 2. de Poſtul. Præl. c. 41. h. t. c. 18. cit. c. 7. X. & in 6. h. t. c. 43. cum c. 56. eod.* Porro ſi aliqua tantùm pars Capitularium privetur jure eligendi, manet jus eligendi penes reliquos innocentes: ſi autem

omnes

omnes omnino privati exiſtant, devolvitur ad Superiorem proximum, cujus eſt confirmare electum. *c. 23. h. t.*

Quæres, an poſſeſſor Beneficii, cui annexum eſt jus eligendi, gaudeat jure eligendi, licèt revera Dominus Beneficii non ſit; præſertim ſi ipſi de proprietate Beneficii jam lis ſit mota? ℞. ad 1. Gaudet poſſeſſor bonæ fidei. *c. 9. de Jure patron.* non verò poſſeſſor malæ fidei; quia ſuffragatio in electione eſt quaſi fructus juris eligendi; ſed fructus rei debentur bonæ fidei poſſeſſori. *l. 43. ff. de acquir. rer. dom.* poſſeſſor econtra malæ fidei nullum ex ſua poſſeſſione fructum percipere debet. *l. 3. C. de condict. ex lege.* ℞. ad 2. Gaudet etiam poſt litem ſibi motam & conteſtatam. Wieſt. *n. 56.* cum aliis; quia lite pendente nihil eſt innovandum in alicujus præjudicium, ſed omnia relinquenda in ſuo ſtatu, quo erant ante cæptam litem. *c. 1. & ult. ut lite pend.* ergo qui gaudet jure eligendi ante litem ſibi motam, etiam poſtea gaudebit. Oppones 1. per litis conteſtationem inducitur mala fides, ita ut fructus rei poſſeſſæ poſt eam percepti reſtitui debeant, ſi alter in Judicio evicerit rem poſſeſſam à te. *l. 22. C. de R. V.* ergo. 2. *c. 2. de in integr. Reſtit.* dicitur electio facta ab illis, qui erant in poſſeſſione Juris eligendi, nec confirmanda nec infirmanda, quamdiu pendet lis; eò quòd ex hac poſſeſſione pendeat valor electionis: ergo non valet electio, ſi lite deciſa conſtet, electores malè, & ſine proprietate, poſſediſſe jus eligendi. ℞. ad 1. Diſt. Ant. inducit malam fidem verè, N. *Ant.* fictè & interpretativè

tivè. *C. Ant.* ex fide tantùm interpretativè mala non obligatur poſſeſſor ad reſtituendos fructus interea perceptos, qui non ſunt pretio æſtimabiles, uti eſt ſuffragatio in electione; quia *l. cit.* tantùm loquitur de fructibus, qui ſunt pretio æſtimabiles. Ad 2. ibi non fuit lis ſuper proprietate, ſed ſuper poſſeſſione ipſa, & ideo rectè fuit dilata electionis confirmatio ad finem litis; quia is, qui probaverit ſe ſpoliatum poſſeſſione, poteſt petere reſciſſionem electionis.

19 Dico 3. Laici ſunt inhabiles ad eligendum Prælatum Eccleſiaſticum. 2. niſi habilitentur per privilegium Summi Pontificis. 3. vi conſuetudinis autem, vel Præſcriptionis, non obtinent jus eligendi. 4. neque alio modo. Ita communis Catholicorum contra Hæreticos, qui pertinaciter contendunt, populo competere jus eligendi paſtores ſuos Jure Divino. Prima pars conſtat ex *c. 2. 43. 51. h. t.* Ratio autem, quia jus eligendi Prælatum Eccleſiaſticum eſt jus ſpirituale, ſeu jus tractandi negotium ſpirituale: ſed laici Jure Eccleſiaſtico. *c. 2. de Judic.* pronuntiantur inhabiles ad tractanda negotia ſpiritualia. Et hinc electio, cui ſua vota immiſcent ſæculares, non ſe opponentibus Clericis, eſt irrita; & Clerici jure eligendi pro ea vice privati, ſuſpendendi etiam per triennium. *gl. in c. 43. h. t. v. ſuſpendantur.* Electus verò conſentiens tali electioni per abuſum ſæcularis Poteſtatis factæ redditur ineligibilis ad quamcunque Prælaturam, donec Epiſcopus cum ipſo diſpenſet. *c. 43. 56. h. t.* Quòdſi verò laici (v. g. Commiſſarii

Prin-

Principis) non interſint electioni per vim, nec ſe immiſceant cum auctoritate, nec ferant ſuffragium, ſed ſolùm tanquam defenſores eligentium, id rectè fit; non tamen deberent eſſe phyſicè præſentes in ipſo actu & loco electionis. Fagn. in *c. 43. cit.* imò tanquam teſtes vel Notarii poſſent etiam eſſe præſentes ipſi actui. In quibusdam etiam locis conſuetudo obtinuit, ut non tantùm mors defuncti Prælati intimanda ſit Principi ſæculari, vel Patrono, ejúsque petatur conſenſus (vel potiùs patrocinium vel defenſio) ad futuram electionem, uti fit in Bavaria ſecundùm Concordata inter hujus provinciæ Principes, & locorum Epiſcopos inita anno 1583. ſed etiam ut Princeps ſæcularis ſuos Commiſſarios ableget ad electiones Prælatorum, præſertim Regularium, absque voto tamen electivo & aſſiſtentia phyſica in conclavi electionis; cui poſtea electio facta inſinuari, vel etiam conſenſus deſuper requiri debeat, ut permittit etiam *c. 14. h. t.* quem tamen Princeps ſæcularis negare nequit, niſi canonicum ſubeſſe impedimentum oſtendat. *Innoc. in c. 28. h. t.* Laym. *c. 3. q. 22.* Si verò Laicus per vim intereſſet, vel ſuffragium ferret, repugnantibus tamen & proteſtantibus Clericis, valeret quidem electio ex ſolis Clericorum ſuffragiis, non attento ſuffragio laici; nihilominus tamen in odium violentæ præſumptionis caſſari poſſet electio. Secunda pars aſſertionis conſtat indè, quia Pontifex plenariam habet poteſtatem circa omnia beneficia, & laicos, qui Jure Naturali aut Divino non probantur eſſe incapaces poſſi-

poſſidendi juris ſpiritualis, utique ad id habilitare poteſt, & actu habilitavit ad jus Patronatûs (quod eſt æquè ſpirituale, vel ſpirituali annexum, ac jus eligendi) ut patet ex pluribus *cc. de Jure Patron.* Tertia pars habetur ex *c. 56. h.t.* Quòd autem laici nequeant præſcribere jus eligendi, clarum eſt, quia citra privilegium Apoſtolicum illius poſſidendi capaces non ſunt: præſcriptio autem ſine poſſeſſione nec incipit, nec currit, ut eſt explorati Juris. Si tamen præſcriptio eſſet imemorialis, præſumeretur privilegium Apoſtolicum præceſſiſſe. Quarta pars fluit exinde, quòd nullus, niſi Papa, Jus Commune Eccleſiaſticum, vi cujus inhabiles ſunt laici, tollere poteſt. Quare nec per donationem, nec per pactum cum Clericis electoribus, nec per compoſitionem vel tranſactionem ad laicos devenire poteſt jus eligendi. per *c. 51. cit.*

20 Oppones 1. Electio Epiſcoporum olim non à Clero tantùm, ſed etiam à Populo fiebat. *can. 13. 18. 34 d. 63. can. fin. d. 51.* Imò *in can. Hadrianus 22. & ſeq. d. cit.* legitur Hadrianus Pontifex Carolo M. & Leo VIII. Ottoni I. dediſſe poteſtatem eligendi ipſum ſummum Pontificem: ergo antiqua & purior Eccleſia conceſſit laicis poteſtatem eligendi, quam recentiores Pontifices iis per tyrannidē rurſus ademerunt. 2. S. Cyprianus *in Epiſt. 68.* ait, traditionem Divinam & Apoſtolicam eſſe, ut Epiſcopus eligatur, præſente populo: ergo hoc jus non poteſt ipſi adimi ab Eccleſia. Et hæc duo argumenta importunè oggerunt Hæretici. 3. laici ſunt capaces Juris Patronatûs, quod tamen eſt ſpiritua-

ritua-

rituale. per *c. 16. de Jure Patr.* ergo. 4. quidquid poteſt acquiri per privilegium Principis, acquiri etiam poteſt per conſuetudinem vel præſcriptionem immemorialem, ut habet commune brocardicum inter DD. ſed jus eligendi à laicis obtineri poteſt per privilegium Apoſtolicum: ergo. ℞. ad 1. Populus quidem olim interfuit electionibus, at non dando ſuffragium, ſed vel poſtulando aut nominando aliquem, à Clero poſtea liberè eligendum: vel ferendo teſtimonium de probitate perſonæ eligendæ: vel conſentiendo in electionem à Clero factam. *can. 1. d. 62. can. 12. & 26. d. 63.* Quod additur de privilegio Imperatoribus conceſſo in ordine ad eligendum Pontificem, fabuloſum eſt, & incautè deſcriptum ex Sigeberto & Luitprando, qui hiſtoriam malè referunt, ut oſtendit Bellar. Anaſtaſ. Biblioth & alii puriores Hiſtorici. Si tamen verum eſſet, nihil faceret contra aſſertionem noſtram, qui dicimus, ex privilegio Apoſtolico poſſe competere laicis jus eligendi. Sed tale privilegium ſine ulla tyrannide à ſucceſſoribus revocari potuiſſet. Ad 2. S. Cyprianus per *traditionem Divinam & Apoſtolicam* non intellexit præceptum Divinum & Apoſtolicum, ſed uſum & morem, quo tum in veteri Teſtamento, tum in novo (ex gratuita Apoſtolorum & Pontificum permiſſione) electionibus interfuit populus. Ad 3. N. *Conſ.* quia Papa laicos per univerſale privilegium habilitavit ad jus Patronatûs, non ad jus eligendi: fortè ex hac ratione; quia jus eligendi plerumque eſt circa Prælatos Eccleſiaſticos, quorum authoritatem in ſpi-

ſpiritualibus non decet dependere à ſæcularibus: deinde jus eligendi eſt longè fortius, quàm jus præſentandi; nam electio tribuit jus electo, non verò præſentatio; præſentatus enim jus ſpirituale primùm acquirit per Inſtitutionem à Superiore Eccleſiaſtico. Ad 4. *D. Ma.* niſi conſuetudini vel præſcriptioni reſiſtat jus, & præſcribens ſit incapax poſſidendi. *C. Ma.* ſecus. *N. Ma.* &c.

§. 4.

Quinam eligi poſſint, ſeu vocem paſſivam habeant.

21 Sciendum; cùm juxta *c. 7. h. t. c. 7. & 37. eod. in 6.* & alia, eligendus ſit dignus, qui nempe ſit legitimô thorô natus, debita ætate inſtructus, gravitate morum & litterarum ſcientiâ commendabilis &c. ita ut ſcienter eligentes indignum in Epiſcopum præter privationem juris eligendi ſuſpendantur triennio à beneficiis, quæ obtinent in Eccleſia illa, in qua elegerunt indignum; idcirco inquirendum hic eſſe, quinam tam Jure Naturali quàm Poſitivo repellantur à Prælaturis velut *indigni & inhabiles.* Porro indignitas hæc & inhabilitas oritur ex triplici fonte, nimirum ex defectu, delicto, & cenſuris. Ut iſta enucleatiùs pateſcant,

22 Dico 1. Ineligibiles *ex defectu* ſunt 1. rationis incapaces, ſaltem non plenæ, ut infantes, amentes, furioſi, impuberes. 2. nondum egreſſi 30. ætatis annum in ordine ad Epiſcopatum: in ordine ad alias dignitates & prælaturas inferiores, quibus cura parochialis annexa eſt,

Digitized by Google

eſt, necdum ingreſſi 25. ætatis annum. 3. illiterati. Trid requirit, ut eligendus in Epiſcopũ ſit Doctor aut Licentiatus in Theologia, vel Jure Canonico, aut ſaltem tali teſtimonio alicujus Academiæ inſtructus, quo judicetur idoneus ad alios docendos. 4. deſtituti debito Ordine; nam ordinandus in Epiſcopum vel Archiepiſcopum debet priùs ſaltem per 6. menſes fuiſſe in Subdiaconatu; quia juxta conſtitutionem *Onus Apoſtolicæ* Greg. XIV. debet fuiſſe *in Sacris:* ad inferiores autem Prælaturas ſufficit, ſi eligendus intra annum à die adeptæ poſſeſſionis Sacerdotium ſuſcipere poſſit, & actu ſuſcipiat. 5. illegitimè nati, niſi ſint per ſubſequens Matrimonium legitimati, vel à Pontifice diſpenſati Quò ſpectarent nati ex parentibus hæreticis juxta *c. 15. de hæret.* niſi in Germania, ubi hæretici tolerantur, huic conſtitutioni eſſet derogatum. 6. Neophyti ſeu recenter converſi juxta 1. *Tim. 3.* non enim expedit ſtatim fieri Doctorem, qui primùm cœpit eſſe diſcipulus. 7. Novitii: & nondum expreſsè profeſſi, in ordine ad conſequendam Prælaturam Regularem, etiam ſui Ordinis; cùm neceſſe ſit, ut per notabile tempus poſt profeſſionem Religioſam bene priùs didicerit, quid alios doceat præpoſitus. 8 corpore vitiati, qui nimirum ea ſunt corporis diſpoſitione, ut vel omnino non, vel ſaltem non decenter, fungi poſſint munere ſuo. Quò ſpectant & alii, qui propter defectum aliquem, tanquam Irregulares, repelluntur ab Ordinibus. Ita diſponitur *c. 3. de æt. & qualit. c. 7 h. t. Trid S. 22. c. 2. & S. 24. c. 12. de Ref. c.*

Digitized by Google

20.28.37.h.t.cum Trid.S.25.c.21. de Regular.titt. de corpore vitiatis, de tempor. ordination. & de æt. & qualit. &c. Vide etiam, quæ diximus de iis, qui poſtulari nequeunt, & *tit.præced.n.6.*

23 Oppones 1. Videmus, Magnorum Principum filios teneræ adhuc ætatis, litterarum, & Ordinum expertes aſſumi in Epiſcopos, & confirmari à Pontifice: ergo propter defectum ætatis, ſcientiæ, Ordinum non eſt aliquis ineligibilis. 2. Videmus, præſertim in Gallia, Abbatias & Prælaturas Regulares conferri Sæcularibus & non Religioſis in commendam, vel Religioſo alterius Ordinis: ergo à fortiori ad eas aſſumi poteſt Novitius & nondum expreſsè profeſſus, præſertim ejusdem Ordinis. ℟. ad 1. id utique fieri poteſt per diſpenſationem Pontificis, & *indultum eligibilitatis* ab eodem conceſſum, ſi ſubſit gravis cauſa, v. g. magna Eccleſiæ utilitas. per *can. 8. d. 61.* Magnorum Principum potentia, præſertim in locis, ubi hæretici invaleſcunt, in protegenda Eccleſia ſupplet illos defectus. Interim tamen & iſti Principes, ſi promoveantur ad Prælaturas, debent ſuſcipere Ordines ſaltem minores, & conſtituere Officiales ac Adminiſtratores omnigenâ ſcientiâ & peritiâ claros. Ad 2. Id pariter non excedit poteſtatem Pontificis, ſupra Jus Eccleſiaſticum eminentis; quamvis in Germania, ubi Regularibus libera relinquitur electio, non ſoleat (imò juxta aliquos propter Concordata Germaniæ nequeat) Pontifex diſpenſare, ut Monaſterio præſit non Religioſus, vel Religioſus alterius Ordinis, Regularibus invitis.

tis. Simili ferè modo non ſolet (vel juxta aliquos nec poteſt) Papa Canonicis ſæcularibus invitis dare Epiſcopum, qui non ſit de gremio vacantis Eccleſiæ, propter eadem Concordata: cujusmodi privilegium, ne invitis detur Epiſcopus ex aliena Eccleſia ſi in Eccleſiæ vacantis gremio reperiatur dignus, habetur. *can. 13. d. 61. cit.*

Dico 2. Ineligibiles *ex delicto* ſunt 1. ſemel 24 repulſi propter vitium perſonæ, ſaltem in ordine ad Prælaturam ejusdem Eccleſiæ. 2. conſentientes in electionem ſui per abuſum ſæcularis poteſtatis factam. 3. ambitioſi. qui nempe in electionem ſui (non ut faciendam) ſed ut jam factam conſentiunt ante formatum & publicatum communis electionis Decretum. Quò etiam referri poſſunt velut ſuſpecti de ambitione, qui precibus ſollicitant ſui electionem, niſi deſiderent Prælaturas ſyncera intentione, ut proſint Eccleſiis & ſubditis; tunc enim verum eſſet illud Apoſtoli, *qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat:* ſed hoc rarum eſt hoc tempore. 4. retinentes plura beneficia incompatibilia, ut ſunt dignitates, perſonatus &c. tempore electionis, non obtenta priùs diſpenſatione, ſcilicet propter notam cupiditatis. 5. Intruſi, h. e. qui propria auctoritate ſcienter ſine titulo & Canonica inſtitutione Prælaturam, vel aliud Beneficium, accipiunt vel retinent, aut ante obtentam confirmationem adminiſtrant Prælaturam, ſaltem in ordine ad eandẽ Prælaturam vel idem beneficium conſequendum. 6. Sacrilegi, pagani, Eccleſiæ perſecuto-

res. 7. falſarii litterarum Apoſtolicarum. 8. perjuri. 9. uſurarii notorii, & publici aleatores. 10. Sodomitæ habituati. 11. hæretici, etiam jam abſoluti ab hæreſi, eorúmque fautores, defenſores &c. 12. Simoniaci, ſeu qui mediante pecunia vel alia re temporali ſuffragia & ſui electionem obtinuerunt; teneturque electus, vel de alio beneficio Simoniacè proviſus, in conſcientia illud unà cum fructibus reſtituere, etiamſi electo vel proviſo ignorante Simoniam commiſiſſent alii; niſi ipſe priùs expreſsè contradixiſſet, ne circa ſui promotionem committeretur Simonia, vel niſi aliquis in fraudem, ut electum vel proviſum redderet inhabilem, dediſſet pecunias; quia juxta *c. 15. de Reſcr.* malitiis hominum eſt obviandum. Si Simonia eſt opere completa, ſeu res temporalis data, & electio obtenta, hæc irrita eſt ipſo Jure: ſi ſolùm promiſſa, irritanda. Præterea Simoniacè electus vel proviſus nec per novam electionem aut proviſionem conſequi poteſt eandem Prælaturam vel Beneficium, imò propter excommunicationem, quam incurrit ipſe & mediatores, nec alia Beneficia; antequam ab illa abſolvatur & pœnitentiam egerit. Diſpenſare autem poteſt ſolus Papa, niſi citra culpam electi fuiſſet commiſſa Simonia. *c. 12. c. 43. c. 46. c. 54. h. t. c. 5. de conceſſ. præb. cum c. 5. h. t. in 6. arg. c. 34. eod.* Ẍ. *arg. c. 7. de crim. falſ. c. 10. de Jurejur. c. 11. de exceſſ. Prælat. Bull. horrendum Pii V. c. 2. de hæret. in 6. v. hæretici autem. c. 23. 27. 33. & extrav. 2. inter comm. de Simonia, cum c. 59. h. t.* Denique univerſim repelluntur tanquam

quam ineligibiles perſonæ viles, & infames propter crimen notorium, v. g. homicidii, inobedientiæ contumacis, violati interdicti, adulterii, inceſtûs, veneficii &c. quia iſti etiam repelluntur à ſuſceptione SS. Ordinum, nec perſonis vilibus & infamibus portæ dignitatum patére debent. *c. 11. cit. c. penult. ſeu 87. de R. J. in 6.* Sive dein ſit infamia Juris, ſive infamia Facti: hoc tamen inter utramque diſcrimen eſt, quòd infames infamiâ Juris (ſeu vel per legem, vel per ſententiam Judicis inflictâ) eligi nunquam poſſint, niſi per diſpenſationem legitimi Superioris relaxetur infamiæ pœna: infames autem infamiâ facti (ſeu qui propter crimen publicè notum malè audiunt) eligi valeant poſt conſtantem & notoriam emendationem.

Dico 3. Ineligibiles *ratione cenſurarum* ſunt 25
1. excommunicati, etiam excommunicatione Minore. 2. ſuſpenſi, non tantùm ab officio, ſed etiam à beneficio tantùm. 3. perſonaliter interdicti. 4. violatores interdicti localis per celebrationem. *c. 7. & fin. de Clerico excom. c. 8. de conſuet. & c. 8. de ætat. & qualit. c. 18. de ſent. excom. in 6.* Procedunt hæc, etiamſi excommunicati, ſuſpenſi, & interdicti, ſint tolerati; quia per tolerationem, quam induxit Martinus V. *in Extrav. Ad evitanda*, nullum favorem concedere voluit ipſis cenſuratis, ſed aliis fidelibus, ne conjiciantur in ſcrupulos, ſi fortè cum ipſis communicent. Huc quoque referri poſſunt Irregulares quicunque ex delicto; licèt enim peculiaris textus, de irregularibus gene-

ratim omnibus loquens, non facilè adduci poſſi; ratio tamen id evincit, & communis DD. quia irregularis quilibet eſt inhabilis ad officium adminiſtrandum: beneficium autē & Prælatura datur propter officium. *c. fin. de Reſcr. in 6.* niſi nempe diſpenſationem obtinuerit.

26 Quæres, an electio indigni, ſeu prohibiti eligi, ſit irrita ipſo Jure, vel ſolùm irritanda per ſententiam Superioris? ℞. 1. Electio indigni, qui talis eſt propter *defectum* aliquem ex recenſitis, ipſo Jure eſt irrita; vel enim eſt defectus Juris Naturalis? & abſolutè eſt inhabilis ad Prælaturam, vel eſt Juris Poſitivi? & inducit impedimentum Canonicum: ſed laborans impedimento Canonico non valet *eligi*, ſed *poſtulari* debet juxta ſuperiùs dicta *tit. præced.* electio autem illius, qui poſtulari debet, juxta omnes eſt invalida. juxta *c.20.de Elect.* ℞. 2. Electio indigni qui talis eſt propter *delictum*, tunc eſt irrita ipſo Jure, quando id exprimit ipſum Jus, ſcilicet non ſolùm prohibendo, ſed etiam irritando electionem. Sic irritat electionem Simoniaci, ambitioſi, intruſi, criminoſi ſeu infamis propter crimen, falſarii litterarum Apoſtolicarum; hos enim ultimos *c. 7. de crim. falſ.* privat beneficiis obtentis etiam, conſequenter & à fortiori obtinendis. ℞. 3. electio indigni, qui talis eſt propter *cenſuram*, nimirum excommunicationis, vel ſuſpenſionis, vel interdicti, ipſo Jure eſt nulla, niſi electus laboret ſolùm excommunicatione minore; hujus enim electio *c. fin. de Clerico excom.* dicitur irritanda tantùm. Reliqua patent ex Juribus *n.24.25.* allega-

legatis. ℞. 4. Electio laborantis *irregularitate* aliqua, à ſpecificè allatis diſtincta, probabiliùs non eſt irrita ipſo Jure, quia non reperitur expreſſum; per hoc enim, quòd Jus prohibeat tales promoveri, non ſtatim hoc ipſo irritat eorum promotionem. per *c. 6. de conceſſ. præb. in 6.* Innoc. Franc. Palao & alii contra multos. Irritanda tamen erit, utpote facta contra prohibitionem Juris. *arg. c. 18. h. t.* & facta de tali perſona, quam Superior confirmare nequit. *arg. c. 1. de æt. & qualit.* Ex dictis jam oritur ardua non minùs, quàm utilis controverſia, utrùm electio, ipſo Jure nulla in foro externo, etiam hoc ipſo nulla ſit in foro interno, ita ut nullum omnino jus, etiam in foro conſcientiæ tantùm, tribuat electo, ſeu ut ſine peccato acceptari & retineri nequeat Prælatura per electionem delata. Ad quam ℞. &

Dico 4. Indignus propter defectum vel im- 27
pedimentum, Jure humano introductum, ſi eligitur, nec per ſententiam repellitur, validè & licitè in foro interno acceptat retinétque Prælaturam, vel aliud Beneficium, ſaltem ordinariè. Quamvis itaque electio in foro externo ſit nulla, ſæpe tamen in foro interno ante ſententiam nulla non eſt, ſed tribuit jus electo & proviſo acceptandi, confirmato autem vel inſtituto retinendi (etiam absque diſpenſatione, aut revalidatione tituli, v. g. per triennalem poſſeſſionem juxta *regulam Cancellar. 36.*) Ita contra Suar. *l. 5. c. 24. n. 9.* Barboſ. *in c. 42. de Elect.* atque alios magni nominis Theologos & Juriſconſultos Canoniſtarum Ante-

 ſigna-

Digitized by Google

ſignani Innoc. Panormit. Felin. Jon. Andr. item Sylv. Navar. Laym. Paſſerinus & alii apud P. Wieſtner. *hic n. 191.* ubi quidem loquitur de electione irrita propter non obſervatam formam ſubſtantialem, tota tamen ejus doctrina & fundamenta applicari poſſunt etiam electioni propter alium defectum Juris humani tantùm irritæ. Prob. Electio, quæ ſpectato Jure Naturali & Divino eſt valida, Jure autem Poſitivo humano non eſt irritata pro foro interno, valida eſt pro foro interno: ſed electio indigni, carentis tamen impedimento Juris Naturalis aut Divini, valet de Jure Naturali & Divino, ut nemo negat; nec Jure Poſitivo humano eſt irritata pro foro interno; quod probatur tum negativè; quia Jus Poſitivum Eccleſiaſticum, quando irritat electionem indigni, ordinariè nullam facit mentionem fori interni; tum poſitivè ex illis textibus, qui electiones, ipſo Jure irritas, dicunt eſſe irritandas, reſcindendas, caſſandas &c. uti *c. 7. & 8. de conſuet c. 1. de poſtul. Præl. c. 40. h. t.* Sed ſi pro utroque foro eſſent irritæ, non poſſent ampliùs irritari & caſſari. Id quod confirmatur 1. ex illis textibus, qui electiones vel alios actus irritant, & ſubinde addunt tales clauſulas, quibus indicatur irritatio etiam pro foro interno, ut ſi dicant: *absque alia declaratione.* vel: *quod obtentum eſt, non valeat retineri.* vel: *etiam in foro animæ non ſuffragentur*: ergo, ubi ſimilis clauſula non adjicitur, uti in plerisque electionibus irritatis propter impedimentum Juris humani tantum, in foro conſcientiæ non

ſunt

ſunt irritatæ. Confirm. 2. Non debet aſſeri irritatio pro foro interno, ſi ea non ſatis exprimatur in Jure; cùm in dubiis benignior interpretatio præferenda ſit, & *in obſcuris minimum ſit ſequendum. Reg. Jur. 30. in 6.* Et *contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, interpretatio facienda. Reg. 62. in 6.* Sed non eſt ſatis expreſſa, ſaltem ordinariè, irritatio pro foro interno; & ad ſummum inter Auctores dubium eſt, an Jus humanum irritans electionem indigni voluerit irritare pro utroque foro, & electum in conſcientia obligare ad non acceptandam, vel nõ retinendam Prælaturam, antequam nullitas declaretur per ſententiam. Confirmatur 3. Jus obtinet finem ſuum, ſcilicet ut excludatur indignus, ſufficienter per hoc, quòd irritet electionem pro foro externo; quia ſic non facilè promovebitur indignus, quia confirmari ejus electio non poteſt, &, ſi notetur indignitas, & oriturum indè aliquod damnum Eccleſiæ, per ſententiam removeri electus, imò & confirmatus; niſi ſummus Pontifex, impedimenti gnarus, confirmâſſet. Dixi in aſſertione, *ſaltem ordinariè;* quia aliquæ electiones indignorum ſunt etiam irritatæ pro foro interno, uti electio Simoniaca, electio irretiti excommunicatione majore, electio notati infamâ Juris. *Extrav. 2. de Simon. inter Comm. c. 7. de Cleric. excom. c. 11. de exceſſ. arg. L. un. C de infamibus. lib. 10. & l. 2. C. de dignitat. lib. 12.* Infamiâ Juris, inquam; nam infamis infamiâ facti, ſi nemo ipſi objiciat vitium infamiæ, recipere & retinere in conſcientia poteſt. Pirh. *hic n. 101.* ubi clarè te-

 net

net noſtram ſententiam. Pariter recipere & retinere Prælaturam vel beneficium poteſt electus, vel proviſus, qui laborat defectu natalium, debitæ ætatis &c. ſi nemo ipſi quidquam opponat, nec à Judice declaretur nullitas electionis vel proviſionis.

28 Oppones. Actus ab illo geſtus, qui caret poteſtate gerendi, eſt ita nullus, ut ne quidem in conſcientia tribuat ullum jus, aut ullam pariat obligationem: ſed electio quæcunque indigni, à Jure Eccleſiaſtico irritata, fit à non habentibus poteſtatem eligendi: ergo ita eſt nulla, ut nequidem in conſcientia tribuat ullum jus electo. *Ma.* eſt clara, quia actus, à non habente poteſtatem agendi geſtus, habet ſe ſicut actus omnino non geſtus. *Min.* conſtat indè, quia Jus electoribus non dedit poteſtatem eligendi indignum. ℞. N. *Min.* Jus prohibens eligi indignum non adimit electoribus vocem activam, adeóque nec poteſtatem eligendi, ſed potiùs illi, qui ſecundùm Jus Naturale & Divinum eſſet eligibilis, adimit vocem paſſivam ſeu eligibilitatem, & quidem ordinariè ſolùm pro foro externo, uti probavimus. Itaque electoribus præcisè prohibet, ne talem eligant: prohibitio autem per ſe non adimit poteſtatem agendi; aliàs Clericus v. g. expendens bona beneficialia in uſus profanos, & laicus Matrimonium contrahens cum impedimento impediente, aut contra interdictum Eccleſiæ, ageret invalidè; quod utique falſum eſt. Relege dicta *de Conſtitutionibus n. 68. & 69.* Item vide dicenda *infrà n. 40. 55.*

Dico

Dico 5. Eſt obligatio gravis eligendi ad Præ- 29
laturas Eccleſiaſticas digniorem; quamvis electio minùs digni, qui tamen abſolutè dignus & habilis eſt, ſit valida. Prior pars eſt deciſa in *Trid. Seſs. 6. & 24.* utrobique *c. 1. de Ref.* & ab Innoc. XI. per condemnationem propoſitionis 47. inter confixas. Unde oppoſita ſententia Viviani & ſequacium non ampliùs eſt probabilis. Exigit etiam id ipſum Juſtitia Diſtributiva. Poſterior liquet ex eo, quòd electio digni, omiſſo digniore, nullibi ſit irritata. Per *digniorem* intelligo univerſim non illum, qui alios ſuperat probitate morum, vel ſcientiarum peritiâ, vel utrâque, ſed qui penſatis omnibus creditur *utilior* Eccleſiæ. *Trid. Seſs. 24. c. 1. cit.* & aptior ad miniſterium ratione Prælaturæ peragendum. Unde quamquam ſubinde pro digniore habendus ſit, qui ſanctior eſt, ſubinde qui doctior, ſubinde qui prudentiâ & rerum agendarum dexteritate excellentior; ſæpe tamen dignior erit, qui, competenti probitate & doctrinâ non deſtitutus, nobilior eſt ſanguine aut potentior bonis temporalibus, uti ſunt Principum & Magnatum filii, præſertim in locis hæreticorum, vel aliis, ubi Eccleſiæ indigent potenti protectore contra Hæreticos, Schiſmaticos, perverſos Catholicos. In Prælaturis tamen Regularium minùs attenditur nobilitas. Illud præterea ſemper præ oculis habendum eſt, ut, ſi fortè ex mente Fundatorum, vel Statuto ſpeciali, promovendæ ſint perſonæ, ex certo loco, diœceſi, collegio, natione &c. oriundæ, & aliqua ex tali loco, diœceſi, collegio, natione, ſit digna & capax,

pax, non aſſumatur aliquis extraneus; quia extraneus in concurſu talis perſonæ, quam requirit fundator vel ſtatutum, non tantùm non eſt dignior, ſed ne dignus quidem, propter defectum qualitatis requiſitæ. Tametſi verò per ſe ſit peccatum mortale, eligere minùs dignum, excuſari tamen electores poſſunt vel ab omni, vel ſaltem à peccato gravi. 1. ex parvitate materiæ, ſi nempe ſit modicum diſcrimen inter dignum & digniorem; cùm ex tam modica differentia non videatur eſſe periculum gravis incommodi vel damni in Eccleſiam vel ſubditos redundaturi ex promotione minùs digni; quæ tamen ratio fuit ſub gravi præcipiendi electionem digniſſimi, ſeu dignioris cœteris. 2. ex incertitudine, quisnam ſit abſolutè dignior, & ſi unus altero ex probabili ſolùm conjectura videatur utilior futurus. 3. ſi dignior utiliùs occupetur alio munere inferiori: vel ex induſtria ſervetur ad Prælaturam eminentiorem, aut beneficium melius brevì vacaturum. 4. ſi prævideatur, quòd dignior non ſit diu adminiſtraturus Prælaturam vel beneficium, ſed brevì iterum reſignaturus; nam crebræ mutationes non proſunt Eccleſiis. 5. ſi nulla ſit ſpes, quòd quis ſuffragiô ſuô profuturus ſit illi, quem judicat digniorem, eò quòd videat, cœteros omnes inclinare in minùs dignum. Si tamen per ſuum ſuffragium poſſet multùm ei prodeſſe, ſaltem ad aliam electionem, teneretur digniori illud dare ſub mortali.

§. 5.

§. 5.

De Forma ſubſtantiali Electionis, præſertim de Scrutinio & Compromiſſo.

Sciendum 1. Ordinem exigere, ut præmiſſis 30
iis, quæ electionem præcedunt, nunc explanemus ea, quæ ipſam comitantur, nimirum formam & modum, quo actualiter inſtitui debet, ut ſubſiſtat. Quæ forma triplex eſt juxta famigeratum *c. quia propter 42. h. t.* deſumptum ex *Concil. Lateran.* cujus tenor ſic habet: *quia propter diverſas electionum formas, quas quidam invenire conantur, & multa impedimenta proveniunt, & magna pericula imminent Eccleſiis viduatis: ſtatuimus, ut, cùm electio fuerit celebranda, præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & poſſunt commodè intereſſe, aſſumantur tres de Collegio fide digni, qui ſecretè & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi: nullo prorſus appellationis obſtaculo interjecto: ut is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major & ſanior pars Capituli conſentit. Vel ſaltem eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Eccleſiæ viduatæ provideant de Paſtore. Aliter electio facta non valeat: niſi fortè communiter eſſet ab omnibus, quaſi per inſpirationem, abſque vitio celebrata. Qui verò contra præſcriptas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice poteſtate priventur.* Ex quo textu, qui totius materiæ de electione clavem continet & medullam, habetur 1. triplicem formam approbari, qua fieri poſſit electio, nempe per ſecretam votorum collectionem, eorúmque 4.

ſcripto

ſcripto annotatorum publicationem, ac denunciationem illius, in quem major & ſanior pars conſpiravit, factam à tribus ad id capitulariter electis; & hæc forma appellatur *Scrutinium*, tres autem illi, qui vota ſecretè colligunt, Scrutatores. Dein quæ fit per commiſſam viris ad id idoneis poteſtatem; & hæc forma dicitur *Compromiſſum*, & illi, quibus ea poteſtas committitur, Compromiſſarii. Demum quæ habetur per unanimem conſpirationem omnium electorum in unum, nullo præcedente tractatu; & hic modus nominatur *quaſi Inſpiratio* Divina. 2. unam ex his formis neceſſariam eſſe & ſubſtantialem, ita ut aliàs electio non valeat. 3. eligentes autem alio modo privari jure eligendi pro ea vice, ſed primùm per ſententiam, quod indicat verbum *priventur*.

31 Sc. 2. Ad formam *Scrutinii* requiri 5. actus. 1. electionem Scrutatorum. 2. ſecretam ſuffragiorum collectionem, quæ eſt ipſum ſcrutinium ſecundùm etymologiam ſuam acceptum. 3. publicationem ſcrutinii, ſeu ſuffragiorum ſecretè collectorum manifeſtationem. 4. collationem ſuffragiorum, nempe adhibita comparatione *numeri ad numerum*, quod fit calculando numeros inter ſe, ut appareat, quis à majori parte ſit electus: *Zeli ad Zelum*, ſeu intentionis, qua electores permoti fuerint ad dandum huic vel illi ſuffragium, ut appareat, quis à ſaniori parte electus ſit: *meriti ad meritum*, ut appareat, an electus ſit dignus; vel, ſi duo concurrerent, quis eorum eſſet dignior. Sæpe tamen fit ſola collatio numeri ad numerum, maximè in electione

ctione ſummi Pontificis. *c.6.h.t.* Abbatiſſarum. c. *43. eod. in6.* & ex conſuetudine in quibusdam Eccleſiis, præſertim Regularium; eò quòd propter perſpectam eligentium probitatem fas nō ſit dubitare, eum, qui à majori parte electus fuerit, eſſe idoneum, & à ſaniori quoque parte, quæ nempe prudentiâ & pietate præpollet, eſſe electum. 5. Decretum electionis, ſeu electionem capitularem & communem, ejúsque publicam promulgationem nomine omnium factam in Capitulo, ac in continenti, h.e. ſtatim, & ſine alio actu interpoſito. Hi actus omnes, & quidem eo ordine, quo relati ſunt, intervenire debent in Scrutinio. per *c. 42. cit.* quos poſtea magis elucidabimus.

Sc. 3. *Compromiſſum* duplici modo dari poſſe, nimirum *abſolutè*, dando compromiſſariis poteſtatem eligendi quemcunq; idoneum, etiam extraneum, qui non eſt de gremio vacantis Eccleſiæ; & *limitatè*, reſtringendo ipſis poteſtatem ad eligendum vel unum de gremio: vel qui non ſit ex Compromiſſariis: vel ut priùs adhibeant unius vel plurium conſilium (quo caſu compromiſſarii tenentur quidem exſpectare horum reſponſum, non tamen tenentur ſequi, quia de ratione conſilii eſt, non obligare. *c.62. de R. J. in 6.*) vel denique ut eligant illum, quem requiſitis ſecretò ſingulorum Capitularium votis à majori parte invenerint nominatum. Qui ultimus modus compromittendi eſt mixtus, & participat etiam aliquid de ſcrutinio: apertè autem approbatur *c. 32. h. t.* & *c. 29. eod. in 6.* Qui autem conſtituti ſunt compromiſſarii in or-

ordine ad *eligendum* nomine totius Capituli, iisdem cenſetur hoc ipſo etiam data poteſtas ad *poſtulandum* aliquem nomine totius Capituli. Text. & DD in *c. 30. h. t. §. quia verò*; nam ſub electione etiam intelligitur Poſtulatio, cùm ſit quaſi pars illius. Porro compromitti poteſt non tantùm in plures, ſed etiam in unum. *c. 37. eodem in 6.* modò ſit Clericus. *c. 51. eod.* X. conſultiùs tamen & tutiùs agent compromittentes, ſi conſtituant compromiſſarios numero impares, v. g. tres, vel quinque, vel ſeptem. per *c. 32. ſeq. eod.* ne ſuffragiorum æqualis prodeat numerus, & ſic fruſtretur electio. Cæteroquin ſi non ſpecialiter injungatur compromiſſariis, ut eligant obſervatâ formâ ſcrutinii, quantùm fieri poteſt, ad nullam eligendi certam formam adſtringuntur.

33 Sc. 4. Ad formam *quaſi-Inſpirationis* Divinæ exigi, ut omnes omnino electores, nullo contradicente vel hæſitante, in loco ſolito congregati, ſine ullo præcedente tractatu, conſentiant in unum. *gl. in c. 7. h. t. in 6.* niſi enim omnes ſimul conſpirarent, electio non cenſeretur eſſe ſpecialiter inſpirata à Spiritu S. qui eſt Spiritus unionis, non diſſenſionis. Dixi, *quaſi-Inſpirationis*; nam Inſpiratio eſt duplex, una, quæ apertè & verè eſt à DEO per revelationem ſpecialem, & vocatur *vera Inſpiratio* Divina: quo modo S. Mathias fuit electus in Apoſtolum, S. Nicolaus, & S. Ambroſius nondum baptizatus, in Epiſcopos. Altera, de qua non ita apertè & clarè conſtat, quòd à DEO procedat, præſumitur tamen procedere præſumptione Juris, vo-

vocatúrque *quaſi-Inſpiratio* Divina, quam antè deſcripſimus. Et hanc ſequi debet confirmatio Superioris, non verò illam. Verùm de hac ultima forma, quia admodum rara eſt, &, ſi contingat, difficultatem non habet, nihil ulteriùs dicemus, bene tamen de duabus reliquis, & priùs quidem

De Scrutinio.

Dico 1. Electores Capitulariter congregati debent eligere tres Scrutatores, fide dignos, de Collegio, ſeu gremio Capitulari. *c. 42. cit.* Dixi 1. *Electores*, qui ſcilicet debent, volunt, & poſſunt intereſſe electioni. 2. *Capitulariter congregati;* non enim ſufficit conſenſus ſingulariter præſtitus, v. g. in propriis ſingulorum ædibus datus; nam electio in latibulis celebrata expreſsè reprobatur in fine *d. c. 42.* Hæc autem electio ſcrutatorum non debet, imò non poteſt, in omnibus fieri ſecundùm *d. c.* formam; quomodo enim fieri poſſit per ſcrutatores electio, in qua primùm eliguntur ſcrutatores? Quare conſuetudine introduci poteſt, ut electio ſcrutatorum non pertineat ad totum Collegium, ſed ad quosdam digniores tantùm Collegii. 3. *debent eligere*, quocunque demum modo. Imò probabiliter ſufficeret conſenſus electorum tacitus, ſi viderent, v. g. tres aggredi ſcrutinium, ipſi verò non contradicerent, cùm facilè poſſent. Pirhing *n. 163.* 4. *tres ſcrutatores*, non plures, nec pauciores; quamquam probabile ſit, hunc numerum non ita eſſe neceſſarium, ut non poſſit minui ad duos vel unum, ſi ob paucitatem electorum non poſſint commodè aſſu- 34

mi tres; vel augeri ad quinque, v. g. ſi Collegium eſſet valde numeroſum, ut notat Wagnereck cum Suar. quia, ubi ſunt quinque, etiam reperiuntur tres, quot requirit *c. cit.* 5. *fide dignos*, qui videlicet fideliter & absque fraude exquirant ſingulorum ſuffragia, & ſecretum teneant: quapropter conſultum, & in quibusdam Eccleſiis uſitatum eſt, ut ſcrutatores emittant priùs juramentum de fideliter agendo & ſecreto ſervando. 6. *de Collegio*; quia præſumuntur meliùs procuraturi utilitatem Eccleſiæ, quàm extranei. Nihilominus tamen uſus Germaniæ habet in pluribus Eccleſiis, præſertim Regularium, ut aſſumantur pro ſcrutatoribus extranei, modò Clerici ſint, v. g. Prælati aliarum Eccleſiarum, Conſiliarii Epiſcopi &c. imò tales extra gremium aſſumpti in ſcrutatores non omnino ſunt extranei, ſed potiùs fiunt *de Collegio eligentium.* Imol. *in cit. c. n.* 4. & 8.

35 Dico 2. Scrutatores electi debent ſecretò, ſigillatim, diligenter, & ordinatè vota ſingulorum exquirere, eáque ſcripto annotare ſtatim. *c.* 42. *cit.* Dixi 1. *ſecretò*, ita ut reliquis non innoteſcat, cui quis dederit ſuum ſuffragium. 2. *ſigillatim*, h. e. à ſingulis ſeorſim, & non binis ſimul accedentibus. Hæc ſecreta & ſingularis ſuffragatio fieri poteſt duplici modo, nimirum vel viva voce proferendo ſuffragium, ſed ita, ut præter ſcrutatores nemo audiat: vel ſcriptum & clauſum ſuffragium deferendo ad ſcrutatores, ita ut nec iſtis innoteſcat, cui detur ſuffragium: qui poſterior modus Tridentino eſt conformior. 3. *diligenter*, h. e. inquirendo,

ob

ob quæ merita, quóve Zelo moti ſint electores ad hunc præ aliis eligendum, ut conſtet, quò collimet ſanior pars Capituli: ſed hæc inquiſitio locum non habet, niſi ſuffragia dentur aperta, & voce viva. 4. *ordinatè*, h. e. exquirendo vota ſecundùm ordinem dignitatis & prærogativæ Capitularium, priùs autem ab eo, qui præeſt Collegio: & ubi conſuetudo habet, etiam ab iis, qui jure eligendi præditi in eadem civitate exiſtunt, tamen ob morbum vel aliud impedimentum præſentes eſſe in loco electionis nequeunt; ad hos enim, ſi procuratores non conſtituerint, accedere debent ſcrutatores, & recepta eorum vota ad Capitulum deferre, nullo alio actu interpoſito, & antequam fiat publicatio ſcrutinii. Ipſi autem ſcrutatores, ſi ſint de Collegio, & voce activa præditi, vel ſtatim primo loco, ut aliqui volunt, vel ſaltem poſt receptum votum illius, qui Collegio præeſt, à ſe ipſis mutuò excipere debent ſuffragia, nimirum ſemper duo ſuffragium tertii ſcrutatoris; & hoc ideo rectè obſervatur, quòd aliàs, ſi ſcrutatores darent ultimi ſua vota, intellectis aliorum ſuffragiis, pro arbitrio poſſent ſæpe unius vel alterius electionem complere, vel infirmare. Præterea antequam aliorum recipiant ſuffragia, vi conſuetudinis ſolent plerumque, imò debent, ab ipſis juramentum exigere, vel eos adjurare de eligendo digniore. 5. *eáque ſcripto annotare*, ſi videlicet viva voce data ſint ſuffragia, ad faciliorem tum memoriam, tum probationem geſtorum, & ne variationi ſit locus. Poſſunt autem annotare vel per ſe, vel per tabellionem.

 Di-

Digitized by Google

36 Dico 3. Poſt collecta ſuffragia mox eorum publicatio facienda eſt coram omnibus. *c. 42. cit.* Dixi 1. *mox*, nempe in continenti, ſeu in uno contextu, nullo alio actu interpoſito: ut adeò, ſi ſcrutatores hanc ſcrutinii publicationem differrent, tam is, qui ſe electum putat, quàm quivis alius de Collegio, agere poſſet, ut fiat, omni obſtaculo appellationis remoto. *c. cit. & arg. c. 18. h. t.* 2. *eorum*, intellige, ſuffragiorum tantùm; nullatenus verò publicari debent nomina eligentium: quod in electione Regularium ſpecialiter eſt prohibitum à Trid. *S. 25. c. 6. de Regular.* Utrùm verò publicandus ſit numerus duntaxat votorum & perſonarum eligentium, v. g. dicendo: *vota, quæ à Dominis Capitularibus exquiſivimus, ſunt univerſim 24.* vel etiam exprimendum, in quas perſonas & in quot directa ſint, ut conſtet, in quem, aut quos ſuffragia colliment, pendet ex conſuetudine particulari locorum. Mihi videtur utiliùs fieri ſecundum. Porro notandum, facta ſcrutinii publicatione electores ſuo functos eſſe officio, quatenus ſunt perſonæ ſingulares, & electionem compleviſſe, ſive bene, ſive malè ſuffragati ſint; ut adeò ipſis non integrum ſit ampliùs variare, vel mutare ſuffragium, atque ſuo voto accedere alteri parti. *c. 58. h. t.* caſu quo electio facta eſt in concordia. Si verò facta fuiſſet in diſcordia, h. e. ſi vota eſſent diſperſa in plures ita, ut in nullum conſpirâſſent abſolutè majora, tunc vel ad novum Scrutinium procedere debent electores, vel in aliquos communi conſenſu compromittere, vel, ut tenet

net Pirh. *n.176.* cum Panorm. & Tholoſ. aliqui electores poſſunt mutatâ ſententiâ accedere ad numerum ejus, qui plura ſuffragia, non tamen omnino ſufficientia, habuit, & ſic illius ſuffragia ad numerum Canonicæ electionis augere, adeóque in tali caſu variare, eò quòd nulli adhuc quæſitum ſit jus ad Prælaturam. Verùm hæc electio *per acceſſum*, ut vocant, non eſt ſatis tuta, cùm à Curia Romana non ſemper confirmetur taliter electus. Iſte tamen acceſſus locum habet indubitanter in electione ſummi Pontificis, & Abbatiſſarum. *c. 6. h. t. & 43. eod. in 6.* Cœterùm publicatio Scrutinii fieri debet ab uno Scrutatorum cœteris conſentientibus; cùm ſoli ſupponantur ſcire numerum collectorum ſuffragiorum, & in quos ea colliment; omnes autem ſimul loqui non expediat; ut rectè ponderat Suarez.

Dico 4. Poſt publicatum Scrutinium ſtatim 37
procedendum eſt ad collationem votorum. *c. 42. cit.* ut ſcilicet appareat, quis à majore & ſaniore parte electus ſit. Dixi 1. *ſtatim*, nempe ſine intervallo, & alio actu interpoſito. 2. *ad collationem*, nimirum numeri ad numerum, Zeli ad Zelum, meriti ad meritum. *c. 55. h. t.* cùm à parte Capituli *majore & ſaniore* copulativè electus eſſe debeat, qui eligitur validè, juxta *c. 42. ſæpius cit.* Si autem un[illegible]geretur à majori, alius verò à ſaniori parte Ca[illegible]lari-um, videndum eſt, an auctoritas ſanioris partis, & meritum electi, multùm excedat auctoritatem majoris partis, & meritum alterius electi, vel non multùm excedat: ſi prius; neu-

trius electio confirmatur: ſi poſterius; admittitur electio facta à majori parte, non attenta ſaniori. Pariter confirmatur electio majoris partis, ſi tantus ſuffragiorum ſit numerus, ut partem ſaniorem ſuperet in duplum, ſeu duabus partibus. *c. 9. h. t. in 6.* Cœterùm univerſim major pars præſumitur etiam eſſe ſanior, niſi clarè appareat, electum à majori eſſe notoriè indignum, ambitioſum &c. electores muneribus eſſe corruptos &c. *c. 57. eod.* X. Unde ſi illi, qui à majori parte electus eſt, poſſit opponi & probari defectus, ob quem inhabilis ſit ad Prælaturam, valet & præfertur electio alterius, in quem conſenſit minor & ſanior pars. *c. 22. eod.* quia totum jus eligendi devolvitur ad partem, quæ eligit dignum, etſi minor ſit: imò tali caſu non reputatur, ut minor pars, ſed ut totum Capitulum. Panorm. *in c. cit. n. 10.*

38 Quæres, quot vota quis habere debeat, ut cenſeatur habere *majora*, & à majori parte, adeóque *Canonicè* eſſe electus? ℞. debet habere *abſolutè* majora reſpectu totius Capituli & omnium eligentium, & non tantùm *comparativè* majora reſpectu aliorum coëlectorum, quibus etiam aliqua vota obtigerunt. Seu, debet habere ultra medietatem votorum, comparatione facta ad totum Capitulum, ſeu ad omnes eligentes, nec ſufficit habere plura comparatione facta ad partes alias minores, ſeu ad coëlectos. *c. 55. h. t. & c. 23. eod. in 6.* Unde ſi electores ſint 24. neceſſe eſt, ut 13. conſpirent in unum: nec ſufficit, ſi unus habeat 12. ſuffragia, alius 9. tertius 3. Vota autem, ut va-

valeant, oportet eſſe abſoluta & certa, non verò conditionata, incerta, vel alternativa. *c.2. eod. in 6.* hujusmodi enim ibi habentur pro non adjectis. *Conditionatum* eſſet, ſiquis ſic ſuffragaretur: eligo Cajum, ſi à Majori parte Capituli fuerit electus: *incertum* verò, ſiquis hoc modo: eligo, quem Titius elegit: *alternativum*: eligo Cajum vel Titium.

Dico 5. Poſt collationem ſuffragiorum, ſiquis ſufficientem numerum nactus eſt, mox formandum, & ſolenniter promulgandum eſt decretum electionis communis. *c. 42. cit.* Dixi 1. *ſiquis ſufficientem &c.* ſi enim electio fuiſſet diſcors, & nullus obtinuiſſet majora, redeundum foret vel ad novum ſcrutinium, vel inſtituendum compromiſſum: id quod etiam faciendum, ſi primùm poſt publicatum Scrutinium deprehenderetur, electum laborare impedimento, adeóque indignum eſſe: aut ſi is, qui nactus eſt majora, renuntiaret expreſsè vel tacitè ſuo juri. 2. *mox*, nimirum ſine interpoſitione alterius actûs, ac intervallo. *c. 46. h. t.* 3. *formandum decretum communis electionis*, h. e. quærendum ex Capitularibus, an placeat electum publicari? ſi iſti reſpondeant, *placet*, communis & capitularis electio *decreta* eſt, ac proin qui priùs à ſingulis, jam eſt communiter ab omnibus electus. 4. *ſolenniter promulgandum*, h. e. nomine omnium pronuntiandus & publicandus eſt is, qui fuit Canonicè electus, in hunc vel ſimilem modum: *Ego NN. nomine meo, & eligentium, mihique conſentientium, invocatâ gratiâ Spiritûs S. in Epiſcopum* (Abba- 39

tem, Præpoſitum) *hujus Eccleſiæ N. eligo, &* *electum coram vobis pronuntio* (hic ponitur nomen Electi) *in nomine Patris & Filii & Spiritûs S. Amen.* Atque hinc iſta communis electio vocatur etiam *ſolennis*; quam publicari quidem ſufficit coram ſolis Capitularibus, modò non occultetur populo; expedit tamen, & in pluribus Eccleſiis conſuetum eſt, ut etiam populo ſolenniter, ac ex loco publico denuntietur. Promulgatio autem fiat vel à Præſide Capituli, vel ab uno ex Scrutatoribus, vel ab alio ad id conſtituto à Capitulo: debet enim fieri ab uno tantùm, nomine omnium. *c. 21. eod. in 6.* Convenit autem fieri ab eo, qui præeſt Capitulo: quamvis denuntiari populo conveniat per alium.

40 Dico 6. Prædicta forma Scrutinii eſt ſubſtantialis, & regulariter neceſſariò obſervanda in omnibus electionibus, non ſolùm Epiſcoporum, ſed etiam aliorum Prælatorum Eccleſiaſticorum, ordinariam & generalem jurisdictionem ſpiritualem in foro externo in ſuos ſubditos exercentium. *c. 42. c. 46. &c. citt.* Proin ſi vel unicum ex adductis punctis omittatur, vel ordo immutetur, vel unum non ſequatur alterum in continenti, juxta communem DD. ipſo jure erit electio irrita; non tamen (juxta meam ſententiam, *n. 27. 28.* explicatam) in foro interno, antequam irritetur à Superiore, vel potiùs declaretur irrita; ante quam declarationem tutâ conſcientiâ Prælaturam acceptare & retinere poteſt absque prædicta forma electus; quia Jus Poſitivum pro foro interno

no non irritat, nec aliud diſponit, quàm Jus Naturale, quo ſolo attento valet electio ſine memorata forma pro utroque foro. Non enim recedendum eſt à Jure Naturali Permiſſivo, quamdiu non probatur ſufficienter, aliud eſſe ſtatutum à Jure Poſitivo: ex eo autem, quod Jus Poſitivum irritaverit ſimpliciter, non rectè infertur, quòd etiam irritaverit pro foro interno; quia una irritatio ſtare poteſt ſine altera, & irritatio, utpote odioſa, reſtringi debet. 2. *Regulariter neceſſariò obſervanda*, niſi nimirum præplaceat adhibere formam Compromiſſi: vel locum habeat Inſpiratio Divina: vel niſi ob paucitatem Electorum commodè obſervari nequeat: vel niſi alius eligendi modus ex conſuetudine immemoriali receptus, vel privilegio Pontificio indultus ſit. 3. *Sed etiam aliorum Prælatorum &c.* per *c. 41. h. t. & c. 42. cit.* quia etiam iſti, licèt in ſenſu latiori, non incongruè dicuntur quaſi *Sponſi* ſuarum Eccleſiarum, atque *Paſtores*, eorùmque Eccleſiæ, ſi fortè moriantur, appellentur *viduatæ*. Jam

De Compromiſſo.

Dico 7. Forma compromiſſi non habet locum, niſi omnes & ſinguli electores, nemine prorſus diſcrepante, conſentiant in compromiſſarios; iſti tamen non aſſumuntur neceſſariò ex gremio. Prior pars colligitur ex *reg. Jur. 29. in 6. quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*: ſed in Compromiſſo res tangit omnes & ſingulos Capitulares; quia agitur de jure & voce ſingulorum Capitularium, quâ nemo invitus privari debet. Poſterior ex *c. 8. h. t. juncta gl. v.* 41

contulerint: cur enim compromitti non poſſit in extraneos? cùm per Scrutinium facienda electio poſſit committi pro una vice extraneis, per *c. 40. eod.*

42 Dico 8. Electio per compromiſſum non valet, niſi ex compromiſſariis pars abſolutè major conſentiat in unum. Ratio petitur ab electione per ſcrutinium, ad quam requiri majoritatem abſolutam, & reſpectivam non ſufficere diximus *n. 37. & 38.* item ab aliis actibus Capitularibus; nam electio per compromiſſum eſt actus Capitularis, cùm fiat vice Capituli: ſed electio, & quicunque actus Capitularis, de Jure requirit conſenſum partis abſolutè majoris: ergo & electio per compromiſſum exigit conſenſum majoris partis abſolutè talis, nempe reſpectu omnium compromiſſariorum, non reſpectu aliquorum in diverſos tendentium. Unde *c. 23. eod. in 6.* reprobatur tanquam invalidum compromiſſum, quo datur poteſtas Compromiſſariis eligendi illum, in quem exquiſitis ſingulorum votis compererint conſpirare partem reſpectivè majorem, ſcilicet reſpectu habito ad ſimul concurrentes in electione, & non ad totum Capitulum: vel eligendi illum, in quem major pars compromiſſariorum conſenſerit, comparatione habita non ad omnes compromiſſarios, ſed ad aliquos tantùm, diverſum eligentes, v. g. ſi ita limitetur compromiſſum, ut ille habeatur pro electo, in quem ex 7. compromiſſariis conſpiraverint tres, licèt duo in alium, & alii duo in tertium conſenſerint.

43 Dico 9. Etiam in Compromiſſo requiritur electio

electio communis, ab uno ex compromiſſariis promulganda; ſicut in Scrutinio decretum electionis commune, ab uno promulgandum. *c. 21. eod. in 6.* Ut nimirum evidentiùs appareat, electionem eſſe unicam, & actum Capitularem communem. Nec obſtat, quòd *arbitri* compromiſſarii debeant omnes & ſinguli pronuntiare ſuam ſententiam, vel, ſi unus proferat, loqui in numero plurali, *Nos* &c. quia arbitris non ut Collegio, ſed ut ſingulis committitur cauſa: econtra *electoribus* compromiſſariis committitur electio ut Collegio; cùm electio ſecundùm Canones fieri debeat à Collegio ſeu Capitulo.

Dico 10. Ubi plures conſtituti ſunt compromiſſarii, poſſunt iſti aliquem ex ſeipſis eligere, niſi expreſsè ſit ipſis à Capitulo prohibitum. Quia officium ſuum nemini debet eſſe damnoſum. *c. 30. eod. in 6.* Quin ulteriùs: 44

Dico 11. Poteſt compromiſſarius, poſtquam ab uno vel pluribus collegis ſuis ſe electum eſſe novit, ſibi ipſi dare ſuffragium, & ſic facere majora, ſuſque electionem complere. *c. 33. h. t.* Debet tamen tali caſu accedens aliorum ſuffragiis non dicere: *eligo*: vel: *coëligo me ipſum*. Sed: *conſentio alterius* (vel aliorum) *voto*: aut: *conſentio electioni de me factæ*. Oppones 1. nemo poteſt oriri à ſe ipſo, ſcilicet ſeipſum inſtituendo in beneficio: vel ad illud ſe præſentando. *c. fin. de Inſtitut. c. 26. de Jure Patron.* ergo neque ſeipſum eligendo. 2. Nemo in propria cauſa poteſt eſſe Judex: vel teſtis. *l. un. C. ne quis in ſua cauſa. l. 10. C. de teſtib.* ſed accedens aliorum votis ſibi datis judicat, vel teſtis eſt in propria cau- 45

ſa,

ſa, quia ſeipſum judicat, vel teſtatur, eſſe dignum Prælaturâ. 3. Ambitioſus non eſt capax Prælaturæ, ut ſuprà dictum: ſed talis eſſet ambitioſus, quia ſe ipſum præferret aliis. 4. quando fit electio per viam Scrutinii, nemo poteſt ſibi ipſi dare ſuffragium: ergo nec poteſt, quando fit per viam Compromiſſi. ℞. ad 1. N. *Conſ.* & ejus ſuppoſitum, quòd talis *eligat* ſe ipſum: deinde in Jure expreſsè prohibitum eſt, ne quis ſeipſum inſtituat, vel præſentet ad beneficium: acceſſus autem ad alterius ſuffragium in Compromiſſo eſt expreſsè permiſſus. Ad 2. N. *Min*, quia talis judicat potiùs vel teſtatur, aliorum de ſe opinionem eſſe juſtam, dum eorum de ſe judicium vel teſtimonium approbat accedendo illis, & potiùs acceptat, ſeu accipit, quàm dat ſibi ſuffragium. Ad 3. N. *Min*, nam ambitioſus cenſetur ille, qui ſe ipſum nominat, antequam ab aliis fuit nominatus, & qui immediatè, principaliter, ac directè ſe eligit; non verò qui ſolùm conſentit in ſui electionem ab aliis factam, ac illam quaſi perficit, aut acceſſoriè tantùm & indirectè ſe eligit; ſic enim non propriè ortum habet à ſe ipſo, ſed à ſuis Collegis. Ad 4. N. paritatem. Diſparitas eſt, quòd in Scrutinio ſuffragia ſecretò ſint danda, adeóque nullus eligentium ſciat, ſe ab uno vel pluribus jam eſſe electū: in Compromiſſo autem plerumque dentur vota audientibus, ac proin ſcientibus omnibus compromiſſariis. Si autem ſermo ſit de Scrutatoribus, quibus viva voce panduntur à ſingulis vota, iterum acceſſus non habet locum, quia Scrutatores ante alios ſolent, & debe-

berent dare ſuffragia. Qui igitur in Scrutinio ſibi daret ſuffragium, cenſeretur ſe ipſum eligere principaliter, directè, immediatè, & propriè, quod ambitionem ſaperet. Aliter contingere poteſt in Compromiſſo juxta dicta.

Dico 12. Compromiſſum exſpirat 1. per re- 46
vocationem, re adhuc integra factam. 2. per lapſum temporis, à Capitulo vel à Jure præſcripti. 3. per factam electionem, etiamſi hæc non ſortiatur effectum. *c. 30. c. 41. h. t. c. 37. eod. in 6.* Dixi 1. *re adhuc integra*, ſi nempe nondum ad ſubſtantialia compromiſſi proceſſum eſt, ſcilicet nullus tractatus de certa perſona eligenda inchoatus, vel nominatio facta: ſi enim res non ampliùs foret integra, non poſſent revocare compromittentes poteſtatem eligendi jam aliis datam; uti & ſi compromiſerunt in gratiam & favorem compromiſſariorum; quia tunc cenſetur compromiſſum eſſe factum per modum liberalis donationis, quæ revocari, etiam re adhuc integra, non poteſt. Dixi 2. *etiamſi hæc non ſortiatur effectum;* quia pro una ſolùm vice ſolet à Capitulo concedi ipſis electio, & eâ factâ cenſentur illi eſſe functi ſuô officiô. Effectum autem non ſortitur electio. 1. ſi electus eam non acceptet, vel moriatur. 2. ſi poſt acceptationem iterum renuntiet juri ſuo. 3. ſi compromiſſarii non electionem inſtituerunt, ſed poſtulationem, & hæc revocatur ab ipſis, antequam fuerit præſentata Superiori. 4. ſi elegerint indignum, ſive ſcienter, ſive ignoranter. Et in his caſibus jus eligendi redit iterum

ad

ad Capitulum, niſi in caſu ultimo Capitulum ratam habuiſſet electionem indigni; tunc enim devolveretur ad Superiorem, uti & ſi Compromiſſarii non eligant intra tempus à Jure præfixum. *c. 37. & c. 41. citt.*

47 Dico 13. Eligentes (tam per Scrutinium, quàm per Compromiſſum) ſcienter indignum ad Epiſcopatum, præter pœnam privationis juris eligendi pro una vice ſunt etiam ipſo Jure ſuſpenſi per triennium à Beneficiis Eccleſiaſticis, quæ habent in illa Eccleſia, quam offenderunt eligendo ſcienter indignũ. *c. 7. h. t. c. 37. cit.* Dixi 1. *ad Epiſcopatum*; iſte enim ſolus exprimitur in Jure, & ideo, quia conſtitutio hæc eſt pœnalis, non extenditur ad illos quoad ſuſpenſionem, qui indignum eligunt ad Prælaturas vel beneficia inferiora; quamvìs quoad pœnam privationis juris conferendi, inſtituendi, eligendi, & confirmandi ſe extendat ad eos, qui Prælaturam inferiorem, vel alia Beneficia conferunt indigno, in iis inſtituunt, ad ea eligunt, vel confirmant. *arg. c. 44. h. t.* Dixi 2. *pro una vice*, h. e. non pro tota vacatione, ſed pro electione unica primò occurrente; adeóque ſi proxima electio vel proviſio Superioris, ad quem facta eſt devolutio, fortè non ſortiatur effectum, redit jus ad priores electores & proviſores ordinarios. *c. 25. eod.* Id quod etiam intelligendum de privatione juris eligendi, quæ infligi poteſt eligentibus ſine debita forma, juxta *c. 42. cit.*

§. 6.

§. 6.

De Libertate Electionis, & Appellatione ab eadem.

Sc. 1. Electiones debere eſſe ita liberas à vi & metu, ut, ſi extorqueantur gravi metu, ad certam aliquam perſonam eligendam inſtigante, ipſo Jure ſint nullæ. *c. 14. h. t.* quia redundat in gravamen & perniciem Eccleſiaſticæ libertatis, ſi pendeat electio à voluntate alicujus tertii, qui non eſt de electoribus, ſive Laici ſive Eccleſiaſtici, etiam Principis: illa verò electio, ad quam metus impellit non in ordine ad certam perſonam, ſed ad aliquam ex pluribus ab aliquo tertio propoſitis, vel ex certa natione, v. g. Hiſpanica, Germanica, Gallica, &c. eligendam, caſſari mereatur in odium incutientis metum, quia facta non eſt ea libertate, quam Jura requirunt. Quæ ſit pœna eorum, qui eligunt per abuſum ſæcularis poteſtatis, & quid hoc ſit, videatur. *n. 17. 19. 24.* Hic addemus pœnam extorquentium electionem certæ perſonæ. Priùs verò 48

Sc. 2. Omnes, qui ſciunt aliquod impedimentum electi, vel notârunt, formam electionis non ritè eſſe obſervatam, poſſe vel ipſo electionis actu adhuc durante, vel eo finito, contra eam proteſtari, vel appellare ad Superiorem, aut ad ſummum Pontificem. per *c. 22. h. t.* etiamſi jus eligendi non habeant, modò tamen Clerici ſint ejuſdem Eccleſiæ; quia Zelus pro bono Eccleſiæ exigit, imò obligat, ut beneficio appellationis elidatur electio indigni, & malè 49

facta

Digitized by Google

facta electio non ſortiatur effectum. Appellare tamen contra perſonam tanquam indignam non permittuntur illi, qui eidem dederunt ſuffragium, vel conſenſum, niſi impedimentum poſtea primum emerſerit, vel juramento probent, ſe illius notitiam antecedenter non habuiſſe. *c. 8. eod. in 6.* Quid autem obſervare debeant appellantes, breviter declarandum eſt.

50 Dico 1. Quicunque quovis modo injuſtè gravant, vel perſequuntur eos, qui non eligunt certam perſonam, quàm ipſi petunt, excommunicationem ipſo facto incurrunt. *c. 12. h. t. in 6. & ibi gl. V. alios.* Quæ pœna etiam extenditur in eos, qui mandant vexari eligentes, vel exequuntur mandatum, v. g. ſpoliando illos bonis, vel aliter perſequendo non tantùm ipſas perſonas eligentes, ſed etiam earum conſanguineas usque ad 4. gradum. *gl. v. conſanguineos.* Item in illos, qui per vim aut metum gravem injuſtè extorquent certæ perſonæ Confirmationem, Inſtitutionem, Poſtulationem &c. quia hæc lex eſt favorabilis Eccleſiaſticæ libertati; conſequenter, ubi eadem reperitur ratio, eadem intelligitur eſſe Juris diſpoſitio.

51 Dico 2. Appellans contra electionem (vel proviſionem quorumcunque beneficiorum Eccleſiaſticorum) opponendo aliquid vel contra electionis aut proviſionis formam, vel contra ipſam perſonam, debet 1. conficere inſtrumentum publicum, ſcilicet manu Notarii vel alterius perſonæ publicæ factum, in quo exprimat omnia & ſingula, quæ intendit opponere; & ſi-

& ſimul coram perſonis authenticis præſtare juramentum, quòd credat, ea, quæ objicere cogitat, vera eſſe, & ſe probare poſſe (quod juramentum inſeri debet Inſtrumento) aliàs, & ſuper aliis rebus, non audietur, niſi aliquid forſan poſtea emerſerit, vel primùm innotuiſſe ſibi per juramentum probaverit. *c. 4. h. t. in 6.* 2. debet vel per ſe, vel per procuratorem, intra menſem à die interpoſitæ appellationis numerandum, aggredi iter Romanum, ſi appellavit ad Papam, probè inſtructus ad cauſam agendam. Id quod etiam intelligendum eſt de eo, qui ſe defendit contra appellantem. Si autem una pars (ſeu appellans, ſeu defendens) in loco, ad quem appellatum eſt, priùs compareat, exſpectandus eſt per 20. dies alterius adventus: quibus finitis proceditur, ſicut de Jure procedendum eſt, etiamſi necdum advenerit pars altera. *c. 1. eod. in 6.* Si autem appellans probet quidem ſuum intentum, at non plenè, condemnatur alteri parti ad expenſas. Si verò in probatione omnino defecerit, à beneficiis ſuis triennio eſt ſuſpenſus, niſi manifeſtiſſimis documentis conſtiterit, quòd ipſum à calumniæ vitio cauſa probabilis & ſufficiens excusârit. *c. 1. cit.* Ratio autem ſic ſtatuendi fuit, ut via temerè appellantibus fortiùs occluderetur, & ne Eccleſias diutiùs vacare periculosè contingeret ex ejusmodi appellationibus. Vid. de appellatione hac etiam *c. 11. 19. 20. 38. 41. eod. in 6. & Clement. 4. eod.*

§. 7.

De Intimatione Electionis, & Acceptatione ejusdem. Ubi etiam de jure & poteſtate Electi.

52 Sciendum, reſtare adhuc explananda, quæ electionem legitimè factam conſequuntur; quæ ſunt. 1. intimatio electionis facienda electo. 2. acceptatio electionis, ſeu conſenſus electi in eandem. 3. petitio Confirmationis à Superiore, cum qua ſimul Superior diſtinctè, & inſtrumento authentico debitè ſubſcripto & munito, informandus eſt à Capitulo de toto proceſſu electionis, nempe de perſona electi, forma eligendi obſervata, & ſuffragiis electorum. 4. ipſa Confirmatio electi. 5. Conſecratio, vel Benedictio confirmati. De primis duobus iſto, de reliquis punctis agemus ſequentibus §§. quia ſunt neceſſaria ad electionem perfectè conſummandam, totúmque jus electo comparandum. Sunt quidem & alia, quæ electionem ſubſequi ſolent, ea tamen ferè accidentalia ſunt. v. g. 1. dum electus, qui præſens interfuit electioni, eámque acceptavit, proceſſionaliter deducitur in Eccleſiam inter ſonantium campanarum pulſum. 2. dum decantato ibidem ſolenniter hymno Ambroſiano (ſeu *Te Deum laudamus*) collocatur vel in throno Epiſcopali, vel ad cornu Evangelii altaris, & ſic inthronizatur. 3. dum populo de ſuggeſtu publicatur electus &c. Circa quæ oportet attendere conſuetudinem locorum.

53 Dico 1. Electores electione Canonicè peracta

acta quamprimum, & ſaltem intra 8. dies ex eo tempore, quo commodè poſſunt, tenentur eandem electo intimare, & præſentare, ejúſque conſenſum petere. Quod ſi culpabiliter facere neglexerint, ipſo jure amittunt poteſtatem proſequendi electionem quoad ſuas perſonas, atque à beneficiis, quæ obtinent in illa Eccleſia, per triennium eo ipſo ſunt ſuſpenſi, ad quæ ſi intra hoc triennium continuum ſe ingeſſerint, illis ipſo jure privati exiſtunt. c. *16. h.t. in 6. V. cæterùm.*

Dico 2. Electus tenetur intra menſem, ab intimata ſibi electione numerandum, electionem vel acceptare, vel ei renuntiare. Quam ſi intra hoc tempus, ceſſante legitimo impedimento, non acceptet conſentiendo, eo ipſo amittit omne jus per electionem ſibi quæſitum. c. *6. h. t. in 6.* Ratio eſt, ne per diuturnam moram neceſſe ſit Eccleſiam diu vacare, & ſic exponi periculo damni. Dixi 1. *intra menſem*, h. e. intra tot dies, quot habet menſis ille, quo fuit intimata & præſentata electio: proinde ſi jam dies aliqui de illo menſe fluxerint, ſupplédi ſunt ex diebus ſequentis menſis. *arg. c. 2. de ſupplend. negl.* Id quod etiam intelligendum monent DD. de aliis caſibus, in quibus à Jure conceditur unus vel plures menſes. v. g. dum trimeſtre conceditur ad eligendum. Dixi 2. *ab intimata ſibi electione*, ſcilicet jam facta; ſi enim ab illo petatur conſenſus ante electionem, ut patiatur ſe eligi, poteſt quidem conſentire, non tamen directè, ut evitet notam ambitionis, ſed indirectè, v. g. dicendo: non intendo DEI 54

vocationi reſiſtere. Vel: optarem dignus fieri, cui tantum honoris conferatur. Vel: ago gratias, quòd me judicetis dignum tali faſtigio &c. Dixi 3. *vel acceptare;* quia per ſe & abſolutè non eſt obligatio conſentiendi, juxta *regulam Juris 69. ff. invito beneficium non datur;* per accidens tamen obligari poteſt ad conſentiendum, ſi nempe periculum eſſet, ne alius, Eccleſiæ pernicioſus, ſe ingerat, vel ſi charitas id poſtularet propter neceſſitatem vel ingentem utilitatem Eccleſiæ: quo caſu etiam cogi poſſet à Superiore ad acceptandam Prælaturam. Quamvis autem directè conſentire poſſit electus in ſui electionem, & ſubinde etiam debeat, ordinariè tamen decet, ut non protinus conſentiat, ad evitandam ſuſpicionem ambitionis, ſed aliquo modo tergiverſetur; cui tamen tergiverſationi, ex urbanitate vel humilitate procedenti, non ſtatim cedere deberit & acquieſcere electores, niſi appareret, quòd omnino acceptare ſeriò nollet; nam dixi 4. *vel renuntiare*, quod poteſt: ſed & poſt diſſenſum ſemel præſtitum poteſt iterum mutare voluntatem, & electionem per integrum menſem ſemper acceptare, quamdiu electores ad alium eligendum non proceſſerint: & acceptatam ſemper iterum repudiare etiam ſine conſenſu Superioris, quamdiu confirmatio non fuerit ſecuta.

Quæres, intra quod tempus conſenſum in ſui electionem præſtare teneantur Religioſi, ſi eligantur vel poſtulentur ad Eccleſiam Cathedralem, vel Regularem alterius Monaſterii, uti

&

& alii, qui ſubſunt alterius jurisdictioni? ℞. intra menſem pariter, ſed à die dati à Superiore conſensûs numerandum. A Superiore autem conſenſus ſeu licentia honeſtiùs petitur per Electores, quàm per Electum.

Dico 3. Electus, qui laborat impedimentô ff occultô, & Juris Humani tantùm, probabiliter licitè acceptat dignitatem vel Prælaturam, & retinet tamdiu, donec per ſententiam declaretur tanquam inhabilis. Sequitur aſſertio ex dictis *n. 27. & 28.* ac probatur iisdem rationibus & auctoritatibus. Simúlque confirmatur indè, quòd nimis videatur difficilis obligatio, qua quis teneretur vel ſe ipſum diffamare prodendo inhabilitatem & defectum ſuum, vel carere honore & Prælatura ſibi per electionem delata; quæ obligatio tam difficilis non probatur ab Adverſariis, nec ſolet à pia Matre Eccleſia imponi. Extendit ſe aſſertio etiam à fortiori ad caſum, quo electus ſcit, ſe minùs eſſe dignum, quàm ſit alius non electus. Oppones. In *c. 20. h. t.* refertur caſus, quòd aliquis illegitimè natus, poſtquam in Epiſcopum electus eſt, ſuum defectum detexerit: quam confeſſionem laudat Pontifex, & inter cauſas, propter quas diſpenſari cum ipſo potuiſſet, recenſet, dicens: *qui ſponte ac humiliter ſuum maluit confiteri reatum, quàm læſâ conſcientiâ thronum conſcendere Paſtoralem:* ergo, ſi defectum ſuum occultâſſet, & ſine prævia diſpenſatione acceptâſſet electionem, læſiſſet conſcientiam. ℞. ille defectus Natalium, ut ego conjicio, non fuit occultus, cùm quidam ſuffraganei, ut ibi refertur, jam

ſciverint, antequam electus eum confeſſus fuerit; quin imò videtur ipſi fuiſſe objectus iſte defectus, & ab eo antecedenter negatus, quia Pontifex ait, quòd confeſſus ſit reatum: reatus autem ſeu culpa non eſt, natum fuiſſe illegitimè, ſed negare hanc notam jam ſatis notam, & ab aliis objectam, culpa eſt; quod probabiliter fecit iſte electus, ne impediretur à Prælatura; licèt eum poſtea laudabiliter faſſus ſit Archiepiſcopo Cantuarienſi; niſi enim priùs malè negâſſet, non video, quare Pontifex eum dicat manifeſtâſſe *reatum* ſuum.

56 Dico 4. Electus per Electionem acceptatam acquirit quidem jus ad rem, non verò jus in re. Hoc eſt, obligat quidem tum electores, ut ipſo invito non poſſint recedere ab electione, & alium eligere, tum Superiorem, ut det confirmationem, niſi excipere poſſit contra ipſum tanquam indignum. Non verò acquirit quaſi dominium Prælaturæ. Colligitur ex *c. 3. h. t.* & *c. 16. de accuſat.* ubi dicitur, quòd crimen alicui electo objectum ante obtentam confirmationem, atque ſufficienter probatum, *impediat promovendum, ſed non dejiciat jam promotum*: ergo per electionem acceptatam, & ante obtentam confirmationem, non cenſetur aliquis eſſe *promotus*, & Prælatura obtenta, ſeu Jus in Prælatura acquiſitum; licèt acquiſitum ſit jus ad Prælaturam, in qua confirmationem petere poteſt, niſi crimen objectum & probatum eam *impediat*. Confirmatur: Electio acceptata in ordine ad Matrimonium ſpirituale cum Eccleſia habet ſe, ſicut ſe habent Sponſalia de futuro ad Matri-

trimonium Carnale: ſed Sponſalia de futuro tribuunt quidem jus ad rem, non verò jus in re: ergo. Oppones. Jus ad rem, ſeu ad Prælaturam, jam competit electo, antequam electionem acceptet, & jam tunc obligantur electores ejus conſenſum exſpectare, nec eo invito ab electione recedere: ergo per acceptationem actualem acquiritur plus juris: ergo jus in re, ſeu jus reale. ℞. Jus ad rem, quod competit electo ante acceptationem, eſt adhuc valdè imperfectum, per acceptationem verò augetur, & ita perficitur, ut inchoëtur conjugium ſpirituale, quod ante acceptationem non erat, quia aderat quidem conſenſus Eccleſiæ tanquam Sponſæ, per electores expreſſus, non verò conſenſus Sponſi. Igitur jus ad rem patitur aliquam latitudinem, ac ſuſcipit magis & minùs.

Dico 5. Electus etiam poſt acceptatam Electionem regulariter non habet poteſtatem in ſpiritualibus vel temporalibus adminiſtrandi Eccleſiam, quamdiu non eſt confirmatus. Imò ſecundùm *Extrav. 1. inter com. h. t.* neceſſe eſt, ut electus ad Prælaturam, Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectam, litteras Confirmationis obtentæ exhibeat coram Capitulo. Si autem ſe ingereret, etiam ſub titulo œconomi tantùm, vel procuratoris &c. ſive per ſe ſive per alium, in adminiſtrationem, ipſo facto privaretur jure per electionem ſibi quæſito (quamvis requiratur ſententia declaratoria & executio Judicis) & ab ipſo geſta eſſent reſcindenda. *c. 9. c. 17. h. t. c. 5. eod. in 6.* Cenſeretur autem ingerere, ſi reciperet juramenta & homagia, cenſus & de- 57

bita, ſi judicaret, excommunicaret, à cenſuris abſolveret &c. Dixi tamen, *regulariter*; nam in *c. 44. §. cæterùm* ex ſpeciali indulto Pontificis conceditur electis Epiſcopis, multùm diſtantibus Româ, nempe ultra Italiam exiſtentibus, quos inter etiam ſunt Epiſcopi noſtræ Germaniæ, ut Epiſcopatum vel Prælaturam adminiſtrare valeant tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus, excepta tamen alienatione, *ſi in concordia ſint electi*, h. e. per majora & ſaniora, ita ut reliqui non habeant probabilem rationem ſe opponendi. Pirh. *n. 297.* qui verò electi ſunt in diſcordia, vel quibus opponitur defectus vel impedimentum, adminiſtrare non permittuntur ante obtentam Confirmationem (per Jura citt.) utut remotè diſtét à Sede Apoſtolica. Imò obſervant Laym. & Wagnereck, Epiſcopos Germaniæ, etiamſi in concordia ſint electi, plerumque non uti hoc privilegio, ſed adminiſtrationem relinquere vel Capitulo, vel Legato Apoſtolico, ſiquis ibi moretur, vel deputato Oeconomo, uſque dum veniat Confirmatio Româ. Neque hoc indultum, remotioribus Epiſcopis conceſſum, revocatum exiſtimem per *cit. extrav.* quia nulla fit revocationis mentio. Et P. Pirhing. *n. 299.* extendit illud etiam ad inferiores Epiſcopô Prælatos, à Superioribus ſuis, à quibus confirmandi ſunt, valdè remotos.

§. 8.

De Confirmatione Electionis. Ubi etiam de Jure & Poteſtate Confirmati.

58 Sciendum 1. electo neceſſariam omnino eſſe Con-

Confirmationem, ut patet ex *c.3. & 7. h. t.* Neque per conſuetudinem contrariam abrogari poteſt obligatio, eam petendi à Superiore, quia adverſaretur talis conſuetudo hierarchiæ Eccleſiaſticæ. uti DD. paſſim advertunt. Non tamen juxta Laym. improbatur conſuetudo, quæ viget in quibusdam Eccleſiis, ut Decanus à Canonicis electus non indigeat confirmatione Superioris, & per ſuum ſtatim conſenſum acquirat totum jus. Præterea Ordines Mendicantes habent privilegium Apoſtolicũ, vi cujus ipſorum Generales, vel Præpoſiti, Canonicè electi, plenam ſtatim adminiſtrationem absque ulla confirmatione conſequuntur. Sicut autem electus tenetur petere, ita viciſſim Superior tenetur regulariter dare confirmationem. *c.3. cit.* ſi nempe dignus ſit, & niſi confirmatio ſpectet ad ſummum Pontificem; iſte enim, ſi vellet uti plenitudine poteſtatis ſuæ, poſſet ob utilitatem publicam promovere alium, multò digniorem electo, ut indicant *Germaniæ Concordata. §. item placet.*

Sc. 2. Antequam petatur, & detur confirmatio, vocandos eſſe contradicere volentes, & quidem, ſi adſit coëlectus, vel alius aut plures, qui ſe electioni opponunt, nominatim citandos eſſe ad agendam cauſam: ſi verò nullus talis adſit, per generale edictum, valvis Eccleſiæ affixum, peremptoriè omnes, qui electionem impugnare velint, aſſignato ſimul die, quo comparere debeant. Hæc ſi fuerint omiſſa, confirmatio ipſo Jure eſt irrita, etiamſi electio ſit peracta in concordia, & prorſus nemo 59

Digitized by Google

ſe oppoſuerit. *c. fin. h. t. in 6.* Siquis autem poſt præfixum in Edicto terminum, & jam ſecutam Confirmationem compareret animo impugnandi electionem, non ampliùs audiretur, niſi legitimam moræ cauſam, v. g. probabilem ignorantiam, abſentiam &c. conjecturis & juramento probare poſſet. Si tamen non per actionem, vel exceptionem, ſed præcisè per denuntiationem Canonicam intenderet perſonam electi excludere à Prælatura, etiam poſt Confirmationem, imò & Conſecrationem obtentam audiendus eſſet juxta Panorm. & alios, etſi cauſam ſuæ moræ non ſatis probaret.

60 Dico 1. Confirmationem intra tres menſes à conſenſu in electionem numerandos petere debet electus à legitimo Superiore. Quod ſi intra trimeſtre facere omittat, electio viribus vacuatur, & ipſe omni jure per eam quæſito privatur. *c. 6. eod. in 6.* Imò Epiſcopi, & Prælati Regulares, quorum confirmatio ſpectat ad Sedem Apoſtolicam, tenentur perſonaliter venire Romam, vel ſaltem, ſi juſta de cauſa ipſimet adire nequeant, procuratorem idoneum, & de omnibus ſufficienter inſtructum, eò mittere. *c. 44. h. t. & c. 16. eod. in 6.* imò intra unum menſem à dato in electionem conſenſu hoc iter Romanum ſuſcipere. c. *16. cit.* Epiſcopi tamen Germaniæ ſatisfaciunt, ſi totum Electionis, & Examinis (de quo infrà *n. 63.*) de ſe inſtituti proceſſum mittant Romam ſecundùm Bullam *onus Apoſtolicæ* Gregorii XIV. quam allegat Pirh. *n. 319.*

61 Sed quis intelligitur eſſe legitimus Superior, à quo

à quo petenda eſt Confirmatio? ℞. ille, cui immediatè ſubjecta eſt dignitas vel Eccleſia electiva. *c.32. h.t. can.fin. d. 64.* Unde 1. Abbates & Præpoſiti, non exempti, petere debent ab Epiſcopo, & Sede Epiſcopali vacante à Capitulo Cathedrali. *c.14. de Majorit.* quia confirmare electos eſt actus jurisdictionis neceſſariæ, ſicut inſtituere præſentatos. Nec obſtat, quòd confirmatio electionis tribuat jus in re, ſicut collatio libera beneficii, quam collationem Sede vacante facere nequit Capitulum. *c. 2. ne Sede vac.* quia in beneficialibus Capitulum ſuccedit Epiſcopo ſolùm in jurisdictione neceſſaria, non in libera. 2. Abbates, Præpoſiti, Priores, Guardiani, exempti (ſeu immediatè non Epiſcopis, ſed Papæ ſubjecti) & habentes Miniſterium vel Præpoſitũ Generalem, ab iſto Generali ſuo. 3. alii Abbates, Generales, & Epiſcopi exempti, à ſummo Pontifice, vel Legato à latere, ſi talis moretur in Provincia. Sed de Legato à latere, an polleat poteſtate confirmandi Epiſcopos Germaniæ, dubium eſt propter *Concordata Germaniæ*, propter quæ hujus Nationis Epiſcopi electi hodie omnes, ſicut primis temporibus Nicolai I. & Gregorii I. factum legitur, à ſummo Pontifice confirmandi ſunt, licèt aliàs Archiepiſcopis ſubſint, à quibus etiam olim fuerunt per aliquod tempus confirmati, Archiepiſcopi verò à Primatibus.

Dico 2. Superior, antequam confirmet electum, debet diligenter inquirere in electi qualitates, in electionis formam adhibitam, etiamſi con- 62

contra perſonam electi, & proceſſum electionis, nihil opponatur. *c.3. 19. 40. & 44. h.t. Trid. S. 22. c. 2. & S. 24. c. 1. de Ref.* Qualitates autem perſonæ electæ in Epiſcopum intelliget ex teſtimonio Epiſcopum examinantis: electæ autem ad aliam Prælaturam tum ex loco, in quo nata eſt, tum ab iis, qui illi convixerunt. Formam verò & proceſſum in electione obſervatum cognoſcet ex decreto ſeu inſtrumento electionis, quod ab electoribus authenticè formatum, unà cum examine in qualitates perſonæ, accipere oportet. Si ex inquiſitione in perſonam deprehendat Superior, eam eſſe indignam, debet illam repellere: ſi electionis formam advertat non eſſe ritè obſervatam, caſſare electionem. *c. 44. cit.* Quam inquiſitionem ſi omiſerit ex negligentia, & propterea confirmaverit indignum, confirmatio eſt nulla, & confirmatus à Prælatura dejiciendus: ipſe verò confirmans ipſo Jure privatus eſt poteſtate confirmandi primum Succeſſorem tam malè confirmati, ac inſuper à proprii beneficii perceptione ſuſpendendus, quamdiu viſum fuerit Superiori, ſuſpenſionis pœnam infligenti. *d. c. 44.* ſi verò non præcisè *per negligentiam*, ſed per *dolum & malitiam* convictus fuerit indignum confirmâſſe, graviùs, nempe arbitrio Superioris, puniendus erit. *d. c. juncta gl.*

63 Quæres 1. Super quibus qualitatibus perſonæ electæ inſtituendum ſit examen? 2. quo tempore danda à Superiore Confirmatio. 3. quo loco? ℞. ad 1. Juxta *Bull. Greg. XIV. cit.* in Germania noſtra electus in Epiſcopum exami-

minandus eſt ab Epiſcopo vicino, à quo examen ſolet petere, ſuper ſequentibus articulis. 1. an ex legitimo Matrimonio & Catholicis parentibus natus ſit. 2. an compleverit ætatis annum 30. aut, ſi poſtulatus ſit, 27. annum. 3. an ſaltem 6. menſibus ſit conſtitutus in ordine ſacro. 4. an in SS. Theologia aut Jure Canonico Doctor vel Licentiatus, vel ſaltem publico alicujus Academiæ, vel aliorum probatorum & expertorum teſtimonio ad alios docendos idoneus judicatus ſit. 5. an bonæ famæ & vitæ, & in Eccleſiaſticis functionibus verſatus, rebúſque gerendis idoneus. Alii autem Prælati inferiores examinandi ſunt ſuper natalibus pariter, ætate, ordine, honeſtate morum, ſcientia, & aliis qualitatibus, quas requiri ad præficiendos dicemus infrà *tit. 14. de ætate & qualitate &c.* Præter has qualitates, quæ probari debent, ſunt & aliæ neceſſariæ, quæ præſumuntur ineſſe, donec aliquis eas non ineſſe electo probaverit, quæ nimirum ſunt quaſi naturales & intrinſecæ. uti: non eſſe ebrioſum, non excommunicatum &c. ℞. ad 2. quamvis à Jure nullum tempus Superiori definitum ſit ad impertiendam Confirmationem; quia tamen tum Eccleſiæ, tum electi, qui ante obtentam Confirmationem regulariter non permittitur adminiſtrare Prælaturam, intereſt multùm, ne diù differatur, poteſt Superiori, penes quem eſt jus confirmandi, injungi à ſuo Superiore, ut intra certum terminum confirmet electum. *arg. c. 13. de Off. Jud. Ord.* ℞. ad 3. Poteſt confirmare in quolibet loco, etiam
alieni

alieni territorii; cùm Confirmatio, quamvis ſit actus jurisdictionis neceſſariæ, non tamen ſit actus jurisdictionis contentioſæ, ſed voluntariæ. Prohibetur tamen Confirmationem dare in curia aut palatio alicujus Principis Sæcularis. *c. 25. de appellat.*

64 Dico 3. Confirmatus per confirmationem conſequitur 1. jus in re ſeu quaſi-dominium in Prælatura; ita ut ſine conſenſu Superioris renuntiare non ampliùs eidem poſſit; quia conjugium ſpirituale inter ipſum & Eccleſiam fit *ratum* per Confirmationem. 2. poteſtatem plenæ adminiſtrationis & jurisdictionis non modò in temporalibus, ſed etiam ſpiritualibus, iis duntaxat exceptis, quæ majoris inquiſitionis diſcuſſionem exigunt, & miniſterium Conſecrationis deſiderant, ut loquitur *c. 15. h. t.* adeóque actus *Ordinis* Epiſcopalis non poteſt exercere confirmatus ante obtentam Conſecrationem, videlicet conficere ſacrum Chriſma: conferre Sacramenta Confirmationis & Ordinum: degradare Clericos: benedicere Virgines, & ſacra vaſa: conſecrare Eccleſias, & Altaria &c. Nec poteſt ea, quæ Epiſcopo competunt non jure ordinario, ſed ex privilegio tantùm, vel delegatione ſpeciali. 3. acquirit jus petendi inveſtituram, ſeu ſolennem inſtallationem, & corporalem introductionem in poſſeſſionem Prælaturæ. Imò ſi in decreto Confirmationis reperiantur talia verba, quæ denotant, inveſtituram jam eſſe eo ipſo factam, poteſt immediatè etiam per ſe capere poſſeſſionem corporalem: uti etiam, ſi alicubi conſuetudo ſit,

vel

vel ſtatutum, ut ſine ſolenni & corporali introductione poſſeſſionem adeat confirmatus, poteſt illam adire mox poſt obtentam Confirmationem; vel poſt verbalem duntaxat inveſtituram; vel poſt traditionem certi ſigni, v.g. annuli, bireti &c. Nulla inſuper requiritnr inveſtitura, vel inſtallatio ad hoc, ut confirmatus adminiſtrationis & jurisdictionis exercendæ fiat capax, niſi obſtet conſuetudo. 4. titulum *Epiſcopi*, cum addito tamen, *Electi*, & cum titulo privilegium Epiſcoporum, vi cujus juxta *c.4. de ſent. Excom. in 6.* non cenſentur interdicti, vel ſuſpenſi, niſi eorum fiat expreſſa mentio. 5. alia privilegia Epiſcopis conceſſa, v.g. eligendi Confeſſarium. *c. fin. de pœnit. & remiſſ.* Primum membrum conſtat ex *c.1. & ult. de translat. Epiſc.* Secundum ex *c. 15. cit.* Reliqua tria traduntur paſſim à DD.

Quæres, an confirmationis ſit ea vis & effectus, ut ſanet vel ſuppleat defectum alicujus conditionis ad validam electionem requiſitæ? 65
℟. 1. ſi conditio requiratur Jure Naturali vel Divino, uti eſt v. g. uſus rationis, ſexus maſculinus; non ſupplet Confirmatio, etiam obtenta à Pontifice: quia nulla authoritas humana aliquid poteſt contra Jus Naturale & Divinum. ℟. 2. ſi conditio Jure Humano Communi requiratur, ſupplere nequit Confirmatio procedens ab eo, qui eſt inferior Papâ; quia inferior non poteſt relaxare jura & leges Superioris: poteſt tamen Pontifex; quamvis id nunquam cenſeatur facere, niſi ſufficientnr exprimat. Cenſetur autem ſatis exprimere, ſi dicat,

ſe

ſe ex certa ſcientia defectuum, eos ſupplere, niſi ſint defectus *ſpecialem* expreſſionem diſpenſationis exigentes, uti eſt violenta intruſio, inhabilitas perſonæ &c. tunc enim per clauſulam *generalem*, v. g. hanc, *confirmamus ſupplentes omnem defectum ſubſtantialem*, vel per hanc, *confirmamus ex certa ſcientia & per plenitudinem poteſtatis*, non ſuppletur defectus, nec ſanatur electio defectuoſa, niſi ſpecialis mentio fiat intruſionis, vel inhabilitatis. Porro quando ſanatur defectus electionis, per hoc electio, quæ aliquando fuit invalida, non redditur valida, ſed ſolùm conſequitur eundem effectum, ac ſi fuiſſet valida. Oppones. Papa ſubinde confirmat & ſanat electiones, quæ propter defectum poteſtatis eligendi fuerunt irritæ, vel propter defectum numeri ſuffragiorum: ſed poteſtas electiva, & major numerus ſuffragiorum reſpectu totius Capituli eligentis, ſunt conditiones Jure Naturali requiſitæ: ergo. ℞. N. *Maj.* non enim confirmare poteſt, quod de ſe nullum, adeóque nihil eſt, ſed ex plenitudine poteſtatis ſuæ caſſata electione ipſe conſtituit liberè Prælatum Eccleſiæ illum, qui propter dictas cauſas fuit nulliter electus. Neque per hoc agit contra Jus Naturale; quia illud non abſolutè facit aliquos inhabiles ad eligendum, nec abſolutè requirit majorem ſuffragantium partem, ſed conditionatè tantùm, nempe niſi is, cui à Chriſto data eſt generalis poteſtas in omnes Prælaturas & beneficia Eccleſiaſtica, aliud ordinet.

§. 9.

§. 9.

De Conſecratione, & Benedictione Confirmati.

Sciendum 1. Conſecrationem ex *can. 7. d. 23.* 66 *can. ult. d. 51. can. 1. d. 75. c. un. d. Sacr. Unct.* & Communi DD. ſic deſcribi poſſe: eſt impoſitio manuum ſuper caput electi & confirmati Epiſcopi ſub certis verbis, inunctione Chriſmatis, ac aliis ceremoniis, facta à legitimo conſecratore, tanquam Miniſtro. Dicitur 1. *impoſitio manuum*, quæ actio ſola pertinet ad ſubſtantiam Conſecrationis, ut habet verior & propè certa ſententia. Sylv. Gonz. Wieſtner ad tit. de S. Unctione *n. 34.* contra Francum & Sylvium. Conſonare videtur etiam *gl. in can. 7. cit. V. Codicem*, habétque rationem *Materiæ*, ſi Epiſcopatus ſeu Conſecratio Epiſcopalis eſt Ordo Sacramentalis à Presbyteratu diſtinctus, quod videtur mihi ſatis certum. 2. *Electi & Confirmati;* nam Conſecratio ante Confirmationem invalidè confertur. *gl. cit.* 3. *Epiſcopi;* inferiores enim Prælati non conſecrantur, ſed benedicuntur. 4. *ſub certis verbis*, nempe his, *accipe Spiritum S. &c.* quæ vicem *formæ* habent, ſi hæc conſecratio ſit Sacramentum. 5. *inunctione Chriſmatis*, quod infunditur ſuper caput: eſt autem Chriſma ex oleo & balſamo confectum: per oleum ſignificatur nitor conſcientiæ, per odorem verò balſami integritas famæ. 6. *ac aliis ceremoniis*, quæ ſunt hæ: duo Epiſcopi vel Abbates, principali Conſecratori aſſiſtentes, tenent Codicem Evangeliorum ſuper caput &

Digitized by Google

crari poteſt ab uno Epiſcopo, cui aſſiſtunt duo Abbates loco Epiſcoporum, aut alii in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti Presbyteri. Prior pars habetur *can. fin. d. 51.* Poſterior colligitur partim ex *can. 1. Apoſt.* ubi Epiſcopus ordinari jubetur à duobus vel tribus Epiſcopis: numerus ergo ternarius determinatè non eſt de eſſentia Ordinationis ſeu Conſecrationis Epiſcopalis; partim ex ſenſu communi Canoniſtarum contra *gl. in can. 7. cit. V. codicem*, & ex praxi recepta: ut enim alia exempla taceam, S. Pius V. conceſſit Conſecrationem fieri ab uno Epiſcopo, teſte Barb. Diſſentiunt tamen nonnulli non infimæ notæ DD. Probatur autem ulteriùs noſtra ſententia ſolidè argumentô negativô; cùm abſoluta neceſſitas trium Epiſcoporum non ſufficienter probetur ab Adverſariis.

70 Oppones 1. impoſitio mannum, non unius, ſed plurium Epiſcoporum, eſt materia Ordinationis Epiſcopalis, ut colligitur ex 1. *Tim. 4.* ubi S. Paulus docet, Epiſcopos eſſe ordinandos *cum impoſitione manuum Presbyterii*: ergo non unius Presbyteri, ſeu Epiſcopi (nam Epiſcopus & Presbyter idem ſonabant Apoſtolo) ſed Papa non poteſt in materia Sacramentorum diſpenſare: ergo. 2. *In epiſt. Joannis III. Papæ ad Epp. Germ. & Gall. relata in tom. 2. Concc.* ſic legitur: *omnia maxima Concilia affirmant, eum non eſſe Epiſcopum, qui minùs, quàm à tribus Epiſcopis, authoritate etiam Metropolitani, fuerit factus.* 3. In *can. 5. d. 68.* ſic dicitur: *quòd autem Epiſcopi non ſint, qui minùs, quàm à tribus ordinati ſunt Epiſcopis, omnibus patet.* 4. Accedit exemplum Apoſtolorum,

rum, à quibus Eccleſia ordinandi Epiſcopos formam accepit. *can. 2. d. 66.* nam S. Jacobus Minor ordinatus eſt Epiſcopus Jeroſolymitanus à tribus Apoſtolis, Petro, Jacobo, & Joanne, *can. cit.* ℞. ad 1. Impoſitio manuum eſt quidem materia Epiſcopatûs, non tamen facta à tribus, ſed ab uno, uti ſatis clarè inſinuat Ponficale Romanum, mentionem ſemper faciens unius *Conſecratoris* in ſingulari, duos autem reliquos appellans *Aſſiſtentes.* Proin etſi tres Epiſcopi interſint, & cooperentur Conſecrationi, imponendo manus; unicus tamen eſt Conſecrator neceſſarius & principalis, reliquorum autem impoſitio manuum eſt ritus ſolùm accidentalis. Ad 2. fateor, nec authoritate *Metropolitani*, ſeu Archiepiſcopi, poſſe Epiſcopum conſecrari ab uno tantùm Epiſcopo, cùm penes Archiepiſcopum non ſit diſpenſare in Jure Communi: contendo tamen, id authoritate Pontificis fieri poſſe. Ad 3. Ibi reprobantur, & à numero Epiſcoporum excluduntur *Chorepiſcopi*, non quia à tribus Epiſcopis non ordinati ſunt, ſed quia omnino in Epiſcopos ordinati non ſunt, ſed in Sacerdotes tantùm, cum collata tamen poteſtate conferendi minores Ordines, ſicut hodie hujusmodi poteſtas confertur Abbatibus. Ad 4. exemplum Apoſtolorum imprimis non facit legem Divinam, deinde S. Jacobus non eſt ordinatus in Epiſcopum à tribus Coapoſtolis, ſed jam antea à Chriſto cum reliquis Apoſtolis: ſolùm igitur adminiſtrationem certi Epiſcopatûs & loci accepit à Coapoſtolis.

 Dico

Digitized by Google

contra perſonam electi, & proceſſum electionis, nihil opponatur. *c. 3. 19. 40. & 44. h. t. Trid. S. 22. c. 2. & S. 24. c. 1. de Ref.* Qualitates autem perſonæ electæ in Fpiſcopum intelliget ex teſtimonio Epiſcopum examinantis: electæ autem ad aliam Prælaturam tum ex loco, in quo nata eſt, tum ab iis, qui illi convixerunt. Formam verò & proceſſum in electione obſervatum cognoſcet ex decreto ſeu inſtrumento electionis, quod ab electoribus authenticè formatum, unà cum examine in qualitates perſonæ, accipere oportet. Si ex inquiſitione in perſonam deprehendat Superior, eam eſſe indignam, debet illam repellere: ſi electionis formam advertat non eſſe ritè obſervatam, caſſare electionem. *c. 44. cit.* Quam inquiſitionem ſi omiſerit ex negligentia, & propterea confirmaverit indignum, confirmatio eſt nulla, & confirmatus à Prælatura dejiciendus: ipſe verò confirmans ipſo Jure privatus eſt poteſtate confirmandi primum Succeſſorem tam malè confirmati, ac inſuper à proprii beneficii perceptione ſuſpendendus, quamdiu viſum fuerit Superiori, ſuſpenſionis pœnam infligenti. *d. c. 44.* ſi verò non præcisè *per negligentiam*, ſed per *dolum & malitiam* convictus fuerit indignum confirmâſſe, graviùs, nempe arbitrio Superioris, puniendus erit. *d. c. juncta gl.*

63 Quæres 1. Super quibus qualitatibus perſonæ electæ inſtituendum ſit examen? 2. quo tempore danda à Superiore Corfirmatio. 3. quo loco? ℞. ad 1. Juxta *Bull. Greg. XIV. cit.* in Germania noſtra electus in Epiſcopum exami-

minandus eſt ab Epiſcopo vicino, à quo examen ſolet petere, ſuper ſequentibus articulis. 1. an ex legitimo Matrimonio & Catholicis parentibus natus ſit. 2. an compleverit ætatis annum 30. aut, ſi poſtulatus ſit, 27. annum. 3. an ſaltem 6. menſibus ſit conſtitutus in ordine ſacro. 4. an in SS. Theologia aut Jure Canonico Doctor vel Licentiatus, vel ſaltem publico alicujus Academiæ, vel aliorum probatorum & expertorum teſtimonio ad alios docendos idoneus judicatus ſit. 5. an bonæ famæ & vitæ, & in Eccleſiaſticis functionibus verſatus, rebúſque gerendis idoneus. Alii autem Prælati inferiores examinandi ſunt ſuper natalibus pariter, ætate, ordine, honeſtate morum, ſcientia, & aliis qualitatibus, quas requiri ad præficiendos dicemus infrà *tit. 14. de ætate & qualitate &c.* Præter has qualitates, quæ probari debent, ſunt & aliæ neceſſariæ, quæ præſumuntur ineſſe, donec aliquis eas non ineſſe electo probaverit, quæ nimirum ſunt quaſi naturales & intrinſecæ. uti: non eſſe ebrioſum, non excommunicatum &c. ℞. ad 2. quamvis à Jure nullum tempus Superiori deſinitum ſit ad impertiendam Confirmationem; quia tamen tum Eccleſiæ, tum electi, qui ante obtentam Confirmationem regulariter non permittitur adminiſtrare Prælaturam, intereſt multùm, ne diu differatur, poteſt Superiori, penes quem eſt jus confirmandi, injungi à ſuo Superiore, ut intra certum terminum confirmet electum. *arg. c. 13. de Off. Jud. Ord.* ℞. ad 3. Poteſt confirmare in quolibet loco, etiam alieni

alieni territorii; cùm Confirmatio, quamvis ſit actus jurisdictionis neceſſariæ, non tamen ſit actus jurisdictionis contentioſæ, ſed voluntariæ. Prohibetur tamen Confirmationem dare in curia aut palatio alicujus Principis Sæcularis. *c. 25. de appellat.*

64 Dico 3. Confirmatus per confirmationem conſequitur 1. jus in re ſeu quaſi-dominium in Prælatura; ita ut ſine conſenſu Superioris renuntiare non ampliùs eidem poſſit; quia conjugium ſpirituale inter ipſum & Eccleſiam fit *ratum* per Confirmationem. 2. poteſtatem plenæ adminiſtrationis & jurisdictionis non modò in temporalibus, ſed etiam ſpiritualibus, iis duntaxat exceptis, quæ majoris inquiſitionis diſcuſſionem exigunt, & miniſterium Conſecrationis deſiderant, ut loquitur *c. 15. h. t.* adeóque actus *Ordinis* Epiſcopalis non poteſt exercere confirmatus ante obtentam Conſecrationem, videlicet conficere ſacrum Chriſma: conferre Sacramenta Confirmationis & Ordinum: degradare Clericos: benedicere Virgines, & ſacra vaſa: conſecrare Eccleſias, & Altaria &c. Nec poteſt ea, quæ Epiſcopo competunt non jure ordinario, ſed ex privilegio tantùm, vel delegatione ſpeciali. 3. acquirit jus petendi inveſtituram, ſeu ſolennem inſtallationem, & corporalem introductionem in poſſeſſionem Prælaturæ. Imò ſi in decreto Confirmationis reperiantur talia verba, quæ denotant, inveſtituram jam eſſe eo ipſo factam, poteſt immediatè etiam per ſe capere poſſeſſionem corporalem: uti etiam, ſi alicubi conſuetudo ſit,

vel

vel ſtatutum, ut ſine ſolenni & corporali introductione poſſeſſionem adeat confirmatus, poteſt illam adire mox poſt obtentam Confirmationem; vel poſt verbalem duntaxat inveſtituram; vel poſt traditionem certi ſigni, v.g. annuli, bireti &c. Nulla inſuper requiritnr inveſtitura, vel inſtallatio ad hoc, ut confirmatus adminiſtrationis & jurisdictionis exercendæ fiat capax, niſi obſtet conſuetudo. 4. titulum *Epiſcopi*, cum addito tamen, *Electi*, & cum titulo privilegium Epiſcoporum, vi cujus juxta *c.4. de ſent. Excom. in 6.* non cenſentur interdicti, vel ſuſpenſi, niſi eorum fiat expreſſa mentio. 5. alia privilegia Epiſcopis conceſſa, v.g. eligendi Confeſſarium. *c. fin. de pœnit. & remiſſ.* Primum membrum conſtat ex *c.1. & ult. de translat. Epiſc.* Secundum ex *c. 15. cit.* Reliqua tria traduntur paſſim à DD.

Quæres, an confirmationis ſit ea vis & effectus, ut ſanet vel ſuppleat defectum alicujus conditionis ad validam electionem requiſitæ? 65
℞. 1. ſi conditio requiratur Jure Naturali vel Divino, uti eſt v. g. uſus rationis, ſexus maſculinus; non ſupplet Confirmatio, etiam obtenta à Pontifice: quia nulla authoritas humana aliquid poteſt contra Jus Naturale & Divinum. ℞. 2. ſi conditio Jure Humano Communi requiratur, ſupplere nequit Confirmatio procedens ab eo, qui eſt inferior Papâ; quia inferior non poteſt relaxare jura & leges Superioris: poteſt tamen Pontifex; quamvis id nunquam cenſeatur facere, niſi ſufficientnr exprimat. Cenſetur autem ſatis exprimere, ſi dicat,

ſe

ſe ex certa ſcientia defectuum, eos ſupplere, niſi ſint defectus *ſpecialem* expreſſionem diſpenſationis exigentes, uti eſt violenta intruſio, inhabilitas perſonæ &c. tunc enim per clauſulam *generalem*, v. g. hanc, *confirmamus ſupplentes omnem defectum ſubſtantialem*, vel per hanc, *confirmamus ex certa ſcientia & per plenitudinem poteſtatis*, non ſuppletur defectus, nec ſanatur electio defectuoſa, niſi ſpecialis mentio fiat intruſionis, vel inhabilitatis. Porro quando ſanatur defectus electionis, per hoc electio, quæ aliquando fuit invalida, non redditur valida, ſed ſolùm conſequitur eundem effectum, ac ſi fuiſſet valida. Oppones. Papa ſubinde confirmat & ſanat electiones, quæ propter defectum poteſtatis eligendi fuerunt irritæ, vel propter defectum numeri ſuffragiorum: ſed poteſtas electiva, & major numerus ſuffragiorum reſpectu totius Capituli eligentis, ſunt conditiones Jure Naturali requiſitæ: ergo. ℞. N. *Maj.* non enim confirmare poteſt, quod de ſe nullum; adeóque nihil eſt, ſed ex plenitudine poteſtatis ſuæ caſſata electione ipſe conſtituit liberè Prælatum Eccleſiæ illum, qui propter dictas cauſas fuit nulliter electus. Neque per hoc agit contra Jus Naturale; quia illud non abſolutè facit aliquos inhabiles ad eligendum, nec abſolutè requirit majorem ſuffragantium partem, ſed conditionatè tantùm, nempe niſi is, cui à Chriſto data eſt generalis poteſtas in omnes Prælaturas & beneficia Eccleſiaſtica, aliud ordinet:

§. 9.

§. 9.

De Conſecratione, & Benedictione Confirmati.

Sciendum 1. Conſecrationem ex *can. 7. d. 23. can. ult. d. 51. can. 1. d. 75. c. un. d. Sacr. Unct.* & Communi DD. ſic deſcribi poſſe: eſt impoſitio manuum ſuper caput electi & confirmati Epiſcopi ſub certis verbis, inunctione Chriſmatis, ac aliis ceremoniis, facta à legitimo conſecratore, tanquam Miniſtro. Dicitur 1. *impoſitio manuum*, quæ actio ſola pertinet ad ſubſtantiam Conſecrationis, ut habet verior & propè certa ſententia. Sylv. Gonz. Wieſtner ad tit. de S. Unctione *n. 34.* contra Francum & Sylvium. Conſonare videtur etiam *gl. in can. 7. cit. V. Codicem*, habétque rationem *Materiæ*, ſi Epiſcopatus ſeu Conſecratio Epiſcopalis eſt Ordo Sacramentalis à Presbyteratu diſtinctus, quod videtur mihi ſatis certum. 2. *Electi & Confirmati;* nam Conſecratio ante Confirmationem invalidè confertur. *gl. cit.* 3. *Epiſcopi;* inferiores enim Prælati non conſecrantur, ſed benedicuntur. 4. *ſub certis verbis*, nempe his, *accipe Spiritum S. &c.* quæ vicem *formæ* habent, ſi hæc conſecratio ſit Sacramentum. 5. *inunctione Chriſmatis*, quod infunditur ſuper caput: eſt autem Chriſma ex oleo & balſamo confectum: per oleum ſignificatur nitor conſcientiæ, per odorem verò balſami integritas famæ. 6. *ac aliis ceremoniis*, quæ ſunt hæ: duo Epiſcopi vel Abbates, principali Conſecratori aſſiſtentes, tenent Codicem Evangeliorum ſuper caput & cer-

cervicem conſecrandi: fieri debet in illa Eccleſia, ad quam quis promovetur, vel ſaltem in diœceſi: item die dominica, inter Miſſarum ſolennia, & quando cantatur hora *Tertia* in choro, quia Apoſtolis, quibus ſubſtituti ſunt Epiſcopi, horâ diei Dominicæ tertiâ, quæ apud nos reſpondet horæ nonæ, datus eſt Spiritus S. Reliquos ritus videre eſt in Pontificali Romano, & *cit. can.* Huc etiam referri poteſt inquiſitio ante conſecrationem inſtituenda ſuper perſona conſecrandi, & articulatæ promiſſiones de bona adminiſtratione, & Paſtoralis officii executione, quæ ab ipſo exiguntur. 7. *à legitimo Conſecratore, tanquam Miniſtro*: legitimus autem Conſecrator principalis eſt unicus, licèt alii aſſiſtere debeant. Jure hodierno, quo Confirmatio Epiſcoporum & Archiepiſcoporum reſervata eſt Sedi Apoſtolicæ, cenſetur etiam Conſecratio eidem eſſe reſervata: Pontificis proinde eſt, cùm ipſe Conſecrationem per ſe dare nequeat ordinariè, eam Epiſcopis inferioribus ſpecialiter committere, niſi conſuetudo aliud habeat. *gl. fin. in c. 45. h. t.*

67 Sc. 2. Benedictionem, quæ ad ſimilitudinem Conſecrationis inſtituta eſt, & aliquando (minùs tamen propriè) dicitur Conſecratio, impenditúrque aliis Prælatis, Epiſcopo inferioribus, accedere quidem aliquo modo ad Conſecrationem, ab hac tamen differre 1. quòd impoſitio manûs fiat quidem etiam in Benedictione, ea tamen Sacramentalis non ſit, ſed tantùm deprecatoria. 2. quòd in Benedictione non interveniat ſacri Chriſmatis unctio. 3. quòd in

in ea opus non ſit aſſiſtentia duorum Epiſcoporum vel Abbatum. 4. quòd abſolutè neceſſaria non ſit ad executionem officii, ſed ſine ea Prælatus Epiſcopo inferior acquirat poteſtatem ad totum officium exercendum, uti contingit, ſi Epiſcopus, ad quem de Jure ſpectat Benedictionem conferre, tertiò cum humilitate rogatus ſine rationabili cauſa eam impertiri nollet Abbati, aut ſi diu abeſſet. c. 1. *de ſupplend. neglig.* aut ſi per conſuetudinem fuiſſet in aliquo loco abrogata Benedictio. Extra hos autem caſus Abbas, licèt confirmatus ſit, ſine Benedictione priùs obtenta nequit ea exercere, quæ ſunt *Ordinis*, uti benedicere populo ſolenniter: conſecrare ſacra vaſa: conferre ſuis ſubditis Regularibus primam Tonſuram & Minores Ordines. 5. quòd poſſit dari quovis die feſto, imò & non feſto, cùm in Jure nihil reperiatur expreſſum. Reiterari tamen Benedictio non debet (ſicut benedictio Nuptialis in ſecundis nuptiis) ſi Abbas unius Monaſterii eligatur ad aliud: in quo convenit Benedictio cum Conſecratione.

Dico 1. Epiſcopus intra tres menſes ab impetrata Confirmatione numerandos debet ſuſcipere Conſecrationem: quod ſi non fecerit, tenetur reſtituere fructus perceptos, &, ſi intra tres alios menſes ſubſequentes iterum ſuſcipere neglexerit, ipſo Jure privatus eſt Eccleſiâ ſuâ. Trid. *Seſſ. 23. c. 2. de Ref.* 68

Dico 2. Licèt de Jure Communi Epiſcopus à tribus aliis Epiſcopis conſecrandus ſit; probabiliùs tamen ex diſpenſatione Pontificis conſe- 69

crari poteſt ab uno Epiſcopo, cui aſſiſtunt duo Abbates loco Epiſcoporum, aut alii in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti Presbyteri. Prior pars habetur *can. fin. d. 51.* Poſterior colligitur partim ex *can. 1. Apoſt.* ubi Epiſcopus ordinari jubetur à duobus vel tribus Epiſcopis: numerus ergo ternarius determinatè non eſt de eſſentia Ordinationis ſeu Conſecrationis Epiſcopalis; partim ex ſenſu communi Canoniſtarum contra *gl. in can. 7. cit. V. codicem*, & ex praxi recepta: ut enim alia exempla taceam, S. Pius V. conceſſit Conſecrationem fieri ab uno Epiſcopo, teſte Barb. Diſſentiunt tamen nonnulli non infimæ notæ DD. Probatur autem ulteriùs noſtra ſententia ſolidè argumentô negativô; cùm abſoluta neceſſitas trium Epiſcoporum non ſufficienter probetur ab Adverſariis.

70 Oppones 1. impoſitio mannum, non unius, ſed plurium Epiſcoporum, eſt materia Ordinationis Epiſcopalis, ut colligitur ex *1. Tim. 4.* ubi S. Paulus docet, Epiſcopos eſſe ordinandos *cum impoſitione manuum Presbyterii*: ergo non unius Presbyteri, ſeu Epiſcopi (nam Epiſcopus & Presbyter idem ſonabant Apoſtolo) ſed Papa non poteſt in materia Sacramentorum diſpenſare: ergo. 2. *In epiſt. Joannis III. Papæ ad Epp. Germ. & Gall. relata in tom. 2. Concc.* ſic legitur: *omnia maxima Concilia affirmant, eum non eſſe Epiſcopum, qui minùs, quàm à tribus Epiſcopis, authoritate etiam Metropolitani, fuerit factus.* 3. In *can. 5. d. 68.* ſic dicitur: *quòd autem Epiſcopi non ſint, qui minùs, quàm à tribus ordinati ſunt Epiſcopis, omnibus patet.* 4. Accedit exemplum Apoſtolorum,

rum, à quibus Eccleſia ordinandi Epiſcopos formam accepit. *can. 2. d. 66.* nam S. Jacobus Minor ordinatus eſt Epiſcopus Jeroſolymitanus à tribus Apoſtolis, Petro, Jacobo, & Joanne, *can. cit.* ℞. ad 1. Impoſitio manuum eſt quidem materia Epiſcopatûs, non tamen facta à tribus, ſed ab uno, uti ſatis clarè inſinuat Pontificale Romanum, mentionem ſemper faciens unius *Conſecratoris* in ſingulari, duos autem reliquos appellans *Aſſiſtentes.* Proin etſi tres Epiſcopi interſint, & cooperentur Conſecrationi, imponendo manus; unicus tamen eſt Conſecrator neceſſarius & principalis, reliquorum autem impoſitio manuum eſt ritus ſolùm accidentalis. Ad 2. fateor, nec authoritate *Metropolitani*, ſeu Archiepiſcopi, poſſe Epiſcopum conſecrari ab uno tantùm Epiſcopo, cùm penes Archiepiſcopum non ſit diſpenſare in Jure Communi: contendo tamen, id authoritate Pontificis fieri poſſe. Ad 3. Ibi reprobantur, & à numero Epiſcoporum excluduntur *Chorepiſcopi*, non quia à tribus Epiſcopis non ordinati ſunt, ſed quia omnino in Epiſcopos ordinati non ſunt, ſed in Sacerdotes tantùm, cum collata tamen poteſtate conferendi minores Ordines, ſicut hodie hujusmodi poteſtas confertur Abbatibus. Ad 4. exemplum Apoſtolorum imprimis non facit legem Divinam, deinde S. Jacobus non eſt ordinatus in Epiſcopum à tribus Coapoſtolis, ſed jam antea à Chriſto cum reliquis Apoſtolis: ſolùm igitur adminiſtrationem certi Epiſcopatûs & loci accepit à Coapoſtolis.

Digitized by Google

71 Dico 3. Epiſcopus conſecratus per Conſecrationem conſequitur 1. plenitudinem Officii Epiſcopalis (quamvis in Archiepiſcopo opus ſit priùs accipere Pallium) ut etiam ea, quæ Ordinis ſunt, exercere valeat per ſe ipſum. *c. 15. h. t. per ſe ipſum*, inquam, nam confirmatus ſolùm, & nondum conſecratus, ea delegare poteſt alteri Epiſcopo, in ſua diœceſi exercenda, quæ poteſtatem Ordinis concernunt; quia delegare eſt actus *jurisdictionis*, non *Ordinis*. 2. Appellationem *Epiſcopi*, cùm ante Conſecrationem non ſimpliciter dicatur *Epiſcopus*, ſed cum addito, *electus*. per *c. 8. de his, quæ fiunt à Præl.* 3. perficit & quaſi conſummat conjugium Spirituale cum Eccleſia ſua. *c. fin. de transl. Epiſc.* Porro non ante, ſed primùm poſt adeptam Conſecrationem, & poſt illos tres menſes, qui à Confirmatione usque ad Conſecrationem indulgentur electis Epiſcopis, vacare incipiunt beneficia priùs habita. per *c. 7. h. t.* ſed & illorum, quibus per diſpenſationem licitum eſt differre Conſecrationem ultra dictos tres menſes, beneficia vacant ipſo Jure poſt trimeſtre elapſum, ne diſpenſati ſint melioris conditionis, quàm qui obſervant Juris diſpoſitionem.

§. 10.

De Electione Prælatorum, & Præfectarum Regularium, eorúmque Confirmatione & Benedictione.

72 Sciendum 1. Electiones Prælatorum & Præfectarum Regularium regulandas eſſe ſecundùm præcepta Juris Communis huc usque tradi-

dita, niſi aliud exigant Monaſteriorum & Ordinum regulæ, ſtatuta, privilegia, vel conſuetudines particulares, ita ut probabiliùs etiam obſervanda ſit forma, *c. quia propter 42.* præſcripta, licèt non ſemper ita ſcrupuloſè, & quoad omnes apices, ut monet P. Wieſtner *n.222.* modò obſerventur ſubſtantialia. Aliqua tamen in Jure Communi ſpecialiter ſtatuta ſunt pro electionibus Regularium, præſertim Monialium, & quoad ſecretationem ſuffragiorum. Quæ hìc ſpeciatim explicabimus.

Sc. 2. Confirmationem & Benedictionem tum Prælatorum tum Præfectarum Regularium pariter in plerisque convenire cum Confirmatione & Conſecratione Epiſcoporum, exceptis iis, in quibus Benedictionem à Conſecratione diximus diſcrepare. Sic Abbas, vel Præfecta neo-electa, Monaſterii exempti à Papa: Monaſterii autem non exempti ab Epiſcopo petere & obtinere debet Confirmationem ac Benedictionem: illi autem, & maximè Monialium Præfectæ, quæ ſunt ſub jurisdictione Superiorum ſui Ordinis, à Generali, vel Provinciali, vel ab Abbate, cui ſubſunt; & quidem intra unius anni ſpatium à die electionis (ceſſante legitimo impedimento) *Clem. 2. de ſtatu Monach. §. ſtatuimus junct. gl.* Porro Præfectæ Monialium non omnes indigent Benedictione, ſed tantùm perpetuæ (niſi aliud habeat conſuetudo vel ſtatutum Ordinis) non verò temporales, v.g. conſtitutæ ad triennium tantùm. *Conſt. Gregorii XIII. ann. 1585.* 73

Dico 1. De Jure Communi jus eligendi Præ- 74

latum Regularem pertinet ad Collegium ſeu Conventum Religioſorum. *c. 1. h t. can. 2. ſeqq. cauſ. 18. q. 2.* (Idem eſt de Conventu Monialium) Vi tamen particularium Conſtitutionum &c. Superiores Regulares conſtituuntur alio modo: ſic in Societate JESU ſolus Generalis creat Provinciales, & Rectores; in Ordine Minorum, Conventualium, Capucinorum, Auguſtinianorum Mendicantium, & Carmelitarum ſuos Superiores eligunt Diffinitores vel Generales, vel Provinciales. 2. ſed ex Religioſis ſolùm eligere poſſunt illi, qui ſaltem tacitè emiſerunt Profeſſionem. *c. 32. h. t. in 6. §. in Eccleſiis.* 3. & qui Clerici ſunt, nempe in Monaſteriis virorum. *c. cit.* unde Converſi laici jus eligendi non habent, niſi eos admittat vel præſcriptio legitima, vel ſtatuta Ordinis, vel Ordo principaliter ſit inſtitutus ad opera temporalia in bonum Eccleſiæ præſtanda, cujusmodi ſunt Ordines Militares, & Hoſpitalarii. 4. qui Subdiaconi ſunt, ſaltem in Monaſteriis *Canonicorum. Clem. 2. de æt. & qual. Trid. S. 22. c. 4. de Ref.* quæ Jura quamvis videantur loqui tantùm de Canonicis Regularibus, conſuetudo tamen, teſte Miranda, extendit hanc diſpoſitionem etiam ad alios, ita ut in nulla ferè Eccleſia Regulari ad eligendum admittantur, niſi Subdiaconi. Ex prædictis autem ab eligendo repelluntur Religioſi proprietarii, item qui ab Ordine Mendicantium tranſierunt ad Ordinem aliquem non Mendicantium, & qui ex alio capite privati ſunt voce activa.

75 Dico 2. Eligi in Prælatos Regulares de Jure Com-

Digitized by Google

Communi poſſunt omnes & ſoli illi. 1. Qui jam antea emiſerunt Profeſſionem, & quidem expreſſam, ac in eodem Ordine. *c.49. h.t. c.28. eod. in 6. Clem. 1. eod.* quia *in Magiſtrum aſſumi non debet, qui formam diſcipuli non aſſumpſit, nec eſt præficiendus, qui ſubeſſe non novit*, uti loquitur *c. 49. cit. Nec rationi congruit, ut homines diſparis profeſſionis vel habitûs ſimul in iisdem Monaſteriis ſocientur*, ut ait *Clem. cit.* Unde validè eligi nequit Novitius, & qui integrum probationis annum nondum explevit. Trid. *S.25. c. 15. & 21. de Regular.* Nec qui ſimul emittit profeſſionem, & eligitur. *c. 37. & 38. h. t.* nec qui tacitè ſolùm profeſſus eſt, v. g. geſtando habitum Profeſſis proprium, vel exercendo actum Profeſſorum. *c. 49. Trid. c. 21. citt.* Nec Religioſus alieni Ordinis. At ab electione paſſiva non excluditur, qui jam antè fuit Abbas alterius Monaſterii, ſed ejusdem Ordinis. *Clem. cit. & c.27. eod. in 6.* Quamvis autem opus non ſit, ut eligendus jam actu habeat Ordines ſacros, debet tamen jam compleviſſe 24. ætatis annum, & intra annum utilem à die, quo poſſeſſionem Prælaturæ adeptus eſt, vel adipiſci potuit, Sacerdotium ſuſcipere, ut de aliis Beneficiatis Curatis Jura præſcribunt. Quibus tamen omnibus non obſtantibus poteſt ſummus Pontifex ex plenitudine poteſtatis, & ſubinde ſolet, ſaltem extra Germaniam, aliquem non profeſſum, minoris ætatis &c. ex cauſa publica aſſumere in Prælatum Regularium, & Prælaturas, Regularibus aliàs proprias, concedere Clericis Sæcularibus in Commendam, etiam per-

perpetuam: tunc autem tales Commendatarii omnia poſſunt, quæ Prælati intitulati. Fagn. *in c. 27. cit.*

76 Dico 3. Religioſi non-Mendicantes poſſunt eligi (vel potiùs poſtulari) ad Prælaturas etiam ſæculares, & Cathedrali inferiores, ac tali electioni aut poſtulationi conſentire, ſi facta ſit in concordia, & præceſſerit Superioris licentia. Ita colligitur ex *c. 24. ſ. circa & c. 27. h. t. in 6.* Dixi 1. *Non-Mendicantes*; nam Religioſi Ordinum Mendicantium tali electioni aut poſtulationi ad Prælaturam extra ſuum Ordinem, & non Cathedralem, neque cum licentia Superiorum conſentire poſſunt, nec ullum jus indè conſequuntur. *c. 24. cit. & extrav. un. de Poſtulat. inter comm.* Ad Prælaturam verò Cathedralem (ſeu ad Epiſcopatum) tam Sæcularem quàm Regularem eligi valent tam Mendicantes quàm non Mendicantes, & conſentire poſſunt, ſi eligantur in concordia. *c. 24. cit. c. 28. h. t. in 6. Clem. 1. eod.* exceptis Profeſſis Societatis JEſu ob peculiare votum & Conſtitutiones hujus Ordinis. Dixi 2. *ſi facta ſit in concordia*, hoc eſt, ut DD. explicant cum *gl. in c. 3. h.t. in 6. v. ſingulis*, ſi vel omnia eligentium ſuffragia conſpiraverint in Religioſum, vel ſi quidem majora tantùm, nullus tamen ante vel in publicatione electionis &c. contradixerit ſe opponendo: ſi enim electio vel poſtulatio fuiſſet diſcors, neque cum licentia ſui Superioris conſentire poſſet Regioſus, etiam Ordinis non Mendicantis. *c. 24. cit.* Niſi talis Religioſus jam antè fuiſſet factus Cardinalis; tunc enim,

enim, ſi eligatur in Epiſcopum, conſentire poteſt, & jus acquirit, etiamſi in diſcordia ſortiretur Majora; quia jam priùs deſiit ſubeſſe jugo Regulæ Religioſæ. Dixi 3. *& præceſſerit Superioris licentia*; ſine hac enim nec Religioſi non mendicantes conſentire in ſui electionem valent, nec ullum jus acquirere. per *c.24.cit.* Superior autem dare licentiam poteſt, non requiſito priùs conſenſu Capituli. *c. 27. cit.* ubi Jus antiquum videtur correctum; neque aſſumptio Religioſi ad Prælaturam extra Monaſterium vel Ordinem ſuum eſt propriè dicta alienatio, pro qua aliàs requiritur conſenſus Capituli. Per *Superiorem* intelligitur Abbas, Præpoſitus, Prior illius, qui aſſumitur, ac inſuper Epiſcopus, ſi Monaſterium, ex quo aſſumitur juriſdictioni Epiſcopali ſubjectum, & non exemptum ſit.

Dico 4. Eligenda in Abbatiſſam, vel Præfectam Monialium, debet eſſe virgo, ſaltem communiter exiſtimata. 2. legitimè nata. 3. ætatis 40. annos egreſſa. 4. & per 8. annos in eodem Monaſterio laudabiliter verſata. Primum membrum habetur *can. 12. cauſ. 20. q. 1.* Alterum ſumitur à paritate cum Prælatis eligendis. Ratio utriusque eſt, ut major ſit auctoritas Præpoſitæ, & ſplendor dignitatis Eccleſiaſticæ non obfuſcetur. Poteſt tamen probabiliter in utroque defectu diſpenſare Superior, qui electioni præeſt, aut Generalis & Provincialis, cui ſubeſt eligenda. Reliqua duo liquent ex Trid. *S. 25. c. 7. de Regular.* ſic ſtatuente: *Abbatiſſa & Prioriſſa, & quocunque alio* 77

no-

Digitized by Google

nomine Præfecta, vel Præpoſita appelletur, eligatur non minor annis 40. & quæ 8. annis poſt expreſſam Profeſſionem laudabiliter vixerit. Quòdſi his qualitatibus non reperiatur in eodem Monaſterio, ex alio ejusdem Ordinis eligi poſſit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præeſt, videatur; ex iis, quæ in eodem Monaſterio annum 30. exceſſerint, & 5. ſaltem annis poſt Profeſſionem rectè vixerint, Epiſcopo vel alio Superiore conſentiente eligatur.

78 Quæres, an & quænam adhuc ſpecialia habeat electio Abbatiſſarum, & aliarum Præfectarum Monialium? ℞. habet ſequentia. 1. Epiſcopus, vel alius Superior, qui electioni præeſt, non ingrediatur clauſtra Monialium, ſed ante Cancellorum feneſtellam vota ſingularum excipiat. Trid. *loc. cit.* niſi nempe neceſſitatis cauſa, uti declaravit Greg. XIII. in Bulla, *Ubi gratiæ*, v. g. tranquillitatis in electione aliud poſtulet. 2. electa in diſcordia (nempe à majori quidem parte, ſed repugnante minore) etiam ante Confirmationem, tam in ſpiritualibus quàm temporalibus, admittitur ad adminiſtrationem, modò nihil de rebus Monaſterii alienet, & nullam ſuſcipiat in Monialem. 3. non confirmatur electa per diſcordiã, niſi conſequatur duas tertias, ſaltem per acceſſum, qui in electione Monialium permittitur, poſtquam electa jam ſemel obtinuit Majora: non verò ſi ſolùm obtinuit medietatem, & alia etiam medietatem votorum; vel ſi vota fuerunt ita diſperſa, ut non abſolutè reſpectu omnium eligentium, ſed tantùm reſpectivè ad alias coëlectas

ſor-

ſortita ſit Majora; quia tunc electio eſt omnino nulla. per *c. 42. h. t.* niſi acceſſum etiam in his caſibus vel conſuetudo vel conſtitutio Ordinis permittat. 4 caſu quo electa per diſcordiam non acquirit duas tertias etiam per acceſſum, debet Superior, antequam electionem confirmet, vel reprobet, ex officio plenè (de plano tamen & ſine figura judicii) inquirere ſuper iis, quæ objiciuntur electæ, item ſuper electionis forma, ac perſonæ idoneitate. 5. non fit collatio Zeli ad Zelum, meriti ad meritum, ſed ſolùm numeri ſuffragiorum ad numerum. 6. contra electam in diſcordia, etiam poſtquam per acceſſum ſortita eſt duas tertias, jam confirmata, & benedicta, poſſunt Moniales agere per modum denuntiationis, vel etiam accuſationis, ſi velint, ut ab adepta dignitate dejiciatur. Habentur hæc omnia *in c. 43. h. t. in 6. §. Sanè.* Quæ modò diximus de electione Præfectarum Religioſarum, obſervanda etiam ſunt in electionibus Præpoſitarum non-Religioſarum, ſeu illarum, quæ præſunt cœtibus mulierum, Ordinem Religioſum non profeſſarum, uti ſunt Collegia fæminarum Nobilium, & Canoniſſarum ſæcularium, excepta ſola Profeſſione, quæ nec in eligendis, nec in eligentibus requiritur. *c. cit. §. ſupradicta.*

Dico 5. Quamvìs electio Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, Priorum, Provincialium, ac Generalium, & Abbatiſſarum, aliarúmque Præpoſitarum debeat fieri per vota ſecreta, ita ut ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur, juxta Trid. *Seſſ. cit. c. 6.* 79

non

vel ex Juris diſpoſitione, vel ex Conſuetudine ſcire debent) nemini innoteſcat, cui eligentes dent; ſive dein dentur per ſchedas apertas, ſive ſigillatas (in quibus deſcriptum intus ſit nomen eligentis, foris autem nomen electi) ſive per fabas, ſive per lupinos, ſive per ſcriptum ita clauſum, in quo foris nihil, intus verò, mutato nonnihil charactere, nomen electi exprimatur, ita ut nec Scrutatoribus innoteſcat, à quibus proveniant ſingula ſuffragia. De reliquo non tantùm Scrutatores obligantur ad non manifeſtanda vota, & nomina eligentium, ſed etiam ipſimet eligentes, ſub peccato; quia Tridentinum præcepit ſecretam ſuffragationem principaliter ad vitandas fraudes & contentiones, item ad libertatem in eligendo ſtabiliendam: quæ cauſæ etiam pugnant in eligentibus. Deinde Trid. abſolutè voluit, *ut nunquam publicentur eligentium nomina*, abſtrahendo, à quibus publicentur, & quando; num à Scrutatoribus vel eligentibus, an durante electione vel poſt illam. Rigor tamen Tridentini, electionem non ſecretò factam irritantis, non debet extendi ad electiones Sæcularium Prælatorum, quia ibi diſponit de Regularibus. Et quamvis non videatur extendendus ad electiones Prælatorum Regularium, qui ſuas Eccleſias & Monaſteria obtinent in titulum perpetuum, uti Abbates Ordinis S. Benedicti, S. Auguſtini, S. Bernardi &c. quia Trid. expreſsè dicit, *Temporalium* Abbatum, & quia Eccleſiæ *Titulares* Regulares æquiparantur Cathedralibus. c. *41.h.t.* *& ibi gl. v. regularis;* nihilominus probabilius eſt,

eſt, quòd etiam extendatur ad Perpetuos, partim quia ratio Trid. fuit, ut evitentur diſcordiæ & inimicitiæ, quæ etiam in Abbatibus Perpetuis eligendis procedit, partim quia rubrica cit. c. 6. concipitur generalibus verbis, *omnes Superiores (Regulares) eligibiles eligantur collatione ſuffragiorum ſecretorum:* rubrum autem explicat nigrū. Quòd autem in decurſu fiat mentio *Abbatum temporalium*, eſt potiùs ampliatio etiam ad iſtos, quàm reſtrictio. Accedit conſuetudo, optima Juris dubii interpres. Tambur. *de Jur. Abb. to. 1. d. 5. qu. 5.*

§. II.

De Electione ſummi Pontificis.

80 Sciendum 1. cùm Jure Divino nihil determinatum ſit circa modum eligendi Summum Pontificem, in poteſtate & arbitrio Eccleſiæ eſſe certum modum præſcribere & uſurpare. Unde factum, ut diverſis temporibus diverſo modo electi fuerint Pontifices Romani. Initiò poſt tempora Apoſtolorum eligebantur ab univerſo Clero, excluſo populo: poſtea admittebatur aliquando populus, ſed ſolùm ad ferendum de eligendis teſtimonium, vel ad nominandum aliquem, qui dein eligebatur (citra obligationem tamen) à Clero, ut eum populus diligeret magis, & revereretur. Succeſſu temporis jus eligendi vel confirmandi uſurpârunt, & arrogârunt ſibi repetitis vicibus Imperatores; ſed his numquam plus fuit indultum, quàm quòd Clerus electionem à ſe celebratam Imperatori præſentare, ejúsque aſſenſum petere

tere debuerit, ut electio eſſet firmior, & electus acceptior, non quòd ab Imperatorum arbitrio pependerit Pontificis creatio. Poſtquam Cæſares vel à violenta ingeſſione deſtiterunt, vel privilegio, quod ipſis à Sede Apoſtolica conceſſum erat, renuntiârunt, Nicolaus II *can. 1. d. 23.* jus eligendi Pontificem tribuit Cardinalibus, ſed non ſolis; cùm eorum electioni accedere debuerit approbatio Cleri & Populi. Demum Alexander III. *in c. 6. h. t.* tranſtulit ad ſolos Cardinales. Hi jam poſſunt eligere vel per viam Scrutinii, qui modus per ſecretas ſchedulas eſt uſitatiſſimus, vel per Acceſſum, vel per Compromiſſum, vel etiam per quaſi-Inſpirationem.

Sc. 2. Electionem Pontificis multa habere 88 ſpecialia, & ab aliis electionibus diverſa; nam 1. poſt lapſos ab obitu Pontificis decedentis in loco, ubi habet Curiam, 10. dies inchoanda eſt electio à Cardinalibus præſentibus, nec ultra has 10. dies exſpectandi abſentes. 2. nec abſentes ſpecialiter vocantur, cùm præſumatur, mortem Pontificis eos latere non poſſe, & mora in conſtituendo Pontifice ſit Eccleſiæ noxia. 3. nulla cenſura impedit Cardinalem electorem à ferendo ſuffragio. 4. nec eligendo aut electo in Pontificem obſtat excommunicatio vel alia cenſura, ſi eâ eſſet irretitus. 5. electio debet fieri in Conclavi clauſo: ubi ſi intra 3. dies poſt ingreſſum non elegerint Papam, per ſequentes 5 dies vivere debent contenti uno ferculo tam in prandio quàm in cœna: quibus elapſis, & nondum facta electione, ſubmini-

ſtrari pro victu nihil ampliùs debet, quàm panis, vinum, & aqua, donec ſubſequatur proviſio, ſeu electio. 6. Non cenſetur eſſe Canonica electio, niſi in unum conſpirent duæ tertiæ eligentium (ſeu duæ partes, ſi electores dividantur in tres partes) ſi quidem electio fiat per Scrutinium: adeóque non ſufficit majorem & ſaniorem partem conſpirare in unum. 7. ſi pro uno non ſtent duæ tertiæ, tentatur electio per Acceſſum, ut ſequantur duæ tertiæ: ſi hoc modo non obtineantur, receditur pro illo die quaſi re infecta; nam unicum in die Scrutinium admitti ſolet. 8. ſi electio fiat per Compromiſſum, nullus Compromiſſarius poſt Bullam Greg. XV. quæ incipit, *Æterni*. poteſt ſibi ipſi dare ſuffragium. 9. facta electione Papa neo-electus collocatur in throno, ornatur annulo Piſcatoris, nomen, quod velit aſſumere, exquiritur. 10. Si electus antea non fuit Epiſcopus conſecratus, conſecratur à Cardinali Oſtienſi: ſi verò jam ſemel ſuſceperit Conſecrationem ut Epiſcopus, ea omittitur. 11. Non confirmatur propriè ab ullo, cùm ſuam poteſtatem ſupremam & Univerſalem Eccleſiaſticam non accipiat ab aliquo homine, ſed immediatè à Chriſto, nec ullum in terris Superiorem agnoſcat: quamquam Eccleſiæ acceptatio, qua fideles acquieſcunt electioni à Cardinalibus factæ, vocari poſſit quaſi Confirmatio; hæc enim acceptatio eſt quaſi nova, ultimata, & abſoluta electio, firmans priorem. 12. Tandem imponitur electo *Triregnum*, ſeu triplex corona, fortaſſis in

ſignum

ſignum triplicis poteſtatis, quam habet Papa, nempe *Ordinis*, *Juriſdictionis ſupremæ ſpiritualis* in univerſam Eccleſiam, & *Juriſdictionis temporalis* in ſuas ditiones terrenas, quæ ſunt Urbs Romana, Latium, Ager Beneventanus, Comitatus Avenionenſis, Ducatus Ferrarienſis, Marca Anconitana, Umbria cum parte Hetruriæ &c. De ſuperiùs dictis videantur *c. 6.* X. *c. 3. in 6. Clem. 2. h. t. & Conſtitutiones* Clementis VII. Pauli IV. Pii IV. Gregorii XV. Urbani VIII. hac ſuper re editæ.

Dico 1. Quamvis conveniat, ut Cardinales 82
eligant Pontificem ex gremio, ſeu unum ex collegio Cardinalium, ſi reperiatur idoneus; id tamen abſolutè neceſſarium non eſt, ſed poſſunt eligere quemcunque Catholicum etiam laicum, & uxoratum conſentiente uxore, modò habeat ea, quæ requiruntur Jure Naturali & Divino: qualia ſunt, ut ſit mas, ut ſit fidelis, hoc eſt, baptizatus, & non hæreticus notorius. Prior pars colligitur à paritate cum Canonicis, qui ex ſuo Collegio, ſi habeant idoneum, deberent eligere Epiſcopum. Poſterior videtur deciſa *c. 6. cit.* Confirmatur ex praxi: ſic Eugenius III. ex Abbate ſimplici, Cœleſtinus V. ex eremo, cùm nec eſſet in Sacris, fuit vocatus ad Pontificatum, neuter de collegio Cardinalium, ſed uterque extraneus. Oppones. *can. 1. d. 23.* præcipitur, ut pro Romana Eccleſia eligatur unus de ejus gremio. Et in *can. 3. 4. d. 79.* vetatur electio Laici in ſummum Pontificem. ℞. his antiquis Canonibus derogavit *c. 6. cit.*

83 Dico 2. Si Pontifex eligatur contra Canones, certam formam & libertatem electionis requirentes, electus nullum indè acquirit jus, niſi ſequatur acceptatio Univerſalis Eccleſiæ. Ratio eſt clara, quia talis electio eſt nulla, nec eam ſanat, aut defectum tollit conſenſus electi in electionem. Dixi 1. *contra Canones*, h.e. cum defectu conditionis Jure Eccleſiaſtico requiſitæ ad validam electionem. 2. *certam formam, & libertatem electionis requirentes*, puta ſi electio ſit debitô ſuffragiorum numerô deſtituta, aut facta ab iis, qui notoriè carent poteſtate eligendi: ſi ſit Simoniaca, aut gravi metu extorta &c. *can. 9. d. 79. cum Conſtit.* Julii II. *Cùm tam Divino &c.* Si autem defectus non ſit contra ſubſtantiam aut libertatem electionis, ſed extrinſecus, ut ſi electus non ſit legitimè natus, non Clericus, non in Ordine ſacro &c. videtur approbari electio in *c. 6. cit.* ubi præcipitur, ut *ſine ulla exceptione ab Univerſali Eccleſia habeatur Pontifex Romanus*, qui à duabus partibus fuerit electus concorditer. 3. *Niſi ſequatur acceptatio Univerſalis Eccleſiæ*, h. e. niſi vel nemo contradicat electioni factæ, vel tam pauci, ut prudenter dubitari nequeat, quin à reliquis fidelibus omnibus approbanda ſit, & agnoſcendus pro legitimo Pontifice electus. Atque hæc acceptatio, tanquam ultimata & abſoluta electio, ſanat omnes prorſus defectus tum electionis, tum electi, qui ſunt Juris Humani, quamvis ſanare & ſupplere nequeat, qui ſunt Juris Naturalis & Divini. Unde

84 Infertur 1. Summo Pontifici, præcisè à Cardi-

dinalibus adhuc electo poſſe opponi defectus & impedimenta Juris Eccleſiaſtici, quæ tollunt ſubſtantiam & libertatem electionis, non alia. Infertur 2. Pontifici electo à Cardinalibus, & ab Univerſali Eccleſia acceptato, nullum prorſus defectum vel impedimentum Juris Humani tantùm opponi poſſe, adeóque nullam exceptionem. Quia Eccleſia acceptando electum à Cardinalibus ſupplet, quidquid ſupplere poteſt: ſed omnem defectum Juris Humani ſupplere poteſt: ergo. *Juris Humani*, inquam; An verò Pontifici acceptato poſſit opponi impedimentum vel defectus, qui eſt *Juris Naturalis aut Divini*, puta, quòd non ſit mas, non baptizatus, vel quòd ſit notorius hæreticus, pendet potiſſimùm ex illa quæſtione inter Theologos multùm agitata, an ſit *fide Divina credibile, Pontificem, ab Eccleſia acceptatum, eſſe verum Pontificem*, h. e. nullo impedimento Juris Naturalis aut Divini laborantem. Qui affirmant, negabunt, poſſe opponi impedimentū Juris Naturalis aut Divini: ſecus alii, qui negant, id eſſe de fide. Illud eſt certum, quòd Papa, laborans impedimento Juris Naturalis aut Divini, vel non poſſit acceptari ab Univerſali Eccleſia, vel, ſi acceptari poſſit, ſaltem Deus debeat etiam talem putatitium Pontificem reddere *infallibilem*, ſuppoſito, quòd aliquid definiat, vel præcipiat toti Eccleſiæ.

TITULUS VII.

De Translatione Epiſcopi.

SUMMARIUM.

1. *Non ſolùm Epiſcopi, ſed & alii à ſuis Eccle-*

ſiis & beneficiis transferri aliò poſſunt.

2. *Etiam ad Eccleſias minoris dignitatis.*

3. 4. *Ad translationem Epiſcopi, etiam confirmati tantùm, neceſſarius eſt conſenſus Papæ.*

5. *Auctoritate Papæ transferri poſſunt Epiſcopi etiam Conſecrati:*

6. *Inferiores autem Prælati, non-exempti, auctoritate Epiſcopi.*

7. *Neutri tamen inviti & nolentes.*

1 Sciendum, Translationem, quæ tertius eſt modus perveniendi ad Dignitates & Prælaturas Eccleſiaſticas, ex *can. 11. 34. 35. cauſ. 7. q. 1.* ſic definiri poſſe: eſt alicujus perſonæ ab una Eccleſia ad aliam mutatio, facta Superioris authoritate & juſta de cauſa. Duo igitur præcipuè neceſſaria ſunt ad legitimam translationem. 1. conſenſus Superioris. 2. juſta cauſa, nempe neceſſitatis vel utilitatis. *cann. citt.* v. g. ſi Prælatus ob intemperiem aëris, plebis odium, perpetua diſſidia &c. perſeverare nequeat in ſua Eccleſia, vel credatur plus boni præſtaturus in alia. Unde haud dubiè nonnunquã rectè fiunt translationes Prælatorũ, ut docet etiam exemplum D. Petri, volente Domino Antiochiâ ſe transferentis Romam. Quamvis autem *Rubrica* faciat ſolius *Epiſcopi* mentionem, certum tamen eſt tum ex *c. 4. de Poſtulat. & c. 5. de rer. permut.* tum ex conſtanti Eccleſiæ praxi, etiam alios Epiſcopô ſuperiores Prælatos, ut ſunt Archiepiſcopi, Patriarchæ, Cardinales, quin & inferiores, uti Abbates & quoscunque Beneficiatos à ſuis Eccleſiis vel beneficiis ad alia mutari poſſe.

Dico

Dico 1. Quamvis conveniat, ut translatio fiat ad Eccleſiam majorem, vel ſaltem ad parem, abſolutè tamen fieri poteſt ad Eccleſiam minoris etiam dignitatis. Sumitur pars prior ex *c.1. h. t.* poſterior autem ſuadetur negativè, quia non oſtenditur Jus prohibens. Quamquam non facilè ad inferiorem Prælaturam transferri quis velit, v. g. ab Archiepiſcopali ad Epiſcopalem; neque concedatur facilè licentia transeundi; quia ad inferiorem Eccleſiam tranſire volens cenſetur id facere non tam majoris utilitatis & fructus ſpiritualis gratiâ, quàm ſtudio avaritiæ, aut ex alio fine non bono. 2

Dico 2. Epiſcopi, & his ſuperiores Prælati, etiamſi Confirmati tantùm ſint, & nondum Conſecrati, transferri ad aliam Eccleſiam nō poſſunt ſine conſenſu & authoritate Summi Pontificis. *c.2.h.t.* ubi redditur hæc ratio, quòd inter Epiſcopum ejúſque Eccleſiam intercedat conjugium ſpirituale, quod per Electionem cenſetur eſſe *Inchoatum* quaſi per Sponſalia de futuro, per Confirmationem verò *Ratum*, & per Conſecrationem *Conſummatum. c. fin. eod.* Licèt igitur Epiſcopus aliquis fortè confirmari deberet, aut poſſet ab Archiepiſcopo, vel Legato à latere, non tamen hujus vel alterius authoritate ſemel confirmatus transferri ad aliam Eccleſiam poteſt, cùm Matrimonium ſpirituale Ratum non minùs, ac Matrimonium carnale Ratum, indiſſolubile ſit independenter ab auctoritate Papæ, cui ſpecialiter reſervatum eſt hoc vinculum diſſolvere. *c. 1. cit. c. 3.* & 3

4. de Off. Leg. Dixi, *etiamſi confirmati tantùm ſint*; id igitur à fortiori de Conſecratis procedet. Si autem Epiſcopus necdum Confirmatus, ſed ſolùm Electus ſit, opus non eſt auctoritate Pontificis, quia ante Confirmationem Sponſalia tantùm, non verò Matrimonium Ratum, habet cum ſua Eccleſia.

4 Oppones 1. Antequam Epiſcopus conſecretur, Eccleſia, ſi eum amittat, non dicitur *viduata*, per *can. 1. d. 100.* ergo non cenſetur habere ſponſum de præſenti, nec Matrimonium ſpirituale Ratum eſſe, quamdiu Epiſcopus non eſt conſecratus: ergo ad translationem Epiſcopi tantùm confirmati, non opus eſt ſolutione Matrimonii ſpiritualis: ergo neque authoritate Pontificis. 2. Metropolitanus poteſt eum, qui intra 5. menſes poſt obtentam Confirmationem non petit Conſecrationem, compellere, ut cedat Epiſcopatu, in quo jam eſt confirmatus. *can. cit.* ergo hoc ipſo poteſt Archiepiſcopus Matrimonium ſpirituale, etſi per Confirmationem evaſit Ratum, diſſolvere. ℞. ad 1. *N. Ant.* vel Diſt. non dicitur viduata ſimpliciter & quoad omnia. C. ſecundùm quid. *N. A. & Conſ.* Epiſcopus confirmatus, quamvìs nequeat proximè exercere actus Ordinis Epiſcopalis, poteſt tamen exercere actus Jurisdictionis. Si igitur Eccleſia amittat Epiſcopum, præcisè Confirmatum, viduatur propriè quidem, ſed non ſimpliciter & tali ſponſo, qui etiam poterat exercere actus Ordinis: ſicut Adverſarii idem admittere debent in caſu, quo amittit Epiſcopum etiam Conſecratum, ſed inuti-

utilem ad exercendos actus Ordinis Epiſcopalis. Ad 2. *Diſt. Conſ.* ergo poteſt diſſolvere Matrimonium ſpirituale Ratum poteſtate ſpecialiter ſibi conceſſa à Summo Pontifice. *C. Conſ.* independenter ab auctoritate Pontificis: *N. Conſ.*

Dico 3. Epiſcopi, & his ſuperiores Prælati, poſſunt transferri auctoritate Pontificis, etiamſi jam ſint Conſecrati. Conſtat ex praxi & communi DD ſenſu. Oppones. Papa non poteſt diſſolvere Matrimonium carnale conſummatum: ergo neque ſpirituale conſummatum, quale eſt inter Eccleſiam & Epiſcopum Conſecratum *c. fin. cit.* nam Matrimonium ſpirituale eſt fortius carnali, ut loquitur Innoc. III. in *c.2.cit*. Confirmatur: ibidem dicitur, quòd *DEUS ſpirituale conjugium, quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam, ſuo tantùm judicio reſervaverit diſſolvendum.* ℞. *N. Conſ.* Conjugium ſpirituale dicitur fortius carnali, vel quia ratione ſpiritualitatis eſt digniùs carnali: vel quia imprimit characterem indelebilem, adeóque fortiùs operatur: vel quia non poteſt diſſolvi mutuo Epiſcopi & Eccleſiæ conſenſu ſine conſenſu & auctoritate Pontificis; Matrimonium verò carnale conſummatum quoad cohabitationem perpetuò diſſolvi poteſt mutuo conjugum conſenſu, Religionem ingredientium, nec opus eſt ad id auctoritate Papæ. Non verò fortius eſt in hoc ſenſu, quòd nullo alio modo, quàm morte, diſſolvi valeat, cùm certum ſit, Epiſcopatum amitti per Renuntiationem, vel per Depoſitionem. Ad confirmationem ſen-

Digitized by Google

ſus eſt, quòd Papa non diſſolvat Matrimonium ſpirituale per poteſtatem ab hominibus acceptam, ſed ex privilegio ſpeciali ſibi conceſſo, *Math.* 16. & declarato. *c.*2. & 3. *h. t.* cùm ad bonum Eccleſiæ regimen pertineat hoc vinculum ſubinde ſolvere, & utile, imò ſæpe neceſſarium ſit translationes Epiſcoporum facere. *can.* 35. *cit.* Dein licèt transmitteretur, translationes Epiſcoporum eſſe prohibitas Jure Divino, id tamen non abſolutè intelligendum eſſet, ſed ſub conditione, ſi nempe non accedat conſenſus Papæ & juſta cauſa: ſicut Matrimonium carnale Ratum non habet Jure Divino indiſſolubilitatem abſolutam, ſed ſolùm conditionatam, niſi nempe Papa judicet præſtare illud diſſolvi.

6 Dico 4. Abbates & alii Prælati ac Beneficiati Epiſcopis inferiores, & non exempti, poſſunt transferri ſine auctoritate Pontificia; opus tamen habent auctoritate & conſenſu ſuorum immediatorum Superiorum. Prior pars liquet indè, quia nec Jus, nec ratio exigit auctoritatem Pontificis. Poſterior habetur *can.* 8. *cauſ.* 18. *q.* 2. *can.*37. *cauſ.* 7. *q.* 1. Unde Abbas non exemptus debet transferri cum auctoritate Epiſcopi &c.

7 Dico 5. Non poteſt Epiſcopus, vel etiam inferior Beneficiatus, transferri invitus & nolens. Ita communis contra Hoſt. & Jo. Andr. Ratio de *Epiſcopo* eſt, quia per translationem contrahitur Matrimonium ſpirituale cum nova Eccleſia. *can.*39. *cauſ.* 7. *q.* 1. *c.* 2. *cit.* Sed conjugium ſpirituale non contrahitur validè ſine conſenſu ſpon-

ſponſi. *c. 21. de elect.* ſicut Matrimonium carnale. Poteſt tamen Pontifex compellere per Cenſuras ex juſta & publica cauſa Epiſcopum, ut conſentiat in translationem. *per can 35. cit.* Ratio de *Beneficiato inferiore* eſt, quia nemo acquirit quaſi dominium beneficii ſine conſenſu, ſicut ex communi Theologorum ad acquirendum aliarum rerum dominium requiritur voluntas eas habendi ut ſuas.

TITULUS VIII.

De Auctoritate & Uſu Pallii.

SUMMARIUM.

1. *Quid intelligatur per Pallium.*
2. *Confertur à ſolo Papa:*
3. *Solis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & quibusdam Epiſcopis, illud priùs petentibus.*
4. *Tribuit plenitudinem poteſtatis, & Archiepiſcopo nomen Archiepiſcopi.*
5. *Ubi & quando liceat uti Palliô.*
6. *Eſt priùilegium Perſonale.*

SCiendum, aliquos ex illis, qui poſtulantur, eliguntur, aut transferuntur ad Eccleſiaſticas Prælaturas, habere jus *Pallii*, ante cujus conſecutionem non obtinent plenitudinem poteſtatis Officio ſuo annexæ, uti ſunt hodie Archiepiſcopi omnes, & aliqui Epiſcopi: rectè proin ſubjungitur titulus de Auctoritate & Uſu Pallii. De hoc dicemus, à quo & quibus concedatur Pallium, quid Juris & Auctoritatis indè 1

acqui-

Digitized by Google

acquiratur, ubi & quando illo liceat uti. Per *Pallium* autem intelligitur ſingulare & præcipuum eminentiorum Epiſcoporum inſigne & ornamentum, de corpore S. Petri ſumptum, Pontificialis Officii plenitudinem deſignans. Dicitur autem de *Corpore D. Petri ſumptum*; vel quia benedicitur à Papa ſuper Altari S. Petri, vel quia ſignificat quaſi particulam Eccleſiaſticæ poteſtatis, quæ originaliter deſcendit in Epiſcopos à S. Petro, cui & ejus Succeſſoribus, Romanis Pontificibus, in Univerſam Eccleſiam immediatè à Chriſto data eſt ſacra poteſtas Univerſalis. Ejus materia eſt alba ovium lana contexta, & referens formam coronæ ſeu circuli, pectus & humeros circumeuntis, ac quatuor nigris vel rubris crucibus diſtincti, anteriore parte nonnihil dependente. Uſus Pallii eſt antiquiſſimus, & ſaltem in Romanis Pontificibus cum naſcente Eccleſia ortus, imò teſte Ruperto Tuitienſi, S. Petrus Pallium jam miſit S. Materno, Trevirenſium primo Antiſtiti, & Gregorius M. Synagrio Auguſtodunenſium Epiſcopo indulſit, ut ipſe Greg. teſtatur in *Epiſt.* 112, *lib.* 7.

2 Dico 1. Defacto ſolus Pontifex Romanus confert Pallium. Quia ab hac Sede promanat omnis plenitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ, cujus ſignum eſt Pallium. Dixi, *defacto*; nam olim ex privilegio ſuis Suffraganeis illud conferebant quatuor Patriarchæ Majores, nimirum Conſtantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, & Jeroſolymitanus, poſtquam ipſi antè acceperant à Romano Pontifice, præſtito priùs

ùs eidem fidelitatis & obedientiæ juramento. *c. 4. de Elect. c. 23. de privil.* Hodie autem, cùm Sedes iſtæ Patriarchales ſint in manibus Infidelium, etiam amiſerunt privilegium conferendi Pallium; nam Patriarchis harum Eccleſiarum Titularibus tantùm, quos adhuc creat Pontifex, non permittitur conferre Pallium.

Dico 2. Pallium confertur ſolis eminentioribus Epiſcopis; quales ſunt Romanus Pontifex, qui à ſe ipſo illud accipit, utpote Superiorem in terris non habens: Patriarchæ: Primates: Archiepiſcopi omnes; & hi quidem de Jure: ex privilegio autem vel conſuetudine quidam etiam Epiſcopi, nempe Oſtienſis prope Romam, qui conſecrare ſolet Papam, & eſſe Decanus Sacri Collegii Cardinalium: Epiſcopus Papienſis in Longobardia: Lucenſis in Tuſcia: Bambergenſis in Germania: Dolenſis in Gallia: Quinque-Eccleſienſis in Hungaria &c. ſi illud inſtanter petant intra tres menſes à die Conſecrationis (vel Confirmationis, ſi jam ante fuerint conſecrati.) numerandos. *can. 1. & 2. d. 100.* ubi commiſſa ſibi poteſtate & dignitate privatur, qui intra hoc tempus, ceſſante legitimo impedimento, Pallium omittit petere. Debent autem petentes priùs Juramentum fidelitatis præſtare Romanæ Sedi. *can. 4. d. cit.* antequam ipſis conferatur. 3

Dico 3. Archiepiſcopi per pallium conſequuntur 1. appellationem *Archiepiſcopi. c. 3. h. t.* priùs enim, etiamſi confirmatus & conſecratus jam ſit, dicitur quidem *Metropolitanus*, non tamen Archiepiſcopus. 2. Iidem Archiepiſcopi, & alii 4

& alii eminentiores Epiſcopi, obtinent plenitudinem ſuæ poteſtatis. *c. cit.* Ut adeò Archiepiſcopus primùm poſt receptionem Pallii exercere valeat actus Archiepiſcopali Muneri proprios, uti eſt viſitare Provinciam, convocare Concilium Provinciale &c. Item actus *Ordinis Epiſcopalis Majores*, qui inter Miſſarum ſolennia, vel in Pontificalibus ornamentis obiri ſolent, uti ſunt conficere chriſma, dedicare Eccleſias, ordinare Clericos, conſecrare Epiſcopos, benedicere Abbates, & Virgines &c. *c. 28. §. præterea. de Elect.* quia hos actus non cenſetur exercere tanquam ſimplex Epiſcopus, ſed tanquam Archiepiſcopus. *c. cit.* Unde actus *Ordinis Epiſcopalis Minores*, & minùs principales exercere poteſt, uti ſunt benedicere calices, paramenta, cæmeterium &c. qui nempe peragi ſolent extra Miſſam, & cum Stola tantùm; hos enim non ut Archiepiſcopus, ſed ut Epiſcopus exercere cenſetur, ſicut propter eandem rationem actus Ordinis Epiſcopalis Majores obire poteſt extra Provinciam ſuam invitatus ab alio, quia, cùm extra Provinciam uti Pallio nequeat, eos obit, ut ſimplex Epiſcopus, non ut Archiepiſcopus.

5 Dico 4. Inferiores Papâ Archiepiſcopi, & Epiſcopi, jus Pallii habentes, non ubique, nec ſemper, uti eodem licitè poſſunt, ſed tantùm intra Provinciam ſuam, in Eccleſiis, & inter Miſſarum ſolennia, certiſque tantùm diebus, nempe ſolennibus. *c. 1. 4. 5. 6. & fin. h t. can. 6. & 8. d. 100.* Si verò Archiepiſcopus, etiam in feſtis ſolennibus, privatim & ſine Pontificalibus celebra-

lebrare velit Miſſam, poteſt, & non tenetur adhibere Pallium, imò in Miſſa privata ei non licet adhibere. Dixi, *Papâ inferiores*, ſiquidem Pontifici ubique per totam Chriſtianitatem, & quovis die, integrum eſt uti Pallio, ſi velit. c. 4 cit. ibi: *Sanè Romanus ſolus Pontifex in Miſſarum ſolenniis pallio ſemper utitur, & ubique: quoniam aſſumpta eſt in plenitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis, quæ per Pallium ſignificatur. Alii autē eo nec ſemper, nec ubique, ſed in Eccleſia ſua, in qua jurisdictionem Eccleſiaſticam acceperunt, certis debent uti diebus. Quoniam vocati ſunt in partem ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.* Ex quibus verbis etiam eruitur, quòd ſpectato puncto Juris nequeat Archiepiſcopus uti Pallio in loco exempto, in ſua tamen diœceſi vel Provincia ſito, invito Rectore Eccleſiæ exemptæ; quia dicitur uti poſſe in Eccleſiis, *in quibus jurisdictionem Eccleſiaſticam acceperunt*: ſed in loco exempto non habet jurisdictionem, ut fatentur omnes; & locus exemptus æquiparatur loco extra diœceſim vel Provinciam ſito; quamvis enim ſit *in Diœceſi*, non tamen eſt *de Diœceſi*, ut habet commune Brocardicum: ſed extra Diœceſim & Provinciam non poteſt uti Pallio, invitis locorum propriis Rectoribus: ergo. Adde, quòd uſus Pallii non ſit præcisè actus honoris, ſed officii & ſollicitudinis Paſtoralis, quæ ad exemptos ſe non extendit. Nec obſtat, quòd fortè exercere valeat Pontificalia in tali loco; quia non hoc ipſo conceditur uſus Pallii cum privilegio celebrandi in Pontificalibus. per c. 5. *h. t.* Unde, quamvis liceat uti Pontificalibus extra Pro-

Provinciam ſaltem cum licentia Epiſcopi proprii, tamen Pallio uti non licet, etiam cum licentia illius. per c. cit. Plus enim indicat uſus Pallii, quàm uſus Pontificalium, cùm poſterior ſit merus honor, non autem prior. Diſſentiunt Panorm Engel. Wieſtner hic n. 13.

6 Dico 5. Privilegium Pallii eſt perſonale, quamvis reſtrictum ſit ad certum locum. c. 2. h. t. ibi: *cùm Pallium perſonam non tranſeat, ſed quisque cum eo debeat ſepeliri.* Unde Archiepiſcopus non poteſt ſuum Pallium commodare alteri Archiepiſcopo: nec transmittere ad ſucceſſorem: & ſi fortè transferatur ad alium Archiepiſcopatum, debet petere novum. c. *4. de Poſtulat.* nec poteſt uti priore; quamvis illud ſecum transferre debeat, ut in eo ſepeliatur. Quòdſi fortè privaretur ſuo Pallio, v. g. per furtum, incendium &c. actus Ordinis Epiſcopalis majores non exercet licitè, niſi urgeat neceſſitas, vel Eccleſiæ utilitas.

TITULUS IX.

De Renuntiatione.

SUMMARIUM.

1. *Reſignatio quid.*
2. *Alia eſt tacita: alia expreſſa: alia ſimplex; alia conditionalis, in favorem, cum regreſſu &c.*

3. 4. *Reſignare Beneficium quis poſſit. Ubi de Reſignante, qui 20. dies non ſupervivit.*

5. *Quænam Beneficia, & quomodo.*

6. 7. 8. *Reſignatio debet eſſe libera, ac ſpontanea.*

9. Re-

Digitized by Google

9. *Requirit juſtam cauſam.*
10. 11. *Atque legitimi Superioris conſenſum.*
12. 13. *Qui ſolus eſt Pontifex, ſi reſignatio ſit conditionalis, in favorem &c. licèt commendari poſſit certa perſona inferiori Collatori.*
14. *An & quomodo publicari debeat Reſignatio.*

SCiendum 1. Sicut *Renuntiatio*, in genere ſumpta, eſt libera & ſpontanea alicujus juris dimiſſio, ita ſpecificè ſumptam, & huic loco propriè, eſſe liberam ac ſpontaneam dimiſſionem juris, quod quis habet in Prælatura, Dignitate, vel Beneficio Eccleſiaſtico, factam ex juſta cauſa & coram legitimo Superiore eam acceptante. Cùm itaque per Renuntiationem amittantur Prælaturæ & Beneficia Eccleſiaſtica. *c. 3. & 6. h. t.* ac indè præbeatur occaſio, ut conſtitui debeat novus Prælatus vel Beneficiatus, rectè ſubjungitur hæc materia tribus modis perveniendi ad Prælaturas Eccleſiaſticas, huc uſque explicatis. Renuntiatio etiam vocari ſolet reſignatio, ceſſio, abdicatio, remiſſio, repudiatio, & ſi accedat juramentum, ejuratio Beneficii, Prælaturæ &c. 1

Sc. 2 Renuntiationem duplici modo contingere poſſe, tacitè & expreſsè. *Tacita* Prælaturæ vel Beneficii reſignatio fit facto ipſo, aut ex diſpoſitione Juris, voluntatem renuntiandi ex certo actu præſumentis; ſiquis nempe ponat actum, vel aſſumat ſtatum de Jure incompoſſibilem cum Beneficio; ut ſi Beneficiatus in Minoribus conſtitutus contrahat Matrimonium: ſi Beneficiatus alius profiteatur Religionem: & 2

univerſim quotiescunq; aliquidfacit, cui à Jure annexa eſt privatio Beneficii; tacita tamen renuntiatio differt à privatione Beneficii, ipſo Jure inducta, etiam per hoc, quòd actus, per quem aliàs cenſetur renuntiare, vim tacitæ renuntiationis non habeat, ſi Beneficiatus expreſſè proteſtetur, ſe per talem actum nolle renuntiare; in caſu autem privationis, non obſtante hac proteſtatione, vacet Beneficium. De Tacita renunciatione hìc non agimus. *Expreſſa* fit verbis expreſſis; & juxta communem conſuetudinem in ſcriptis oblata ſupplicatione, ut eam Superior admittat ob cauſas in ſupplicatione expreſſas. Hæc iterum duplex eſt, nempe *Simplex* ſeu *Pura*, quando abſolutè, purè, & ſine adjecta conditione, pactione, aut modo reſignatur Beneficium: & *Conditionalis*, quando adjicitur certa conditio, pactum, vel modus. Conditio autem vel modus multiplex apponi poteſt. 1. ut Beneficium dimiſſum conferatur certæ perſonæ; & hæc dicitur eſſe Renuntiatio *in favorem*. 2. Ut ex illo vel reſignanti vel alteri ſolvatur certa penſio annua, aut fructus Beneficiales relinquantur reſignanti; & appellatur *Reſervatio fructuum*. 3. ut alter mihi viciſſim reſignet ſuum Beneficium; & nominatur Reſignatio *ex cauſa Permutationis*. 4. ut renuntians poſſit poſt certum tempus, vel quando voluerit, regredi ad Beneficium dimiſſum: & vocatur *Regreſſus*: ſin verò adepti Beneficii poſſeſſionem nunquam adhuc adiiſſet, & tamen reſignaret ſub conditione, ut præmortuo reſignatario poſſet propria auctoritate adire illius poſſeſſionē,
dice-

diceretur *Ingreſſus;* vel denique *Acceſſus*, ſi v.g. puer, qui nondum eſt capax Beneficii adminiſtrandi, reſignaret Beneficium ea conditione, ut poſt legitimam ætatem illud recuperet & adeat.

Dico 1. Reſignare Dignitatem vel Beneficium regulariter poteſt omnis, qui habet jus in re, renuntiatione non tantùm ſimplici, ſed etiam conditionali, modò caveat Simoniam. Ratio eſt clara; cùm cuilibet permiſſum ſit regulariter renuntiare juri ſuo jam quæſito. per *c. 16. & 23. de Regular.* modò non cedat in præjudicium alterius, vel communitatis, vel hominis privati. Si quis tamen reſignare velit per Procuratorem, ad id ipſi dare debet mandatum ſpeciale. Et ſi mandans revocet mandatum, hæc tamen revocatio non intimetur Procuratori ante Reſignationem, iſta valebit. *Clem. un. h.t.* Non obſtante, quòd Matrimonium non valeat revocato mandato & conſenſu, etiam nondum intimato Procuratori, dum iſte loco alterius contraxit, ſcilicet ob favorem libertatis Matrimonialis. *c. fin. de Procurat. in 6.* Dixi, *regulariter;* nam 3

Excipitur 1. Beneficiatus in Ordinibus Majoribus conſtitutus, ſi non habeat, unde poſtea ſuſtentetur. Bulla Pii V. *Quanta Eccleſiæ*, edit. an. 1568. 1. Apr. 2. Beneficiatus quoad illud Beneficium, ad cujus titulum eſt ordinatus, niſi facta mentione, quòd ad illud ordinatus ſit. Trid. *Seſſ. 21. c. 2. de Ref.* etiamſi aliunde habeat ſuſtentationem congruam. 3. qui jam privatus eſt priùs Beneficio per ſententiam Judicis; quia 4

Digitized by Google

renuntiatio eſt dimiſſio Beneficii proprii, & juris, quod quis habet in Beneficio. 4. qui vel propter Profeſſionem Religioſam, vel propter crimen, vel propter aſſecutionem alterius Beneficii incompatibilis &c. ipſo Jure privatus eſt beneficio, propter eandem rationem. Diſſentit Azor cum aliis, qui dicunt, ante ſententiã declaratoriam criminis non amitti titulum & proprietatem Beneficii: id ſaltem verum eſt, quòd nemo teneatur dimittere poſſeſſionem Beneficii ante ſententiam omnem. 5. Novitius, qui renuntiat ante duos ultimos menſes Novitiatûs, Profeſſione non ſecuta. per Trid. *S. 25. c. 16. de Regular.* ne ſcilicet minuatur libertas recedendi à Religione, & Profeſſio extorqueatur metu defuturæ ſuſtentationis. Diſſentit Garc. Barb. & Palao. *6.* Clericus impubes ſine authoritate Tutoris & decreto Superioris. *arg. c. 2. de ætat. & qualit. c. fin. de Judic. in 6.* Aliud eſt de Clerico Minorenni, h.e. 25. annos nondum egreſſo; quia iſte, ſi pubes ſit, in cauſis ſpiritualibus & beneficialibus habetur pro Majorenni. *c. fin. cit.* Si tamen indè graviter eſſet læſus, reſtitui in integrum deberet; cùm favor, quo habetur pro majorenni, ipſi nocere non debeat. 7. qui poſt factam renuntiationem non ſupervivit 20. dies. juxta *Reg. 18. Cancellar.* quæ vocatur *Regula de viginti.* Proin reſignatio, quæ fit ab infirmo (vel etiam ſano, ut praxis Romanæ Curiæ, imò verba regulæ nunc adjici ſolita declarant) invalida eſt, ſi Reſignans intra 20. dies moriatur, intellige morte naturali: ne nimirum Beneficia videan-

dean-

Digitized by Google

deantur ab uno ad alterum tranſire per viam hæreditariæ ſucceſſionis, quam SS. Canones deteſtantur. *c. 7. c. 11. de fil. Presbyt.* ſed P. Engel *de præb. n. 30.* putat, reſignationem ejus, qui ſanus adhuc reſignavit, licèt intra 20. dies moriatur, valere. Dies autem iſti incipiunt currere à die præſtiti à reſignante conſensûs coram legitimo Superiore, reſignationem acceptante; & debent eſſe completi: nec ſufficit, diem vigeſimum eſſe ſolummodo inchoatum; partim quia Regula dicit, ſi Reſignans deceſſerit *intra* 20. dies: ſed qui decedit die vigeſimo nondum expleto, decedit *intra* 20. dies: ergo: partim quia aliàs illa Regula ad 18. dies & aliquot horas reſtringi poſſet; nam ſicut vigeſimus inchoatus haberetur pro completo, ita primus haberi poſſet pro completo, etiamſi ultimâ horâ fuiſſet facta renuntiatio. Cœterùm probabile eſt diem illum, quo præſtitus eſt à Reſignante conſenſus, non venire in computum, ſed computationem dierum incipere primùm à media nocte, reſignationem ſequente. vid. Leuren. *p. 3. q. 344.*

Oppones 1. ſi quilibet poteſt renuntiare 5
Dignitati & Beneficio ſuo, etiam Papa poterit renuntiare Papatui, & Epiſcopi ſuis Eccleſiis; ſed utrumque eſt falſum; nam reſignatio debet fieri in manibus Superioris, Papa autem Superiorem non habet: & Epiſcopi Matrimonio Spirituali cum ſuis Eccleſiis ligantur, quod ipſi nequeunt diſſolvere juxta dicta ad *tit. 7. de transl. epiſc.* ergo. 2. ſi quilibet poteſt reſignare beneficium renuntiatione *conditionali*, tunc po-

poterunt reſignare in favorem certæ perſonæ, vel ex cauſa permutationis, qui habent beneficium Patronatum: vel Electivum: vel Reſervatum ſummo Pontifici: vel Litigioſum: atqui hoc eſt falſum, quia cedit in præjudicium Patroni, Electorum, Summi Pontificis, & *c. 2. ut lit. pend. in 6.* expreſsè prohibetur reſignatio beneficii litigioſi in favorem alterius, quàm collitigantis: ergo. 3. *In l. 5. ff. qui Teſtam. fac. poſſ.* validum aſſeritur Teſtamentum illius, qui pridie, quàm complêſſet annos pubertatis, ſcilicet annum 14. ætatis, faceret illud poſt ſextam noctis horam: quia *complêſſe videtur annum quartum decimum. l. cit.* Ergo etiam reſignatio illius erit valida, qui poſt eam factam obiit 20. die nondum expleta; quia ultima dies habetur pro completa juxta *l. cit.* licèt completa phyſicè non ſit. ℞. ad 1. *N. Min.* Quòd reſignatio debeat fieri in manibus Superioris, eſt juris tantùm Eccleſiaſtici, in quo Papa poteſt diſpenſare. Vel dic, renuntiationem, qua ſe Papa abdicat Papatu, uti fecit S. Cæleſtinus V. & fieri poſſe, apertè decîditur *c. 1. h. t. in 6.* acceptari à Chriſto; ſicut immediatè à Chriſto, non ab Eligentibus, ſuam ſupremam & univerſalem poteſtatem accipit Papa. Epiſcopi ad renuntiandum indigent conſenſu Pontificis, qui ſolvere poteſt eorum Matrimonium Spirituale. Ad 2. *Diſt. Ma.* poterunt reſignare in favorem &c. cum conſenſu Patroni, Eligentium, Pontificis, & in favorem collitigantis. *C. Ma.* aliter. *N. Ma.* Ad 3. *N. Conſ.* Dies inchoata habetur pro completa, quando tempus

pus deſignatur per annos, uti in *d. l. 5.* contingit: non verò quando per dies, uti in *regula de viginti.* Dein hæc regula eſt Eccleſiæ favorabilis: ſed magis favetur Eccleſiæ, ſi ſtrictè expleri debeat ultima dies; quia ſic magis removetur ſpecies hæreditariæ ſucceſſionis in beneficiis.

Dico 2. Reſignatio debet eſſe libera. Ratio, 6
quia eſt actus humanus, qui neceſſariò eſt liber. Et ſicut res aliæ non amittuntur ſine propria & libera voluntate, aut Superioris auctoritate, ita nec Beneficia Eccleſiaſtica. Unde reſignatio fraude vel dolo, circa ſubſtantiam verſante, extorta non valet; cùm deceptio tollat libertatem & conſenſum, ſicut error circa ſubſtantiam rei; nam errantis nullus eſt conſenſus. *l. 15. ff. de Jurisdict.* Si verò dolus non ſubſtantiam reſignationis, ſed ſolùm circumſtantias afficiat, ea quidem de Jure ſubſiſtit, cùm quoad ſubſtantiam ſit libera; reſcindenda tamen eſt per Judicem; quia fraus & dolus nemini prodeſſe & patrocinari debent. *l. 30. C. de Transact.* & talis fraudulentus in beneficium ingreſſus eſſet vitioſus, quem abhorrent SS. Canones. *c. un. de eo, qui mittit. in poſſeſſ. in 6.*

Dico 3. Reſignatio debet eſſe ſpontanea, h. 7
e. non extorta metu gravi & injuſto. *c. 3. 4. de his, quæ vi. & c. 5. h. t.* quia quæ vi metùsve causâ fiunt, *carere debent robore firmitatis. c. 4. cit.* Si quæras, an reſignatio, metu extorta, ſit ipſo Jure nulla, vel tantùm reſcindibilis auctoritate Judicis: reſpono cum Panorm. *in c. 3. de his, quæ vi. n. 2.* & communiori contra Hoſtienſ.

 in

in *cit. c.* Gonzal. & Pontium, eam ipſo Jure valere quidem; quia metus non tollit, ſed tantùm minuit libertatem, conſequenter Jure Naturali non eſt invalida; ex Jure autem Poſitivo non ſatis probatur nullitas: eſſe tamen reſcindendam; quia hoc ſaltem probant allegata Jura. Excipe caſum, quo renuntians à perſonis ſæcularibus captus, vel detentus, atque ſic ad renuntiandum compulſus eſt; hæc enim renuntiatio *nullius omnino eſſe firmitatis* pronuntiatur *Clem.2. §. ſanè de Pœnis*, adeóque ipſo Jure nulla eſt. Oppones: Electio vi vel metu facta ipſo Jure eſt nulla. *c. 43. de Elect.* Ergo & renuntiatio. ℞. *N. Conſ.* quia de Electione id clarè reperitur expreſſum in Jure, non de Renuntiatione. Vid. Leuren. *p.3. q. 703.*

8 Quæres, an ergo Epiſcopus, vel alius Beneficiatus nunquam poſſit aut debeat cogi à legitimo Superiore ad reſignandum? ℞. 1. poteſt cogi ex certis cauſis. 1. ſi laboret irregularitate, præſertim indiſpenſabili, ſeu in qua diſpenſari ordinariè non ſolet, qualis apud Epiſcopos eſt, quæ oritur ex bigamia, ex procreatione ex damnato coitu, ex homicidio voluntario & notorio. 2. ſi reus ſit criminis, propter quod privari poteſt Prælaturâ vel Beneficiô ſuô; qualia crimina ſunt omnia, quæ ſecum trahunt infamiam. 3. ſiquis, poſtquam licentiam reſignandi petiit & obtinuit à Superiore, iterum reſilire cupit. *c. 12. h.t.* ne ſcilicet Superiori illudatur. Aliud eſſet, ſi petiiſſet quidem, non tamen obtinuiſſet licentiam. De reliquo propter ſenium & infirmitatem nemo

facilè

Digitized by Google

facilè invitus ad renuntiandum adigi debet propter *c. 1. eod.* ℞. 2. Etiam debet cogi, caſu quo ſcandalum puſillorum alio modo tolli nequit, ſicut ipſe Epiſcopus vel Beneficiatus tali caſu tenetur renuntiare; quia lex Charitatis obligat, ut vitetur ſcandalum puſillorum, ſi ſine peccato & ſalutis periculo vitari poteſt.

Dico 4. Reſignatio, ſaltem ut licitè fiat, requirit juſtam cauſam. Sumitur ex *Bulla Pii V. cit.* & *c. 10. h. t.* Ratio datur hæc, quia renuntiatio beneficiorum, quæ ob utilitatem Eccleſiæ permittitur, non debet pendére à cujusvis arbitrio, & permitti ſine juſta cauſa; aliàs enim cederet in detrimentum Eccleſiæ. Reſpectu Epiſcoporum reſignare volentium in *c. 10. cit.* recenſentur ſex cauſæ. 1. *conſcientia criminis*, non tamen cujuslibet, ſed quod impedit executionem Officii, etiam poſt peractam pœnitentiam, uti eſt Simonia, & quodcunque infamiam ipſo Jure inducens. 2. *debilitas corporis*, quæ nimirum tanta eſt, ut Epiſcopus per eam reddatur impotens ad exequendum Officium Paſtorale. 3. *defectus ſcientiæ*, quando nimirum neſcit ea, quæ ad Officium & regimen Eccleſiæ ſunt neceſſaria. 4. *malitia plebis*, irrevocabiliter (h. e. ſine emendationis ſpe) ſe ſe opponentis ſuo Præſuli. 5. *grave ſcandalum populi*, ſcilicet non Phariſaicum, & ex malitia populi ortum, quod non tenemur cavere, ſed puſillorum, ſeu ex ignorantia & infirmitate profectum; quo caſu diximus etiam eſſe obligationem reſignandi. 6. *irregularitas Præſulis*, in qua diſpenſari ſolet, uti eſt defectus natalium, præ- 9

Digitized by Google

ſertim occultus. Extra has cauſas fortè non ſufficiunt aliæ, ut permittantur Epiſcopi reſignare, quia *c. cit. §. verùm* ait: *ſi propter alias cauſas ceſſionem affectes, non eſt in hoc tibi poſtulanti favendum.* Sic per ſe neque ingreſſus in Religionem eſt ſufficiens cauſa, niſi nempe Epiſcopus aliàs verſaretur in periculo propriæ ſalutis propinquo, vel videret, alium fore Eccleſiæ utiliorem. per *c. cit. §. ne putes.* & *c. 18. de Regular.* Etiamſi Religionis ingreſſum voviſſet. Si tamen votum Religionis ediđiſſet ante ſuſceptum Epiſcopatum, votum deberet implere. *c. 10. de Voto.* Reſpectu inferiorum Beneficiatorum ſufficiunt cauſæ minores, & præſertim in reſignatione beneficiorum ſimplicium. eas recenſet Pius V. in *Bull. cit.* & ſunt ſenium, morbus, vitium corporis, publica relegatio &c. Quamvis autem Bulla velit, ut propter alias cauſas ibi non expreſſas non permittatur reſignatio, tamen quoad hoc, teſte Zypæo, in Germania non eſt recepta, uti & quoad prohibitionem, ne Epiſcopi vel alii Collatores reſignata beneficia conferant ſuis, aut reſignantis, conſanguineis, affinibus, vel familiaribus, ut teſtantur DD. Non requiri in Germania graves cauſas ad reſignandum liberè, teſtatur conſuetudo & praxis.

10 Dico 5. Reſignatio beneficii regulariter requirit conſenſum legitimi Superioris Eccleſiaſtici. Seu fieri debet in manibus Superioris. *c. 4.* & *8. h. t.* contraria autem conſuetudo tanquam corruptela reprobatur *c. 7. de conſuet.* Ratio petitur ex *c. 1. de R. J.* quia res, per quaſ-

cun-

cunque cauſas naſcitur, per easdem etiam diſſolvitur: ſed legitimi Superioris Eccleſiaſtici auctoritate, non propriâ, obtineri debent beneficia Eccleſiaſtica: ergo ejusdem & non propriâ, auctoritate etiam dimitti debent. Dixi 1. *beneficii*, in quo nempe aliquis habet jus in re, ac certum; non enim opus eſt conſenſu Superioris, ut quis dimittat jus ad rem, ex electione, præſentatione &c. acquiſitum, antequam conſecutus fuerit Confirmationem, aut Inſtitutionem; neque opus eſt ad dimittendum beneficium, ſuper quo ipſi mota eſt lis, etiam poſt obtentam Inſtitutionem. 2. *regulariter;* nam ſiquis dimittere velit beneficium quodcunque, Epiſcopatu inferius, ex cauſa Religionis ingrediendæ, non opus habet Superioris conſenſu. *c. 18. cit.* quamvis eum petere deceat. 3. *Legitimi*, aliàs reſignatio non tenet. *c. 8. cit.* atque Superior legitimus, ſi ratam habere nolit renuntiationem coram alio factam, poteſt reſignantem compellere ad beneficium reaſſumendum; quamvis ipſe reſignans amiſerit jus repetendi beneficium dimiſſum; adeóque ex parte reſignantis valida ſit, ſed ſine præjudicio Superioris legitimi. per *l. 74. ff. de R. J.* ibi: *non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.* Sed quis cenſetur eſſe Superior legitimus? R. &

Dico 6. Reſignatio *ſimplex* ſeu *pura* fieri poteſt coram omni & ſolo illo Superiore, penes quem eſt poteſtas inſtituendi ſimul & deſtituendi, h. e. qui non ſolùm poteſt conferre Beneficia, ſed etiam auferre, non tantùm inſtituere 11

præ-

præſentatos, ſed etiam deponere inſtitutos. Ita plerique; quia renuntiatio habet vim deſtitutionis ſeu depoſitionis, per quam amittitur beneficium. Unde Vicarius Generalis ſine ſpeciali mandato ac licentia Epiſcopi non poteſt admittere reſignationes puras; quia non poteſt amovere Clericum à beneficio. *c. 2. de Off. Vicar. in 6.* Id tamen poteſt Capitulum Sede vacante, etiam admittendo reſignationes beneficiorum Summo Pontifici reſervatorum (exceptis beneficiis Pontificalibus, & Prælaturis Regularibus immediatè Summo Pontifici ſubjectis) ſicut id poteſt Epiſcopus; cùm in hujus jurisdictionem ordinariam ſuccedat, quamvis hæc beneficia reſervata conferre nequeant.

12 Dico 7. Reſignatio *conditionalis*, nempe *in favorem*, cum reſervatione *penſionis*, cum reſervatione *regreſſûs, ingreſſûs, acceſſûs*, ſpectato Jure Communi, non coram Epiſcopo, ſed coram ſolo Pontifice fieri poteſt (licèt reſignatio *ex cauſa Permutationis* fieri poſſit coram illo, qui poteſt admittere reſignationes puras, juxta *c. un. de rer. permut. in 6. & Clem. un. eod.*) Ita communis Ratio, quia Jus Commune, quod ſolus Papa, & non inferior, immutare poteſt, prohibet illas reſignationes, & quidem ſub reſervatione penſionis & fructuum, per *c. 8. de Præb. & c. un. ut benef. Eccleſ. ſine diminut.* ad quem *titulum* dicemus, qualiter Epiſcopis liceat imponere penſiones beneficiis: ſub reſervatione regreſſûs &c. autem prohibet in Trid. *Seſſ. 25. c. 7. de Ref.* ac in Bulla Pii V. quæ incipit, *Romani Pontificis*, edita an. 1571. Demum reſignationes

in

in favorem *c. 1. de conceſ.* ubi prohibetur collatio beneficii de novo, antequam vacet: ſed beneficium, quod reſignatur in favorem, nondum vacat, quia reſignatur ſub conditione, *ſi conferatur certæ perſonæ*, ut habet communis; nam ſi beneficium fortè ex aliqua cauſa non conſequatur reſignatarius, jus illius remanet penes reſignantem, ut ex communi & Rotæ deciſionibus docet Flamin. *lib. 1. q. 3. n. 47.* Sed hæc conditio nondum eſt impleta, quando fit renuntiatio: ergo. Si contendas, reſignantem *in favorem* non reſignare conditionaliè, ſed *ſub modo*, nempe ut conferatur beneficium huic certæ perſonæ; vel ſub hac conditione, *ſi velit* collator conferre huic perſonæ, quæ conditio jam poteſt eſſe impleta, quando admittitur reſignatio, & fit collatio. Repono, hujusmodi pactiones, quibus imponitur obligatio in ordine ad beneficia Eccleſiaſtica, generaliter prohiberi. *c. 4. 6. fin. de Pactis.* Accedit, quòd reſignationes in favorem habeant ſpeciem hæreditariæ ſucceſſionis, quam SS. Canones deteſtantur *can. ſi ergo. 8. q. 1. c. 1. de Præb.* dum paſſim ſuos ſibi conſanguineos ſubſtituerent Beneficiati, niſi prohibitæ forent hujusmodi reſignationes. Adde praxim & ſtylum Curiæ Romanæ. Wieſtner *n. 63.* Diſſentit Covar. Sot. & alii apud Leuren.

Quæres, an Epiſcopus ſaltem poſſit reſigna- 13
tionem, à reſignante factam in favorem, admittere ſimplicitèr & rejecta conditione? ℞. cum communiore & probabiliore, quòd non; quia reſignans ſub conditione, ut conferatur cer-

Digitized by Google

certæ perſonæ, non intendit dimittere beneficium, niſi impleatur conditio: ergo inferior Papâ, cùm non poſſit implere conditionem, neque poteſt admittere reſignationem cum tali conditione. Et regulariter actus, qui fit per modum unius individui cum aliqua qualitate & adjectione, non poteſt acceptari quoad unam partem, ac rejici quoad alteram. per *l. 55. ff. de condit. & demonſtr.* Interim reſignans coram Epiſcopo poteſt illi certam perſonam pro ſucceſſore commendare. Covar. *variar. l. 1. c. 5. n. 5.* Barb. alii; quia talis commendatio nec cauſa movens eſt, multò minùs pactum, ſed ſolùm preces & occaſio ad collationem. Favet *c. 34. de ſimon.* Nec obſtat Bulla Pii V. *Quanta Eccleſiæ cit.* quia intelligenda eſt de caſu intervenientis pacti, vel nondum vacantis beneficii.

14 Dico 8. Reſignatio omnium beneficiorum, quocunque modo facta, de Jure publicari debet intra certum tempus, & in loco certo, à Reſignatariis. *Reg. Cancellar. 34.* Bull. Gregor. XIII. *Humano vix judicio.* an. 1584. Dixi 1, *omnium beneficiorum*, ſive ſint Sæcularia, ſive Regularia, Curata vel Simplicia &c. exceptis tantùm conſiſtorialibus, ſeu iis, quæ conferuntur Romæ in Conſiſtorio, utì Archiepiſcopatus, Epiſcopatus &c. 2. *quocunque modo facta*, ſive per ſe, ſive per procuratorem, purè vel conditionaliter &c. 3. *publicari*, nempe per Notarium litteras reſignationis, vel earum transſumptum, manibus tenentem, & intelligibili voce novum Beneficiatum die feſtivo & inter Miſ-

Miſſarum ſolennia promulgantem: 4. *debet*; aliàs reſignatio ipſo Jure nulla, & reſignatarius ad tale Beneficium omnino inhabilis redditur, atque Beneficium reſervatur diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ. 5. *intra certum tempus*, ſcilicet intra 6. menſes, ſi reſignatio ſit facta in Curia Romana, & Beneficium exiſtat intra Italiam: ſi verò extra Italiam & montes, intra 9. menſes numerandos à die conceſſæ gratiæ, non à die præſtiti conſensûs in reſignationem. Si verò extra Romanam Curiam facta ſit reſignatio, & coram Ordinariis, ab his recipi (vel rejici) debet intra menſem, publicari autem à Reſignatariis intra 3. Menſes à die collati Beneficii, non à die reſignationis admiſſæ. 6. *in loco*, nempe in Eccleſia Cathedrali, ſi Beneficium ſit Cathedrale; ſi verò Parochiale, vel intra limites Parochiæ ſitum, in Parochiali & Cathedrali ſimul; ſi autem nulli Diœceſi, & nulli Parochiæ ſit ſubjectum, in Eccleſia Beneficii tantùm. 7. *à Reſignatariis*, h. e. iis, quibus Beneficia reſignantur, curritque ipſis, etiam ignorantibus, tempus publicationi præfixum. 8. *de Jure*, ſcilicet ſcripto; nam Conſuetudo Germaniæ, ſaltem in quibusdam diœceſibus, aliud obtinet, ubi permutationes, & reſignationes, præſertim coram Ordinariis factæ, non ſolent cum hujusmodi ſolennitatibus publicari, imò pleræque omittuntur. Garc. Pirhing. *n.* 109.

TITULUS X.

De Supplenda Negligentia Prælatorũ.

SUMMARIUM.

1. *Quandonam Prælati dicantur negligentes.*

2. *Qui-*

2. *Quibus modis negligentia ſuppleri poſſit.*
3. 4. *Quorum. & à quibus debeat.*
5. *Collatio Beneficii nulla eſt, licèt ſtatim fiat poſt lapſum temporis à Jure definiti.*
6. 7. *Negligentiam Epiſcopi in adminiſtranda Juſtitia, vel munere Paſtorali, non ſupplet Archiepiſcopus, neque Capitulum.*

1 SCiendum 1. nonnunquam contingere, ut Prælati retineant quidem ſuas Dignitates & Beneficia, quæ dantur propter Officium ſpirituale, ac in bonum Eccleſiarum, in adminiſtrando tamen officio ſuo ſint negligentes. Providè proin hoc titulo ordinatur, ut hæc negligentia non tam puniatur quàm per alios ſuppleatur, ne ſubditi vel Eccleſiæ damnum ſpirituale vel temporale patiantur, præſertim illa negligentia, quæ committitur in collatione Beneficiorum. Præterea Prælatus etiam cenſetur eſſe negligens, ſi facere omittit quod ratione officii, poteſtatis, & juriſdictionis ſuæ poterat & debebat facere, v. g. ſi eſt incurius in adminiſtratione bonorum Eccleſiaſticorum, in cuſtodia templorum, in reſtauratione diſciplinæ, in extirpatione abuſuum, in expediendis litibus, in adminiſtranda juſtitia, in Beneficiorum proviſione: circa quas ultimas duas negligentias tantùm hoc loco ponemus aſſertiones, quorum nempe, & à quo ſupplendæ ſint.

2 Sc. 2. Negligentiam Prælatorum variis modis ſuppleri poſſe. 1. Devolutione juris ad Prælatum ſuperiorem, uti fit, ſi ſint negligentes in Beneficiorum proviſione, nimirum intra debitum

tum tempus non conferendo Beneficia, non inſtituendo, non eligendo, vel inſtituendo aut eligendo indignum, ut patet ex *t. h. t.* 2. Adjunctione Coadjutoris idonei. *c. 2. h. t. in 6.* 3. Depoſitione ab Officio, vel privatione Dignitatis. *c. 1. de Off. Cuſtod.* 4. Excommunicationis pœnâ per duos menſes inflictâ. *can. 101. cauſ. q. 1.* Vel alio modo pro varietate & majoritate commiſſæ negligentiæ.

Dico 1. Supplenda eſt negligentia non ſolùm Prælatorum Eccleſiaſticorum, ſed etiam Collegiorum Eccleſiaſtica jurisdictione & Superioratu præditorum, item eorum, qui habent jura Patronatûs. *c. 2. 3. fin. h. t. &c.* Nomine *Prælatorum* venit hic omnis perſona Eccleſiaſtica jurisdictionem exercens, uti ſunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores, Archipresbyteri, Archidiaconi, & alii uſque ad ſimplicem Curatum: nomine autem *Collegiorum* Capitula, & Congregationes, jurisdictione Eccleſiaſtica pollentes. 3

Dico 2. Negligentia circa proviſionem Beneficiorum Eccleſiaſticorum ſuppleri debet ab immediato & proximo Superiore, ad quem, ſi proviſio debito tempore facta non eſt, devolvitur pro illa vice poteſtas providendi. *c. 3. & fin. citt. c. 2. & 8. de conceſſ. præb. c. 41. de Elect. &c.* Unde ſi Beneficium eſt *Collativum*, Collator autem inferior Epiſcopô, negligentiam ſupplet Epiſcopus: ſi *Patronatum*, & Patronus laicus negligat præſentare intra tempus præſcriptum, Superior, penes quem eſt inſtituere præſen- 4

Digitized by Google

tatum: ſi *Electivum*, & Capitulares non eligant intra debitum tempus, Superior, penes quem eſt poteſtas confirmandi electum. Vide dicta ad *tit. de Elect. n. 13.* item dicenda ad *tit. V. de conceſſ. Præb. in lib. III. n. 11.*

5 Quæres, an collatio Beneficii, vel electio Prælati, ſit ipſo Jure invalida, & devolutio fiat ad Superiorem, etiamſi ſtatim inſtituatur poſt lapſum temporis à Jure definiti, nempe poſt ſemeſtre, vel in Eccleſiis Cathedralibus & Regularibus poſt trimeſtre: adeóque an mora poſſit purgari per celerem Proviſionem? ℟. Eſt invalida, & devolvitur poteſtas providendi pro illa vice ad Superiorem ſtatim. P. Wieſtner *n. 37.* cum aliis contra non paucos; quia collatio Beneficii, vel electio, à non habentibus poteſtatem conferendi, vel eligendi, eſt invalida: ſed qui conferunt, vel eligunt, poſt temporis à Jure præfixi lapſum, jam ſunt ipſo Jure privati poteſtate conferendi, vel eligendi. *c. fin. c. 41. citt.* Oppones 1. In *c. 4. h. t.* reſcribit Innocent. III. ſuo Legato, ut Beneficia, quæ poſt tempus à Jure præfinitum obvenerunt perſonis idoneis, *de patientia permittat ab ipſis pacificè poſſideri*: ſed quod poteſt patienter tolerari de Jure, non eſt invalidum ipſo Jure; quamvis reſcindi poſſit: ergo. 2. ſi talis collatio vel electio eſſet irrita ipſo Jure, tunc proviſus in conſcientia teneretur Beneficium dimittere ante ſententiam, & nemine ſe opponente: ſed hoc eſt contra alibi dicta, *de Legibus* & *Electione*: ergo. ℟. ad 1. Diſt. *Min.* quod eſt invalidum Jure Naturali, non poteſt tolerari Jure Poſitivo. C.

Min.

Min. quod eſt invalidum Jure tantùm Poſitivo. N. *Min.* Collatio, vel Electio, poſt lapſum præfixi temporis facta, non eſt invalida Jure Naturali: quòd autem Jure Poſitivo ſit invalida, inſinuatur in textu *c. 4. cit.* quia *toleratur* tantùm per viam gratiæ, & ex *patientia*, non per viam Juris, ſicut alia multa ſuſtinentur de patientia, quæ in Judicium deducta tolerari non poſſunt. *c. 18. de Præb.* Hæc autem tolerantia proviſionis invalidæ fuit nova proviſio, Ad 2. Si eſſet irrita Jure Naturali, C. *Maj.* ſi tantùm Jure Poſitivo humano, *ſubdiſt.* tunc tenerentur dimittere Beneficium ante ſententiam condemnatoriam, ſuppoſito, quòd aliquis ſe opponat, & nullitas ſit declarata per ſententiam Judicis. C. ante ſententiam declaratoriam nullitatis, vel nemine ſe opponente. N. *Maj.* Privatio hæc poteſtatis & juris conferendi, vel eligendi, eſt pœna: ſed pœna, privans Jure jam quæſito, non eſt ſubeunda ante omnem ſententiam, ut tradunt DD. ad *tit. de Pœnis.*

Dico 3. Negligentia Epiſcopi circa adminiſtrationem Juſtitiæ probabiliùs non poteſt ſuppleri ab Archiepiſcopo (extra caſum Appellationis) neque à Capitulo: adeóque nec ad illum, nec ad iſtud devolvitur jurisdictio Epiſcopi ad dicendum jus Diœceſanis in caſu negligentiæ Epiſcopi. Ita P. Wieſtner *n. 46.* cum Abb. Pirh: & aliis communiùs contra Robertum König *hic n. 11.* & Ludov. Engel à *n. 5.* ubi putat, ſaltem in caſu, quo lis nondum eſt cœpta coram Epiſcopo, ſed ſolùm, poſtquam debitè requiſitus eſt, denegavit audientiam, vel 6

juſtitiam adminiſtrare neglexit, generaliter à diœceſanis poſſe adiri Archiepiſcopum in prima inſtantia. Probatur: Jus Canonicum generaliter prohibet Archiepiſcopo exercere jurisdictionem in ſubditos Epiſcoporum, ſeu Suffraganeorum, ſibi ſubordinatorum. *c. 11. de Off. Ord.* niſi id reperiatur expreſsè conceſſum Archiepiſcopo in Jure, per *c. 1. h. t. in 6.* ergo etiam prohibet in caſu, quo Epiſcopi ſunt negligentes in adminiſtranda Juſtitia: ſed nullibi reperitur id in Jure conceſſum, atque hoc ipſum in ſimili dicitur *c. 1. cit.* his verbis: *cùm id non inveniatur à Jure conceſſum:* ergo. Id autem, quod dicimus de cauſa negligentiæ Epiſcopi in adminiſtranda juſtitia, etiam intelligi volumus de caſu negligentiæ in adminiſtrando munere Paſtorali: quia nullibi eſt expreſsè conceſſum Archiepiſcopo adminiſtrare diœceſim alicujus ex ſuis Suffraganeis, cùm ſic exerceret jurisdictionem in ejus ſubditos, quod ipſi generaliter eſt in Jure prohibitum. *c. 11. cit.*

7 Oppones 1. In *c. 1. cit.* non eſt ſermo de Epiſcopo negligente in adminiſtranda juſtitia, ſed de Epiſcopo excommunicato propter delictum: ergo indè non probatur, jurisdictionem Epiſcopi non devolvi ad Archiepiſcopum propter negligentiam: imò à contrario, quia excipitur caſus excommunicationis, infertur, Archiepiſcopo competere jurisdictionem in aliis caſibus, nimirum negligentiæ &c. 2. In toto hoc titulo id agitur, ut generaliter Superior ſuppleat defectum Inferioris: ergo etiam in caſu negligentiæ, ſi nullibi reperiatur exceptus

in

in Jure: ſed non reperitur exceptus: ergo. 3. ratio, propter quam Jus vult ſuppleri negligentias Inferiorum à Superioribus, v. g. in collatione beneficiorum, eſt generalis, nempe hæc, ne ſubditi vel Eccleſiæ patiantur damnum: ſed hæc ratio pugnat etiam in caſu non adminiſtratæ ab Epiſcopo juſtitiæ: ergo. 4. De Jure admittitur appellatio ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum in caſu denegatæ vel protractæ juſtitiæ: ergo etiam in eodem caſu negligentiæ circa adminiſtrationem Juſtitiæ jurisdictio Epiſcopi devolvitur ad Archiepiſcopum. 5. Si non fit devolutio ad Archiepiſcopum, debet illa fieri ad Capitulum ſaltem; cùm aliàs non detur ſufficiens remedium oppreſſis: ſed ad Capitulum non devolvitur juxta nos, imò nec juxta Adverſarios: ergo. ℟. ad 1. *N. Conſ.* quia in *c. cit.* allata ratio, *cùm id non inveniatur à Jure conceſſum*, eſt univerſalis, & inſinuat, generaliter nunquam competere Archiepiſcopo jurisdictionem in ſubditos ſuorum Suffraganeorum. A contrario non infertur, in reliquis caſibus, ibi non expreſſis, jurisdictionem devolvi ad Archiepiſcopum; quia plures ſunt caſus, in quibus non devolvitur, adeóque ibi caſus excommunicationis Epiſcopi propter culpam non ponitur per modum exceptionis, ſed per modum exempli. Ad 2. *N. Ant.* quia ferè id tantùm agitur, ut ſuppleatur negligentia Epiſcoporum in cauſis *Beneficialibus*, non generaliter in omnibus. Alios caſus, in quibus Superiori conceditur ſupplere defectum Inferiorioris, referemus ad *tit. 31. de Off. Jud. Ordin.*

præſertim in fine *§. 1. & 2.* Ad 3. Non ſufficit paritas rationis, ubi ex diſpoſitione Juris habetur oppoſitum, uti hic. Ad 4. *N. Conſ.* quòd Appellatio admittenda ſit ad Archiepiſcopum, eſt in Jure expreſſum; non verò quòd ei competat juriſdictio in prima inſtantia pro caſu denegatæ juſtitiæ. Ad 5. Imprimis *N. Ma.* quia ſupereſt aliud remedium, videlicet vel recurſus ad Papam, ut is Epiſcopum negligentem adigat ad faciendum officium, vel ad Archiepiſcopum etiam, deferendo ipſum Epiſcopum, ab eo compellendum ad juſtitiæ adminiſtrationem; quia Archiepiſcopus in Epiſcopum tanquam in Suffraganeum ſibi ſubordinatum de Jure habet juriſdictionem, quamvis non habeat in ejus ſubditos, ſecluſa appellatione, vel actuali viſitatione. Dein *Ma.* eſſet vera in caſu, quo Epiſcopus valde diu abeſſet à ſua diœceſi, nec conſtituiſſet adminiſtratorem: item quo redderetur inhabilis &c. tunc enim Capitulum ſuccederet in juriſdictione Epiſcopali; donec Papa aliter provideret, per c. *3. h. t. in 6.* quia tunc perinde foret, ac ſi Sedes vacaret: Sede autem vacante ſuccedit Capitulum in exercenda juriſdictione, & adminiſtratione, etiam juſtitiæ.

TITULUS XI.

De Temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.

SUMMARIUM.

1. *In vera Religione verum dari Sacrificium neceſſe eſt.*

2. Quod

2. *Quod neceſſariò requirit Sacerdotes.*
3. *Qui non ſimul & ſemel, ſed gradatim ordinantur tales. Ubi quid & quotuplex ſit Ordo.*
4. *Saltem Ordo Presbyteratûs certò eſt Sacramentum: cujus materia, forma, miniſter, effectus.*
5. 6. *Prima Tonſura eſt Ordo, & Sacramentum.*
7. *Et Epiſcopatus eſt Ordo diſtinctus à Presbyteratu.*
8. *Speculativè probabilius eſt non requiri contactum phyſicum materiæ remotæ in Ordinando.*
9. *Quis ſit Miniſter proprius Sacramenti. Et quid Dimiſſoriales.*
10. *Quinam ſubſint Epiſcopo ratione Originis, Domicilii, & Beneficii in ordine ad recipiendos Ordines.*
11. 12. *Validè conferuntur Ordines à quolibet Epiſcopo conſecrato. Miniſter extraordinarius, excepto Sacerdotio, poteſt eſſe ſimplex ſacerdos, & Abbates multi defacto eſſe ſolent.*
13. 14. *Licitè conferuntur Ordines ab Epiſcopo Proprio, non excommunicato &c.*
15. 16. *Quis dare poſſit Dimiſſoriales. & quomodo.*
17. 18. *Inter conditiones Jure Humano requiſitas in Ordinando eſt Titulus Menſæ, qui triplex eſt.*
19. 20. *Jure Divino & Naturali invalidè ordinantur fœminæ, hermaphroditi aliqui, non-baptizati, ac poſitivè inviti; non tamen infantes, & perpetuò amentes.*
21. *Illicitè ordinantur multi, præſertim infames:*
22. *Ætate legitima deſtituti:*

Digitized by Google

23. *Scientiâ debitâ carentes:*
24. *Moribus non ſatis probati:*
25. *Et omnes Irregulares ex defectu vel delicto:*
26. *Atque titulo Menſæ non inſtructi.*
27. *Gradatim, & certis temporibus conferendi ſunt Ordines.*
28. *Quænam ſint illa tempora. An jejunium pridianum requiratur.*
29. *Interſtitia unius anni inter unum & alterum Ordinem obſervanda. Nec unquam eodem die conferendi duo Ordines Sacri.*
30. *Ad conferendos Ordines extra tempora, & non ſervatis Interſtitiis, quis diſpenſet.*
31. *Quo loco conferendi ſint Ordines.*
32. 33. *Quas pœnas incurrat Ordinans & Ordinatus extra tempora:*
34. *Aut ante legitimam ætatem:*
35. *Aut ſi Ordinatus non ſit ſubditus Ordinanti.*

Cùm Prælatis Eccleſiaſticis, de quibus huc usque, competat jurisdictio ſpiritualis & poteſtas ad ſacras functiones, non aliunde acquiſita, quàm ex legitima vocatione & ordinatione tum ad Epiſcopatum tum ad alios Ordines inferiores; rectè ſubjungitur doctrina de *Ordinatione* & *Ordinibus*, de *Ordinantis* & *Ordinandorum* qualitatibus.

§. I.

De Natura & Varietate Ordinum.

1 Sciendum 1. In vera Religione neceſſariò dari verum & propriè dictum Sacrificium; ſic enim primos parentes tempore *Legis Naturæ* docuit

docuit lumen ipſis à Deo ſpecialiter inditum: Judæos tempore *Legis Scriptæ* Codex Veteris Teſtamenti: & Chriſtianos in *Lege Gratiæ* tum exemplum & juſſio Chriſti, in ultima cœna ſacrificantis, & dicentis: *hoc facite in meam commemorationem. Luc.* 22. tum Traditio Apoſtolica. Eandem alicujus Sacrificii neceſſitatem dictat ratio naturalis, & Religionis natura poſtulat: ſiquidem Religio nihil eſt aliud quàm modus ritè colendi Deum: ſemper autem, & ab omnibus rectè credentibus, imò & Gentilibus, creditum eſt, Deum non alia ratione coli meliùs & diviniùs, quàm per Sacrificium, utpote per quod intelligitur *Oblatio externa ſoli Deo facta, per quam à legitimo Miniſtro res aliqua ſenſibilis per immutationem ritu myſtico conſecratur in recognitionem ſupremi Dominii, quod Deus habet in vitam & necem;* hoc enim pacto cultus verè latreuticus defertur Divinæ Majeſtati. Viderint nunc Lutherani & Calviniſtæ, num veram Religionem habeant, cui deeſſe verum & propriè dictum Sacrificium ipſimet fatentur. Nobis Catholicis Euchariſtia non modò Sacramentum eſt, ſed & Sacrificium, in *Miſſa* offerri quotidie ſolitum, ubi Diviniſſima Hoſtia, Chriſtus JESUS, qui in Cruce ſe obtulit æterno Patri, rurſus offertur per Sacerdotem, ſed alio modo, nempe incruento, juxta præceptum Salvatoris: *hoc facite in meam commemorationem.*

Sc. 2. Sacrificium eſſentialiter requirere Miniſtrum legitimum, à Deo vel immediatè vel mediatè ordinatum ad id, qui vocari conſue- 2

Digitized by Google

vit *Sacerdos*; Sacrificium enim, Altare, & Sacerdos ad ſe ſe correlationem dicunt, ut ſemper creditum. Atque ideo in vera Religione omnino neceſſaria eſt aliqua *Ordinatio Sacerdotum*; non enim omnes naſcuntur Sacerdotes, aut fiunt per Baptiſmum, ut abſurdiſſimè pronuntiavit ebrius Lutherus. Longè aliter ſenſit S. Paulus, qui ordinavit, & *conſtituit per ſingulas Eccleſias Presbyteros*, atque Timotheum monuit, ne temerè ordinaret obvium quemque. *Act. 14. 1. Tim. 5.* Porro in ordinatione Sacerdotum non modò confertur poteſtas in *verum Chriſti Corpus*, nempe illud ponendi ſub ſpeciebus panis & vini, & ſic offerendi Sacrificium; ſed etiam in *Myſticum Chriſti Corpus*, ſcilicet abſolvendi fideles ritè diſpoſitos à peccatis, juxta illud *Jo. 20. accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata &c.*

§ Sc. 3. Neminem repente, ſimul & ſemel, ordinari in Sacerdotem, ſed gradatim promoveri ad hanc ſublimem dignitatem & poteſtatem per inferiores Ordines, vel potiùs per prævias ordinationes alias. Nam *Ordo* duplici modo ſumitur, activè & paſſivè: *Activè* ſumptus Ordo eſt actualis *Ordinatio* ipſa, ſeu actio & ceremonia illa ſacra, qua alicui conceditur poteſtas ad aliquod Altaris officium ſtabiliter peragendú; ſeu qua traditur ſpiritualis & ſtabilis poteſtas conſecrandi Euchariſtiam, vel ad hunc finem (nimirum Euchariſtiæ conſecrandæ &c.) miniſtrandi. Atque de Ordine ſic accepto potiſſimùm hic agitur. *Paſſivè* ſumptus Ordo eſt effectus Ordinationis, & certus gradus Miniſtrorum

rum

rum Eccleſiæ, cujusmodi Gradus & Ordines ſeptem enumerantur comuniter à Theologis, nempe *Oſtiariatus*, *Lectoratus*, *Exorciſtatus*, *Acolytatus*, *Subdiaconatus*, *Diaconatus*, *Presbyteratus* vel Sacerdotium. A Canoniſtis autem plurimis & præſtantiſſimis adjiciuntur duo alii Ordines, unus pro infimo, nempe *Pſalmiſtatus*, qui ab ipſis confunditur cum *Prima Tonſura*, & alter pro ſupremo, ſcilicet *Epiſcopatus*, ſeu conſecratio alicujus in Epiſcopum. An verò prima Tonſura ſit verus Ordo, vel mera tantùm diſpoſitio ad Ordines, item an Epiſcopatus ſit Ordo diſtinctus à Presbyteratu, inter Catholicos DD. maximè inter Theologos & Canoniſtas controverſum eſt. Cæterùm omnes Ordines Presbyteratu inferiores ad eum diſponunt, ac referuntur; & primi ex illis, nempe Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, & Acolytatus, appellantur *Minores*; tres reliqui, nempe Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus dicuntur *Majores*, quia propiùs accedunt ad conficiendam Euchariſtiam; item dicuntur *Sacri*, quia votum Caſtitatis ſibi habent annexum, quo homo quaſi ſacratur DEO.

Sc. 4. Ordinem, ſeu potiùs Ordinationem 4
(ſaltem id intelligendo de Ordine Presbyteratus) eſſe Sacramentum novæ Legis. Sic enim non modò definivit Concil. Florent. & Trid. *Seſſ. 23. c. 3. item can. 2. & 3.* Sed etiam ſemper credidit Eccleſia Chriſtiana, & primæva. Audi unicum S. Auguſtinum, qui *l. 2. contra epiſt. Parmeniani c. 13.* ait: *utrumque enim* (Baptismus & Ordo) *Sacramentum eſt, & quadam conſecratione*

utrum-

utrumque homini datur, illud, cùm baptizatur, iſtud, cùm ordinatur; ideóque in Catholica utrumque non licet iterari. Et infrà: *ſi enim utrumque Sacramentum eſt, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & iſtud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda eſt.* De reliquis Ordinibus nihil eſt definitum, nihilominus tamen de Diaconatu & Subdiaconatu communis eſt doctrina, quòd ſint Sacramentum: de 4. Minoribus probabilior & hodie communior affirmat: de prima Tonſura negant plerique Theologi, cùm negent eſſe Ordinem; quid nos ſentiamus de ea, mox pandemus. Interim

Sc. 5. *Materiam remotam* Sacramenti Ordinis Presbyterialis eſſe calicem cum vino, & patenam cum hoſtia, materiam verò *proximam* eſſe horum inſtrumentorum traditionem, ſcilicet quando confertur poteſtas in verum Chriſti Corpus, ſeu conſecrandi Euchariſtiam & ſacrificandi: quando autem confertur altera poteſtas in Corpus Chriſti Myſticum, ſeu ad abſolvendum à peccatis, *materiam proximam* eſſe impoſitionem manuum, non primam, quæ præcedit traditionem Calicis, ſed alteram, quæ ſubſequitur ad finem Miſſæ. Dubium hic movetur, an ad valorem Ordinis Sacerdotalis requiratur, ut Ordinandus phyſicè ac realiter tangat materiam remotam, nempe patenam & calicem, an verò ſufficiat contactus moralis, & voluntas tangendi materiam oblatam ſibi, vel oſtenſam. Sicut autem reſpectu Presbyteratûs materia remota eſt patena & calix, ita reſpectu aliorum Ordinum materia remota eſt in-

inſtrumentum illud, quod traditur ab Epiſcopo in ſignum poteſtatis ſpecialis, quæ traditur in quolibet Ordine, v. g. liber Evangeliorum in Diaconatu, candelabrum cum candela & urceoli vacui in Acolytatu &c. ipſa verò hujus Inſtrumenti traditio eſt materia proxima. *Forma* autem ſunt illa verba, quibus utitur Ordinans in traditione, vel impoſitione manuum, v. g. in Presbyteratu: *accipe poteſtatem offerendi Sacrificium &c.* Item: *Accipe Spiritum S. quorum remiſeris peccata &c.* *Miniſter*, ſaltem Ordinarius, omnium Ordinum eſt Epiſcopus. *Effectus* cujuslibet Ordinis eſt partim gratia habitualis, quæ in ſuſcipiente augetur ex opere operato, partim gratiæ actuales & auxilia ſpecialia ad munus ſuſcepti Ordinis ritè exercendum ſuo tempore, partim Character cum ſpeciali poteſtate, quem imprimit Ordo Sacramentalis animæ: eſt autem iſte *Character* ſignum aliquod ſpirituale ac indelebile, quo deputatur homo ad munus *diſpenſatoris Sacramentorum*, præſertim Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, ſicut per characterem Baptiſmi aſſumitur in *familiam Chriſti*, & ad recipienda reliqua Sacramenta aptus efficitur, atque per characterem Confirmationis adlegitur in *militiam Chriſti*, ad fidem fortiter tuendam.

Dico 1. Prima Tonſura, ſeu Pſalmiſtatus, § 5
probabiliùs eſt Ordo, & Sacramentum, non minùs ac Ordines 4. Minores. Ita contra communem Theologorum communis Canoniſtarum, ſaltem antiquiorum & præſtantiſſimorum: ſic enim ſentiunt Abbas, Hoſtienſis, Joan. Andr.

Andr. Antonius de Butrio, Archidiaconus, Felin. Covarruv. Barboſa, Fagnanus in c. *cùm contingat* 11. *de ætat. & qualit.* Quibus noviſſimè acceſſit Begnudellius, Vicarius Generalis Friſingæ, in *Bibliotheca Juris Canonico-Civilis V. Ordines.* Probatur 1. ex *c.* 11. *cit.* ubi Innocentius III. interrogatus, an Abbates conferendo primam tonſuram conferant *Clericatûs Ordinem*, reſpondit, quòd *per primam tonſuram, juxta formam Eccleſiæ datam, Clericalis Ordo conferatur* ab ipſis, ſi ſint Abbates, Sacerdotes, & benedicti ab Epiſcopo. Unde futilis eſſe videtur communis Theologorum reſponſio, dum dicunt, in *c. cit.* nomen *Ordinis* accipi largè & impropriè, pro mera diſpoſitione ad Ordines; partim quia nulla eſt neceſſitas impropriandi, & ſic torquendi verba Pontificis deciſivè reſpondentis ad ſibi propoſitam quæſtionem, cùm utique *conferri Ordinem Clericalem* non ſit *tantùm præparari* ad Ordinem Clericalem: partim quia incredibile eſt, Papam fuiſſe interrogatum, an per tonſuram conferatur Ordo largè tantùm & impropriè ſumptus, utpote de quo nemo dubitabat: ergo nec Pontifex voluit decidere, quòd ſit Ordo tantùm impropriè: partim quia ſic facilè enervatur omnis probatio, qua Adverſarii adſtruunt, quatuor Minores, imò & Subdiaconatum, ac Diaconatum, eſſe Ordines propriè tales. Prob. 2. ex *can. Cleros* 1. *d.* 21. ibi: Clericorum *gradus & nomina hæc ſunt: Oſtiarius, Pſalmiſta, Lector, Exorciſta, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Epiſcopus;* en novem Ordines, uti Canoniſtæ ſolent, recenſet Canon,

ac

ac inter eos etiam Epiſcopatum, & Pſalmiſtatum, qui in Jure ſumitur pro prima Tonſura, ut notant DD. in *can. Pſalmiſta.20. d.23.* Pariter inter Clericos, ſed ultimo loco, numeratur *Pſalmiſta in can. non oportet.2. d.44.* Prob. 3. ex *can. ſi quis Epiſcopus. 27. q.1.* ubi *Pſalmiſta* non minùs, ac alii Clerici, nempe Lector, Subdiaconus, Diaconus &c. jubetur deponi, ſi ſponſam Chriſti, ſeu Monialem, corrupit: ſed *deponi* ab Ordine non poteſt, qui non habet Ordinem: ergo Pſalmiſta habet Ordinem. Confirmatur ex *c.2. de Pœnis in 6.* ubi præſcribitur modus degradandi Clericum ſolenniter *uſque ad primam veſtem* incluſivè (nempe uſque ad ſuperpelliceum) *quæ datur in collatione tonſuræ; túncque radatur caput illius, ne tonſuræ ſeu Clericatûs veſtigium maneat in eodem*: ſed Degradatio ſolennis, ſicut Depoſitio Clerici, eſt dejectio ab Ordine Clericali: ergo. Prob. 4. ex *can. Apoſt 25. aliàs 27.* ubi Cantores numerantur unà cum Lectoribus inter eos, qui ad Clerum ſunt promoti: ergo *Cantor* (qui idem eſt, ac Pſalmiſta. *can.20. cit.*) non minùs habet Ordinem Clericalem, ac Lector. Prob. 5. ex Trid. quod *Seſſ.21. c.1. de Ref.* prohibet quidquam accipi *pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam Clericalis tonſuræ*; notetur particula *etiam*, quæ eſt implicativa præcedentium. Prob. 6. ex deciſione S. Congreg. Cardd. apud Fagnanum *n.118.* quæ reſpondit, primam Tonſuram imprimere *Characterem*, ac iterari non poſſe. Idem ſatis expreſſit Sixtus V. in *Bull. Sanctum. an.1588.* his verbis: *ad ſuſcipiendum Clericalem Characterem alióſve Ordi-*

nes

nes &c. Prob. 7. ex Pontificali Romano, quod in *tit. de Ordinib. confer.* habet hæc verba: *pro Clericis Ordinandis parentur forſices pro incidendis capillis.* Item: *quilibet Ordinandorum debet habere ſuum ſuperpelliceum ſuper brachium ſiniſtrum.* Rurſus: *Ordinati ad primam tonſuram.* Et ubiq; ſupponit, eos *Ordinari*, quibus cõfertur prima tonſura.

Jam ſuppoſitô, quòd Tonſura ſit Ordo, probatur etiam, quòd ſit Sacramentũ, ex ratione: Ubicunq; datur ſpecialis materia, forma, & cõfertur ſpecialis poteſtas ad certum miniſteriũ ſacrum ritè obeundũ, atque ad id interna gratia, ibi datur Ordo ſpecialis & Sacramentũ à reliquis diſtinctũ: ſed in collatione primæ tonſuræ datur materia ſpecialis, & forma, item cõfertur ſpecialis poteſtas ad certum miniſterium ſacrum cum gratia interna, ergo collatio primæ tonſuræ eſt Sacramentum. *Maj.* eſt communis Theologorum ex S. Thoma in 4. *d.* 24. *q.* 1. *a.* 1. *&* 2. *q.* 2. *a.* 1. Trid. *Seſs.* 14. *de Sacram. Pœnit. c.* 2. *& de Extr. Unct. c.* 1. Jam *Min.* oſtenditur ſic: *Materia* remota eſt veſtis alba. *c.* 2. *cit. de pœnis in* 6. ſeu ſuperpelliceum, cum exteriori raſione capillorum: *Forma* ſunt illa verba, quibus utitur Epiſcopus tradens ſuperpelliceum, nempe, *induat te Dominus &c.* vel dum ita deprecatur: *Oremus Dominum noſtrum JEſum Chriſtum pro his famulis ſuis, qui ad deponendum comas capitum ſuorum pro ejus amore feſtinant, ut donet eis Spiritum S.* Vid. Pontificale Rom. *loc. cit.* Alia forma inſinuatur *can.* 20. *cit. vide, ut, quod ore cantas, & quod credis, operibus comprobes.* Præterea confertur ſpecialis *poteſtas ad certum miniſterium*

Digitized by Google

ſterium ſacrum, nempe ad cantandos Pſalmos, Lectiones, & Reſponſoria; ſicut Lector v.g. deputatur ad Lectiones ſimpliciter pronuntiandas, vel ad legendum cum explanatione, propter quā cauſam Lectoratū diſtinguunt Adverſarii ab aliis Ordinibus: collatio *internæ gratiæ* ſatis inſinuatur in Oratione recitata, quā facit Epiſcopus.

Oppones 1. In *can. 1. d. 77.* recenſentur Ordines, & non fit mentio Tonſuræ. Idem fit in *can. à Subdiacono d. 93.* ergo Tonſura non eſt inter Ordines collocanda. 2. Concilium Trid. *S. 23. c. 2. & can. 2.* Tonſuram non ponit inter Ordines, ſed ab eis diſertè diſtinguit; nam c. *2. cit.* ſic loquitur: *Ordines, qui Sacerdoti ex Officio deſerviunt, ita diſtributi ſunt, ut, qui jam Clericali Tonſura inſigniti eſſent, per Minores ad Majores aſcenderent.* Ubi etiam recenſet Ordines Minores & Majores, omittit tamen Tonſuram: ergo hæc non eſt Ordo. 3. In collatione cujuslibet Ordinis debet conferri aliqua poteſtas ſpiritualis, & quidem cum relatione ad Euchariſtiæ Sacramentum. Trid. *lo. cit.* ſed non apparet, quæ poteſtas ſpiritualis conferatur per Tonſuram cum relatione & reſpectu ad Euchariſtiæ Sacramentum: ergo. ℞. ad 1. Illa Jura ſupplentur per alia, in quibus expreſſa fit mentio de Pſalmiſtatu. Dein retorq. argumentum: in *can. ſiquis Epiſcopus* cit. recenſentur ſinguli Ordines ab Epiſcopo usque ad Pſalmiſtam, & tamen nulla fit mentio Acolythi & Exorciſtæ: ergo Acolythatus & Exorciſtatus non ſunt Ordines. Negabunt utique Adverſarii *Conſ.* & rectè, quia argumentum 6

negativum, ab auctoritate petitum, ordinariè parùm ſtringit. Ad 2. imprimis ſervit eadem retorſio. Deinde Trid. dum recenſuit Ordines, ideo non nominavit Tonſuram, ne videatur damnâſſe ſententiam oppoſitam; & quia de ſententia in utramque partem probabili noluit quidquam decîdere, ideo abſtraxit à Tonſura. Cœterùm non diſtinguit diſertè Tonſuram ab Ordinibus, quia ille aſcenſus à Minoribus ad Majores Ordines fieri poteſt, etiamſi Tonſura ſit Ordo; cùm ſic à Tonſura tanquam ab Ordine inferiore ad Oſtiariatum, ab hoc ad Lectoratum, & ſic ulteriùs gradatim fiat promotio. Adde, quòd per verba, *qui jam Clericali tonſura inſigniti eſſent*, inſinuet, per Tonſuram Clericum *inſigniri charactere ſpirituali* in anima; nam *inſigniri* dicit impreſſionem ſigni ſeu characteris: ſed iſte character non imprimitur, niſi per Sacramentum Ordinis. Sed de Trid. & Congreg. ſacræ declaratione vide *n. præced.* Ad 3. In Tonſura confertur poteſtas & officium cantandi Pſalmos, dicendi Benedictiones &c. Si autem Lector habeat ſufficientem relationem ad Euchariſtiæ Sacramentum per hoc, quòd pronuntiet Lectiones officii Divini, & ſic fideles erudiat; etiam habebit Pſalmiſta per hoc, quòd cantet Pſalmos &c. & ſic excitet corda fidelium, præparétque ad Euchariſtiam devotè ſuſcipiendam.

7 Dico 2. Epiſcopatus eſt Ordo à Presbyteratu diſtinctus, conſequenter & Sacramentum diſtinctum. Ita rurſus Canoniſtæ contra Theologos communiter; quamvis enim ferè conveniant

niant in hoc, quòd ſit *Ordo*, cùm id ſalva fide vix negari poſſe videatur; nam Timotheus legitur fuiſſe Ordinatus in Epiſcopum. *1. Tim. 4.* item Paulus & Barnabas. *Act. 13.* Anacletus autem Papa, coævus Apoſtolis, in *epiſt. 3. c. 1.* ait: *Sacerdotum Ordo, prout Dominus eum inſtituit, bipartitus eſt*, nempe Sacerdotalis & Epiſcopalis. Item clarè tanquam ſpecialis Ordo recenſetur *can. Cleros cit.* Diſcrepant tamen in hoc, quòd Theologi Epiſcopatum non diſtinguant ſubſtantialiter à Presbyteratu, ſed dicant eſſe partem ſolùm accidentaliter perfectivam Sacerdotii, principaliter conſiſtens in poteſtate offerendi Sacrificium. Cum Canoniſtis ſentit etiam Tannerus *to. 4. diſp. 7. q 2. n. 32.* referens & alios. Prob. 1. *ex epiſt. S. Anacleti & can. Cleros citt.* 2. ex Trid. *S. 23. c. 4.* ubi ſic loquitur: *docet inſuper Sacroſancta Synodus, in ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum, nec populi &c. conſenſum, ſive vocationem, ſive auctoritatem requiri.* En! clarè inſinuat, aliam eſſe ordinationem Epiſcoporum, quàm Sacerdotum, adeóque ordinem diſtinctum. Item *can. 6.* ibidem ſic definit: *ſiquis dixerit, in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam Divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris; anathema ſit.* Ergo Epiſcopi Jure Divino ſunt ſuperiores Presbyteris poteſtate Ordinis: ergo Epiſcopatus eſt diſtinctus Jure Divino à Presbyteratu. 3. In Epiſcopatu, ſeu in conſecratione & ordinatione Epiſcopali, adhibetur materia & forma ſpecialis, item confertur poteſtas ſpecialis: ſed propter has

cauſas admittitur diſtinctio inter aliosOrdines: ergo *Ma.* prob. *Materia* eſt impoſitio manuum Conſecrantis & Aſſiſtentium Epiſcoporum vel ſola, vel, ut alii volunt, cum impoſitione libri Evangeliorum ſuper cervicem & ſcapulas Epiſcopi conſecrandi: *Forma* ſunt alia verba, quàm adhiberi ſolita in ordinatione Presbyteri: *poteſtas* confertur major & amplior, ſcilicet ad conferendum Sacramentum Ordinis & Confirmationis, ad Ordinandos alios presbyteros &c. ſe ſe extendens. Neque Catholici Doctores negant, majorem in Epiſcopo reſidere poteſtatem, etiam Jure Divino, quàm in ſimplici Sacerdote, uti negant Hæretici, ſed ſolùm dicunt, quòd amplior hæc poteſtas tantùm ſit extenſio quædam & complementum accidentale, & pars perfectiva Sacerdotalis poteſtatis, conſiſtentis principaliter in poteſtate conſecrandi Euchariſtiam, quam poteſtatem Epiſcopatus eſſentialiter ſupponit & includit: ſiquidem Epiſcopatus adæquatè ſumptus nunquam debet conſiderari ut præciſus à Sacerdotio, ſed ut illud includens & velut inadæquatè diſtinctus ab eodem; ferè ſicut duo Sacramenta Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini inter ſe quidem realiter ac inadæquatè diſtincta ſunt, unum tamen integrum Sacramentum Euchariſtiæ conſtituunt. Nec refert, quòd Epiſcopatus eſſentialiter præſupponat ſacerdotiū; quia etiam eſſentialiter præſupponit Baptiſmū, ſine quo invalidè confertur omnis Ordo Sacramentalis, & tamen utique diſtinguitur à Baptiſmo. Adde, quòd Panorm. in *c. 10. de Exceſſ. Prælat. n. 4.* di-

dicat, Epiſcopatum non-Sacerdoti validè conferri quoad ſubſtantiam, quamvis non quoad executionem; cùm utique Epiſcopus, qui Sacerdos non eſſet, nequiret ordinare Sacerdotem. Quòd autem Epiſcopatus ſit Sacramentum (etiam prout eſt Ordo à Sacerdotio diſtinctus) docet communis cum S. Thoma & Tannero contra Navar. Dom. Sotum, & Vaſq. *d. 237. c. 2.* apud Illſung *tr. 6. d. 8. n. 22.* quia docent communiter de omnibus Ordinibus, quòd ſint Sacramenta, etiam de Minoribus, phyſicè quidem diſtincta, unum tamen moraliter, per aggregationem & ratione finis, ad quem referuntur omnes, nempe ad conſtituendum idoneum Miniſtrum Euchariſtiæ quà Sacramenti & quà Sacrificii: ad quem finem tamen diverſimode ſe habent.

Dico 3. Speculativè probabilius eſt, quòd ad valorem Sacramenti Ordinis non ſit neceſſarius contactus phyſicus materiæ ab Ordinante traditæ, v. g. calicis & patenæ in collatione Sacerdotii, ſed ſufficit moralis. Laym. *l. 5. tr. 9. c. 5. n. 4.* cum Henriq. Vaſq. & aliis contra S. Thomam in *4. d. 24. q. 1. a. 1. quæſtiunc. 5.* (qui tamen adhibet verbum *videntur*; nam immediatè antè dicit: *porrectio materiæ magis eſt de eſſentia Sacramenti, quàm tactus*) & fortè communiorem aliorum. Prob. 1. negativè, quia non ſufficienter probatur neceſſitas contactûs phyſici. 2. Poſitivè à pari; nam de utroque Jure certum eſt, quòd poteſtas, jurisdictio, dominium rei traditæ acquiri poſſint ſine phyſico contactu, & per ſolam acceptationem poteſta- 8

tatis, vel per oſtenſionem rei factam præſen- ti & acceptanti. Confirm. 1. In Eccleſia Græca ſolet tantùm exhiberi & oſtendi calix cum vino, & patena cum hoſtia, in collatione Sacerdotii, ſine ullo contactu phyſico: & hunc uſum tolerat Eccleſia Latina, ut refert Sannig *hic c. 2. n. 11.* Confirm. 2. Etiam juxta Adverſarios ſufficit contactus moralis vini, quia ſufficit mediatè contingi vinum in calice illud continente, imò ſufficit, tangi phyſicè calicem, non verò immediatè patenam ei ſuperpoſitam, vel ſaltem hoſtiam, immediatè & phyſicè: nam iſte contactus ſolùm mediatus vix differt à morali: cur ergo non ſufficiat totius materiæ contactus tantùm moralis? Dixi, *ſpeculativè*; nam in praxi oportet ſequi tutiora, & quæ magis excludunt periculum nullitatis tum Sacramenti Ordinis, tum aliarum actionum, quoad valorem ſuum à valore ſuſcepti Ordinis dependentium.

§. 2.

De qualitate Ordinantis. Ubi etiam de Litteris Dimiſſoriis.

9 Sciendum 1. Ordinantem, ſeu Miniſtrum Ordinis, alium eſſe *Ordinarium*, ad quem ſcilicet per ſe & ratione officii pertinet conferre Ordines, uti eſt Epiſcopus: alium verò *Extraordinarium*, ad quem pertinet jure extraordinario, nempe ex privilegio vel delegatione ſpeciali, uti ſunt Abbates reſpectu quorundam Ordinum. Rurſus alium eſſe *Proprium*, cui nimirum ordinandus eſt ſubditus: alium verò *Alie-*

Alienum ſeu *non-proprium*, cujus jurisdictioni ſubjectus non eſt ordinandus, qui ideo opus habet *litteris Dimiſſorialibus*, quæ ſunt licentia in ſcripto obtenta, ut quis Ordines ab alieno, cui ſubditus non eſt, accipere poſſit.

Sc. 2. Ex triplici capite aliquem poſſe eſſe 10 ſubditum Epiſcopi, ut ab eo tanquam Proprio Ordinante ſuſcipere poſſit Ordines. 1. ratione Originis. 2. Domicilii. 3. Beneficii. *c. 3. h. t. in 6.* ita ut à quolibet horum initiari Ordinibus, vel omnibus, vel aliquibus, licitè poſſit; excepto caſu, quo quis ab ipſo Papa aliquem jam ſuſcepiſſet Ordinem; talis enim in reverentiam Sedis Apoſtolicæ à nullo inferiori ordinatur licitè ſine licentia Papæ. per *c. 12. h. t.* Porro ratione *Originis* ſubditi Epiſcopo ſunt, qui oriundi vel nati ſunt in ejus diœceſi, in qua pater domicilium habuit. *c. 3. cit.* Nec refert, quòd quis fortè per accidens extra talem diœceſim natus fuiſſet, v. g. in itinere, vel in loco, ubi mater per breve tempus morata fuit negotiorũ causâ; quia attenditur id, quod per ſe, non quod per accidens contingit, & fictione Juris cenſetur talis eſſe natus in loco domicilii parentum ſuorum, per *l. 3. C. de Municipib.* Quando conſtare nequit de loco Originis filii, inſpiciendus eſt locus Originis patris, &, ſi patris quoque incertus ſit, tandem matris. per *l. 1. & 9. ad Municipalem.* Pagani & Judæi, ſi convertantur ad fidem, pertinent ad illam diœceſim, in qua baptizati ſeu ſpiritualiter nati ſunt. Expoſiti autem non tantùm ad illam, in qua nati, ſed etiam ad eam, in qua expoſiti reperiuntur. Pirh.

 Barb.

Digitized by Google

Andr. Antonius de Butrio, Archidiaconus, Felin. Covarruv. Barboſa, Fagnanus in c. *cùm contingat 11. de ætat. & qualit.* Quibus noviſſimè acceſſit Begnudellius, Vicarius Generalis Friſingæ, in *Bibliotheca Juris Canonico-Civilis V. Ordines.* Probatur 1. ex *c. 11. cit.* ubi Innocentius III. interrogatus, an Abbates conferendo primam tonſuram conferant *Clericatûs Ordinem*, reſpondit, quòd *per primam tonſuram, juxta formam Eccleſiæ datam, Clericalis Ordo conferatur* ab ipſis, ſi ſint Abbates, Sacerdotes, & benedicti ab Epiſcopo. Unde futilis eſſe videtur communis Theologorum reſponſio, dum dicunt, in *c. cit.* nomen *Ordinis* accipi largè & impropriè, pro mera diſpoſitione ad Ordines; partim quia nulla eſt neceſſitas impropriandi, & ſic torquendi verba Pontificis deciſivè reſpondentis ad ſibi propoſitam quæſtionem, cùm utique *conferri Ordinem Clericalem* non ſit *tantùm præparari* ad Ordinem Clericalem: partim quia incredibile eſt, Papam fuiſſe interrogatum, an per tonſuram conferatur Ordo largè tantùm & impropriè ſumptus, utpote de quo nemo dubitabat: ergo nec Pontifex voluit decidere, quòd ſit Ordo tantùm impropriè: partim quia ſic facilè enervatur omnis probatio, qua Adverſarii adſtruunt, quatuor Minores, imò & Subdiaconatum, ac Diaconatum, eſſe Ordines propriè tales. Prob. 2. ex *can. Cleros 1. d. 21.* ibi: Clericorum *gradus & nomina hæc ſunt: Oſtiarius, Pſalmiſta, Lector, Exorciſta, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Epiſcopus;* en novem Ordines, uti Canoniſtæ ſolent, recenſet Canon, ac

ac inter eos etiam Epiſcopatum, & Pſalmiſtatum, qui in Jure ſumitur pro prima Tonſura, ut notant DD. in *can. Pſalmiſta. 20. d. 23.* Pariter inter Clericos, ſed ultimo loco, numeratur *Pſalmiſta in can. non oportet. 2. d. 44.* Prob. 3. ex *can. ſi quis Epiſcopus. 27. q. 1.* ubi *Pſalmiſta* non minùs, ac alii Clerici, nempe Lector, Subdiaconus, Diaconus &c. jubetur deponi, ſi ſponſam Chriſti, ſeu Monialem, corrupit: ſed *deponi* ab Ordine non poteſt, qui non habet Ordinem: ergo Pſalmiſta habet Ordinem. Confirmatur ex *c. 2. de Pœnis in 6.* ubi præſcribitur modus degradandi Clericum ſolenniter *uſque ad primam veſtem* incluſivè (nempe uſque ad ſuperpelliceum) *quæ datur in collatione tonſuræ; túncque radatur caput illius, ne tonſuræ ſeu Clericatûs veſtigium maneat in eodem*: ſed Degradatio ſolennis, ſicut Depoſitio Clerici, eſt dejectio ab Ordine Clericali: ergo. Prob. 4. ex *can. Apoſt 25. alias 27.* ubi Cantores numerantur unà cum Lectoribus inter eos, qui ad Clerum ſunt promoti: ergo *Cantor* (qui idem eſt, ac Pſalmiſta. *can. 20. cit.*) non minùs habet Ordinem Clericalem, ac Lector. Prob. 5. ex Trid. quod *Seſſ. 21. c. 1. de Ref.* prohibet quidquam accipi *pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam Clericalis tonſuræ*; notetur particula *etiam*, quæ eſt implicativa præcedentium. Prob. 6. ex deciſione S. Congreg. Cardd. apud Fagnanum *n. 118.* quæ reſpondit, primam Tonſuram imprimere *Characterem*, ac iterari non poſſe. Idem ſatis expreſſit Sixtus V. in *Bull. Sanctum. an. 1588.* his verbis: *ad ſuſcipiendum Clericalem Characterem alióſve Ordines*

Digitized by Google

nes &c. Prob. 7. ex Pontificali Romano, quod in *tit. de Ordinib. confer.* habet hæc verba: *pro Clericis Ordinandis parentur forſices pro incidendis capillis.* Item: *quilibet Ordinandorum debet habere ſuum ſuperpelliceum ſuper brachium ſiniſtrum.* Rurſus: *Ordinati ad primam tonſuram.* Et ubiq; ſupponit, eos *Ordinari*, quibus cõfertur prima tonſura.

Jam ſuppoſitô, quòd Tonſura ſit Ordo, probatur etiam, quòd ſit Sacramentũ, ex ratione: Ubicunq; datur ſpecialis materia, forma, & cõfertur ſpecialis poteſtas ad certum miniſteriũ ſacrum ritè obeundũ, atque ad id interna gratia, ibi datur Ordo ſpecialis & Sacramentũ à reliquis diſtinctũ: ſed in collatione primæ tonſuræ datur materia ſpecialis, & forma, item cõfertur ſpecialis poteſtas ad certum miniſterium ſacrum cum gratia interna, ergo collatio primæ tonſuræ eſt Sacramentum. *Maj.* eſt communis Theologorum ex S. Thoma in 4. *d. 24. q. 1. a. 1. & 2. q. 2. a. 1.* Trid. *Seſſ. 14. de Sacram. Pœnit. c. 2. & de Extr. Unct. c. 1.* Jam *Min.* oſtenditur ſic: *Materia* remota eſt veſtis alba. *c. 2. cit. de pœnis in 6.* ſeu ſuperpelliceum, cum exteriori raſione capillorum: *Forma* ſunt illa verba, quibus utitur Epiſcopus tradens ſuperpelliceum, nempe, *induat te Dominus &c.* vel dum ita deprecatur: *Oremus Dominum noſtrum JEſum Chriſtum pro his famulis ſuis, qui ad deponendum comas capitum ſuorum pro ejus amore feſtinant, ut donet eis Spiritum S.* Vid. Pontificale Rom. *loc. cit.* Alia forma inſinuatur *can. 20. cit. vide, ut, quod ore cantas, & quod credis, operibus comprobes.* Præterea confertur ſpecialis *poteſtas ad certum mini-*

ſterium ſacrum, nempe ad cantandos Pſalmos, Lectiones, & Reſponſoria; ſicut Lector v.g. deputatur ad Lectiones ſimpliciter pronuntiandas, vel ad legendum cum explanatione, propter quã cauſam Lectoratũ diſtinguunt Adverſarii ab aliis Ordinibus: collatio *internæ gratiæ* ſatis inſinuatur in Oratione recitata, quã facit Epiſcopus.

Oppones 1. In *can. 1. d. 77.* recenſentur Ordines, & non fit mentio Tonſuræ. Idem fit in *can. à Subdiacono d. 93.* ergo Tonſura non eſt inter Ordines collocanda. 2. Concilium Trid. *S. 23. c. 2. & can. 2.* Tonſuram non ponit inter Ordines, ſed ab eis diſertè diſtinguit; nam *c. 2. cit.* ſic loquitur: *Ordines, qui Sacerdoti ex Officio deſerviunt, ita diſtributi ſunt, ut, qui jam Clericali Tonſura inſigniti eſſent, per Minores ad Majores aſcenderent.* Ubi etiam recenſet Ordines Minores & Majores, omittit tamen Tonſuram: ergo hæc non eſt Ordo. 3. In collatione cujuslibet Ordinis debet conferri aliqua poteſtas ſpiritualis, & quidem cum relatione ad Euchariſtiæ Sacramentum. Trid. *lo. cit.* ſed non apparet, quæ poteſtas ſpiritualis conferatur per Tonſuram cum relatione & reſpectu ad Euchariſtiæ Sacramentum: ergo. ℞. ad 1. Illa Jura ſupplentur per alia, in quibus expreſſa fit mentio de Pſalmiſtatu. Dein retorq. argumentum: in *can. ſiquis Epiſcopus* cit. recenſentur ſinguli Ordines ab Epiſcopo usque ad Pſalmiſtam; & tamen nulla fit mentio Acolythi & Exorciſtæ: ergo Acolythatus & Exorciſtatus non ſunt Ordines. Negabunt utique Adverſarii *Conſ.* & rectè, quia argumentum ne-

negativum, ab auctoritate petitum, ordinariè parùm ſtringit. Ad 2. imprimis ſervit eadem retorſio. Deinde Trid. dum recenſuit Ordines, ideo non nominavit Tonſuram, ne videatur damnâſſe ſententiam oppoſitam; & quia de ſententia in utramque partem probabili noluit quidquam decîdere, ideo abſtraxit à Tonſura. Cœterùm non diſtinguit diſertè Tonſuram ab Ordinibus, quia ille aſcenſus à Minoribus ad Majores Ordines fieri poteſt, etiamſi Tonſura ſit Ordo; cùm ſic à Tonſura tanquam ab Ordine inferiore ad Oſtiariatum, ab hoc ad Lectoratum, & ſic ulteriùs gradatim fiat promotio. Adde, quòd per verba, *qui jam Clericali tonſura inſigniti eſſent*, inſinuet, per Tonſuram Clericum *inſigniri charactere ſpirituali* in anima; nam *inſigniri* dicit impreſſionem ſigni ſeu characteris: ſed iſte character non imprimitur, niſi per Sacramentum Ordinis. Sed de Trid. & Congreg. ſacræ declaratione vide *n. præced.* Ad 3. In Tonſura confertur poteſtas & officium cantandi Pſalmos, dicendi Benedictiones &c. Si autem Lector habeat ſufficientem relationem ad Euchariſtiæ Sacramentum per hoc, quòd pronuntiet Lectiones officii Divini, & ſic fideles erudiat; etiam habebit Pſalmiſta per hoc, quòd cantet Pſalmos &c. & ſic excitet corda fidelium, præparétque ad Euchariſtiam devotè ſuſcipiendam.

7 Dico 2. Epiſcopatus eſt Ordo à Presbyteratu diſtinctus, conſequenter & Sacramentum diſtinctum. Ita rurſus Canoniſtæ contra Theologos communiter; quamvis enim ferè conveniant

niant in hoc, quòd ſit *Ordo*, cùm id ſalva fide vix negari poſſe videatur; nam Timotheus legitur fuiſſe Ordinatus in Epiſcopum. *1. Tim. 4.* item Paulus & Barnabas. *Act. 13.* Anacletus autem Papa, coævus Apoſtolis, in *epiſt. 3. c. 1.* ait: *Sacerdotum Ordo, prout Dominus eum inſtituit, bipartitus eſt*, nempe Sacerdotalis & Epiſcopalis. Item clarè tanquam ſpecialis Ordo recenſetur *can. Cleros cit.* Diſcrepant tamen in hoc, quòd Theologi Epiſcopatum non diſtinguant ſubſtantialiter à Presbyteratu, ſed dicant eſſe partem ſolùm accidentaliter perfectivam Sacerdotii, principaliter conſiſtens in poteſtate offerendi Sacrificium. Cum Canoniſtis ſentit etiam Tannerus *to. 4. diſp. 7. q. 2. n. 32.* referens & alios. Prob. 1. *ex epiſt. S. Anacleti & can. Cleros citt.* 2. ex Trid. *S. 23. c. 4.* ubi ſic loquitur: *docet inſuper Sacroſancta Synodus, in ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum, nec populi &c. conſenſum, ſive vocationem, ſive auctoritatem requiri.* En! clarè inſinuat, aliam eſſe ordinationem Epiſcoporum, quàm Sacerdotum, adeóque ordinem diſtinctum. Item *can. 6.* ibidem ſic definit: *ſiquis dixerit, in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam Divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris; anathema ſit.* Ergo Epiſcopi Jure Divino ſunt ſuperiores Presbyteris poteſtate Ordinis: ergo Epiſcopatus eſt diſtinctus Jure Divino à Presbyteratu. 3. In Epiſcopatu, ſeu in conſecratione & ordinatione Epiſcopali, adhibetur materia & forma ſpecialis, item confertur poteſtas ſpecialis: ſed propter has

 cau-

cauſas admittitur diſtinctio inter aliosOrdines: ergo *Ma.* prob. *Materia* eſt impoſitio manuum Conſecrantis & Aſſiſtentium Epiſcoporum vel ſola, vel, ut alii volunt, cum impoſitione libri Evangeliorum ſuper cervicem & ſcapulas Epiſcopi conſecrandi: *Forma* ſunt alia verba, quàm adhiberi ſolita in ordinatione Presbyteri: *poteſtas* confertur major & amplior, ſcilicet ad conferendum Sacramentum Ordinis & Confirmationis, ad Ordinandos alios presbyteros &c. ſe ſe extendens. Neque Catholici Doctores negant, majorem in Epiſcopo reſidere poteſtatem, etiam Jure Divino, quàm in ſimplici Sacerdote, uti negant Hæretici, ſed ſolùm dicunt, quòd amplior hæc poteſtas tantùm ſit extenſio quædam & complementum accidentale, & pars perfectiva Sacerdotalis poteſtatis, conſiſtentis principaliter in poteſtate conſecrandi Euchariſtiam, quam poteſtatem Epiſcopatus eſſentialiter ſupponit & includit: ſiquidem Epiſcopatus adæquatè ſumptus nunquam debet conſiderari ut præciſus à Sacerdotio, ſed ut illud includens & velut inadæquatè diſtinctus ab eodem; ferè ſicut duo Sacramenta Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini inter ſe quidem realiter ac inadæquatè diſtincta ſunt, unum tamen integrum Sacramentum Euchariſtiæ conſtituunt. Nec refert, quòd Epiſcopatus eſſentialiter præſupponat ſacerdotiũ; quia etiam eſſentialiter præſupponitBaptiſmũ, ſine quo invalidè confertur omnis Ordo Sacramentalis, & tamen utique diſtinguitur à Baptiſmo. Adde, quòd Panorm. in *c. 10. de Exceſſ. Prælat. n. 4.* di-

dicat, Epiſcopatum non Sacerdoti validè conferri quoad ſubſtantiam, quamvis non quoad executionem; cùm utique Epiſcopus, qui Sacerdos non eſſet, nequiret ordinare Sacerdotem. Quòd autem Epiſcopatus ſit Sacramentum (etiam prout eſt Ordo à Sacerdotio diſtinctus) docet communis cum S. Thoma & Tannero contra Navar. Dom. Sotum, & Vaſq. *d. 237. c. 2.* apud Illſung *tr. 6. d. 8. n. 22.* quia docent communiter de omnibus Ordinibus, quòd ſint Sacramenta, etiam de Minoribus, phyſicè quidem diſtincta, unum tamen moraliter, per aggregationem & ratione finis, ad quem referuntur omnes, nempe ad conſtituendum idoneum Miniſtrum Euchariſtiæ quà Sacramenti & quà Sacrificii: ad quem finem tamen diverſimode ſe habent.

Dico 3. Speculativè probabilius eſt, quòd ad valorem Sacramenti Ordinis non ſit neceſſarius contactus phyſicus materiæ ab Ordinante traditæ, v. g. calicis & patenæ in collatione Sacerdotii, ſed ſufficit moralis. Laym. *l. 5. tr. 9. c. 5. n. 4.* cum Henriq. Vaſq. & aliis contra S. Thomam in *4. d. 24. q. 1. a. 1. quæſtiunc. 5.* (qui tamen adhibet verbum *videntur*; nam immediatè antè dicit: *porrectio materiæ magis eſt de eſſentia Sacramenti, quàm tactus*) & fortè communiorem aliorum. Prob. 1. negativè, quia non ſufficienter probatur neceſſitas contactûs phyſici. 2. Poſitivè à pari; nam de utroque Jure certum eſt, quòd poteſtas, juriſdictio, dominium rei traditæ acquiri poſſint ſine phyſico contactu, & per ſolam acceptationem pote- 8

Alienum ſeu *non-proprium*, cujus jurisdictioni ſubjectus non eſt ordinandus, qui ideo opus habet *litteris Dimiſſorialibus*, quæ ſunt licentia in ſcripto obtenta, ut quis Ordines ab alieno, cui ſubditus non eſt, accipere poſſit.

Sc. 2. Ex triplici capite aliquem poſſe eſſe 10
ſubditum Epiſcopi, ut ab eo tanquam Proprio Ordinante ſuſcipere poſſit Ordines. 1. ratione Originis. 2. Domicilii. 3. Beneficii. *c.3.h.t. in 6.* ita ut à quolibet horum initiari Ordinibus, vel omnibus, vel aliquibus, licitè poſſit; excepto caſu, quo quis ab ipſo Papa aliquem jam ſuſcepiſſet Ordinem; talis enim in reverentiam Sedis Apoſtolicæ à nullo inferiori ordinatur licitè ſine licentia Papæ. per *c. 12. h. t.* Porro ratione *Originis* ſubditi Epiſcopo ſunt, qui oriundi vel nati ſunt in ejus diœceſi, in qua pater domicilium habuit. *c.3. cit.* Nec refert, quòd quis fortè per accidens extra talem diœceſim natus fuiſſet, v. g in itinere, vel in loco, ubi mater per breve tempus morata fuit negotiorũ cauſâ; quia attenditur id, quod per ſe, non quod per accidens contingit, & fictione Juris cenſetur talis eſſe natus in loco domicilii parentum ſuorum, per *l.3. C. de Municipib.* Quando conſtare nequit de loco Originis filii, inſpiciendus eſt locus Originis patris, &, ſi patris quoque incertus ſit, tandem matris. per *l 1.&9. ad Municipalem.* Pagani & Judæi, ſi convertantur ad fidem, pertinent ad illam diœceſim, in qua baptizati ſeu ſpiritualiter nati ſunt. Expoſiti autem non tantùm ad illam, in qua nati, ſed etiam ad eam, in qua expoſiti reperiuntur. Pirh.

Barb. alii. Ratione *Domicilii* ſubjiciuntur Epiſcopo, qui in illius diœceſi domicilium ſeu ſedem fixerunt, h. e. qui habitationem cæperunt in aliqua diœceſi cum voluntate & animo ibi manendi ſtabiliter, niſi quid avocet. *l. 7. C. de Incolis*. Proin ad recipiendos Ordines non ſufficit *quaſi Domicilium*, ſeu habitatio cæpta cum voluntate manendi non ſtabiliter, ſed per aliquod duntaxat tempus, etiam per plures annos, ut habet concors DD. opinio; licèt ſufficiat ad recipienda alia Sacramenta. Ratione *Beneficii* fiunt Epiſcopo ſubditi, qui in illius diœceſi beneficium verum, jam actu collatum in titulum, & poſſideri cæptum, obtinent. *c. 3. cit*. Porro ſi quis nec Beneficium haberet, nec ſciret locum Originis ſuæ, nec paternæ, nec maternæ, nec verum alicubi Domicilium ſortiretur, meô judiciô poſſet ex æquitate ſufficere quaſi Domicilium. *arg. l. 8. C. de Judic.*

II. Dico 1. Ordines, ut validè conferantur, conferri debent ordinariè ab aliquo Epiſcopo conſecrato. Colligitur ex Trid. *Seſſ. 23. c. 4. & can. 7. de Sacram. Ord.* ſive dein ſit Epiſcopus proprius, ſive alienus, probus vel improbus, excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, degradatus, vel etiam ſchiſmaticus, aut hæreticus. per *c. 2. de Ordinatis ab Epiſcopo, qui renuntiavit.* Ratio; quia talis Epiſcopus habet & retinet poteſtatem Ordinandi, utpote fundatam in charactere Epiſcopali indelebili, ac per Eccleſiam inauferibili, qui ei confertur per Conſecrationem in Epiſcopum. Nec valor Sacramentorum pendet à probitate Miniſtri. Dixi tamen, *ordinariè*,

nariè, ſeu poteſtate ordinaria; ſiquidem *Ordinarius* quidem Ordinum collator eſt Epiſcopus ſolus; *Extraordinarius* tamen, & ex privilegio vel ſpeciali commiſſione ſummi Pontificis, poteſt etiam eſſe ſimplex Sacerdos, & paſſim aliquos Ordines conferre ſolent Abbates ac Præpoſiti Regulares (præſertim Exempti) ſacerdotio tamen initiati, benedicti, & mitrati, ſeu habentes jus utendi Mitra, Pedo, Annulo.

Sed quos Ordines, & quibus, conferre poſſunt hi Prælati Regulares? ℞. ad 1. primam Tonſuram, & minores Ordines. Aliqui etiam Subdiaconatum & Diaconatum, quibus nempe ſpecialiter conceſſum eſt, uti conceſſum fuiſſe ajunt quibusdam Ciſtertienſis & Benedictini Ordinis Abbatibus; nec enim erroris argui debet Pontifex, etiam circa factum hujusmodi particulare, ſine evidenti ratione. Collationem Presbyteratûs tamen probabiliter non poteſt indulgere Papa Sacerdoti non Epiſcopo, ut colligitur indè, quia nullum exſtat hujus conceſſionis exemplum. ℞. ad 2. Hodie poſt Tridentinum *Seſſ. 23. c. 10. de Ref.* nulli niſi ſuis ſubditis Regularibus: intellige niſi Epiſcopus det illis licentiam, primam Tonſuram vel Minores Ordines conferendi etiam aliis; quia poteſtas Regularium eſt ibi reſtricta in favorem Epiſcoporum, ac proin hi conſenſum & licentiā dare poſſunt Abbatibus ordinandi ſuos ſubditos. vid. P. Wex *in tract. de Prælat. Regul. p. 2.*

Oppones 1. Si Abbas ſine licentia Epiſcopi a conferat Ordines non ſubdito, agit invalidè: ergo etiam Epiſcopus non proprius Ordinans

non ſubditum ſine licentia Epiſcopi proprii. 2. In *can. 2. 3. cauſ. 9. q. 1.* dicitur reiterari debere Ordinationem ab excommunicato factam: ergo Epiſcopus excommunicatus ordines confert invalidè: item *in c. 1. de Schismat.* habetur: *Ordinationes*, ab hæretico Epiſcopo factas, *irritas eſſe:* ergo. ℞. ad 1. N. *Conſ.* & paritatem; quia Epiſcopis competit poteſtas Ordinandi vi Ordinis & Characteris Epiſcopalis, quem nemo ab ipſis tollere poteſt: Abbatibus autem tantùm vi privilegii, quod à Jure reſtrictum eſt. Ad 2. vel ibi ſermo eſt de caſu, quo Epiſcopi excommunicati vel hæretici non obſervant in ſuis Ordinationibus debitam formam Eccleſiæ, ad valorem requiſitam, ut explicat Gonzal. & cum eo König: vel de caſu, quo ipſe Ordinans non fuit ritè conſecratus, aut etiam nunquam Catholicus, ut exponit P. Wieſtner: vel *in can. 2. & 3.* refertur quorundam antiquiorum opinio erronea, qui putabant, iterandas eſſe Ordinationes quorumcunque excommunicatorum. In *c. 1. cit.* autem tales Ordinationes *irritæ* dicuntur quoad executionem (utpote quæ taliter Ordinatis prohibita eſt) non quoad ſubſtantiam.

13 Dico 2. Ordines, ut licitè conferantur, debent conferri ab Epiſcopo Proprio, vel ſaltem cum hujus conſenſu: item à non excommunicato, peccati mortalis ſibi non conſcio &c. Poſterior pars per ſe eſt clara; prior deſumitur ex *c. 3. cit.* Trid. *Seß. 14. c. 2. & Seß. 23. c. 8. de Ref.* Sufficit autem conſenſus à proprio Epiſcopo datus viva voce; quamvis ordinariè dari ſoleat

in

Digitized by Google

in ſcriptis, ſeu per litteras, quas vocant *Dimiſſorias*, vel *Commendatitias*, vel *Reverendas*. Iis verò, qui habent ſpeciale privilegium recipiendi Ordines à quocunque Epiſcopo Catholico, uti à Gregor. XIII. obtinuit Societas JESU, & alumni Pontificii per Germaniam, opus non eſt ſpecialis licentia proprii Epiſcopi.

Oppones 1. Ordinatio eſt actus Ordinis, & 14 ad ſummũ jurisdictionis voluntariæ, non contentioſæ: ſed actus Ordinis, & jurisdictionis voluntariæ exercentur licitè in alieno territorio ſine conſenſu Epiſcopi proprii, v. g. ſolennnis celebratio in Pontificalibus, ſolennis prædicatio Verbi Divini &c. in aliena diœceſi: quid nî ergo etiam licitè exerceantur in alienos ſubditos ſine conſenſu proprii Epiſcopi? 2. Sæpe poteſt præſumi licentia, & ratihabitio proprii Epiſcopi: ergo licitè ordinatur alienus ſubditus ſine Dimiſſoriis, vel ſine licentia oretenus data. 3. *can. 1. cauſ. 9. q. 2.* Ordinatio alieni ſubditi dicitur nullas habere vires: ergo non ſolùm illicita, ſed etiam invalida eſt. ℞. ad 1. N. *Min.* id enim prohibet Trid. *Seß. 6. c. 5. de Ref.* & quamvis aliqui Auctores explicent Trid. de uſu Pontificalium, quæ admixtam habent jurisdictionem; in Germania tamen praxis declarat etiam de iis, in quibus non intervenit actus jurisdictionis. Dein collatio Ordinum eſt etiam actus jurisdictionis voluntariæ, quem Trid. *loc. cit.* in perſonas non ſubjectas ſpecialiter prohibet ſub pœna Suſpenſionis. Ad 2. Hæc præſumpta licentia, quamvis ſubinde excuſare poſſit à pœna ſtatuta in Ordinantes alienum ſubditum,

tum, communiter tamen locum habere non debet, ne ſub hoc prætextu paſſim ordinentur alieni ſubditi. Ad 3. Diſt. *Ant.* nullas habet vires, h.e quoad executionem ſuſcepti Ordinis, à quo ordinatus, non ſubditus, eſt ipſo Jure ſuſpenſus. C. quoad ſubſtantiam & valorem intrinſecum. N. *Ant. & Conſ.*

15 Dico 3. Litteras Dimiſſorias ſuis ſubditis concedit ſolus Epiſcopus Proprius, Confirmatus tamen, & non excommunicatus: Regularibus verò ad Epiſcopum ſuæ diœceſis regulariter Prælati Regulares proprii. *c. 3. h.t. in 6.* Trid. *S. 7. c. 10. de Ref.* Dixi 1. *ſolus Epiſcopus*; unde Vicarius Generalis ſine ſpeciali mandato, aut niſi Epiſcopus agat in remotis, non poteſt concedere. *c. 3. cit.* nec Capitulum Cathedrale Sede vacante infra annum à die vacationis, niſi arctatis ratione beneficii Eccleſiaſtici. Trid. *lo. cit.* 2. *Proprius*, nempe ratione vel originis, vel beneficii, vel domicilii. 3. *Confirmatus tamen, & non excommunicatus*; quia concedere Dimiſſorias eſt actus jurisdictionis: exercere autem jurisdictionem Epiſcopus electus tantùm, & nondum confirmatus, regulariter nequit; exceptis Epiſcopis ultra-montanis, in concordia electis. *c. 44. de Elect.* Multò minùs adminiſtrare diœceſim & exercere jurisdictionem permittuntur excommunicati. 4. *Regularibus verò*, qua voce in hac materia favorabili etiam rectè intelliguntur Novitii (non tamen ad recipiendos Ordines Sacros, ad quos promoveri Novitios vetuit Pius V. in conſt. *Romanus Pontifex*) præſertim cùm per

ingreſſum Religionis cum animo perſeverandi domicilium ſortiti ſint; proin ſicut à ſuis Abbatibus Ordines Minores, ita ab iiſdem Dimiſſorias ad Epiſcopum diœceſis pro Majoribus accipere poſſunt. Sæcularibus tamen ſubditis Dimiſſorias dare prohibentur Prælati Regulares, etiam exempti, ad Epiſcopum alienum; quia in eos non exercent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ſicut in ſuos Regulares. Trid. *S.* 23. *c.* 10. *de Ref.* Si tamen hi Prælati pleniſſimo jure exempti forent, & obtinerent territorium temporale à juriſdictione Epiſcopali exemptum his ſubditis ſæcularibus, utpote in quos haberent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, concedere Dimiſſorias etiam ad alienum Epiſcopum poſſent, ſicut & conferre Ordines; quia Trid. *lo. cit.* non loquitur de Prælatis Regularibus pleniſſimo jure, ſed tantùm de ſimpliciter exemptis. 5. *ad Epiſcopum ſuæ diœceſis*, ſeu in qua Monaſterium ſitum eſt; nam ad alienum prohibentur Prælati etiam ſuis Regularibus dare Dimiſſorias. Trid. *lo cit.* Si tamen Prælati ſint exempti, probabiliter poſſunt dare ſuis ſubditis Regularibus Dimiſſorias ad Epiſcopum etiam alienum; quia Trid. ibi prohibet id Prælatis exemptis ſolùm quoad ſubditos *ſæculares* ad alienum Epiſcopum. Suffragatur praxis teſte König. 6. *Regulariter*; nam Dimiſſorias ad quemcunque Epiſcopum dare ſuis ſubditis Regularibus permittuntur illi, qui ex privilegio Apoſtolico Religioſos ſuos ordinari à quocunque Epiſcopo Catholico facere poſſunt, uti Societatis noſtræ Superiores.
Idem

Idem permittitur quibuscunque Superioribus Regularium pro caſu, quo Epiſcopus ſuæ diœceſis diu abeſt, vel longo tempore Ordinationem non inſtituet; ſed tunc exprimi in Dimiſſoriis debet cauſa abſentiæ, vel Ordinationum non habendarum ab Epiſcopo diœceſano, ut habet Conſtit. Clem. VIII. 25. Martii 1596. apud Barb. *de Off. & poteſt. Epiſc. alleg.* 7. *n.* 18.

16 Quæres, quid adhuc notandum ſit de Dimiſſoriis? ℞. ſequentia. 1. Debet in iis exprimi cauſa rationabilis, propter quam proprius Epiſcopus nolit, vel nequeat ordinare dimiſſum. *c.* 1. *h. t. in* 6. item quos Ordines conferri ab alieno concedat; nam per hoc, quòd detur poteſtas conferendi Ordines ſimpliciter, non videtur conceſſa poteſtas conferendi Sacros. *arg. c. cit.* 2. debet adjici commendatio ſeu teſtimonium de natalibus, ætate, moribus, ac ſcientia Ordinandi. Trid. *S.* 23. *c.* 8. *de Ref.* Excipiunt, niſi concedens Dimiſſorias malit ea relinquere examini illius, qui dimiſſum ordinaturus eſt, uti communiter fit; nam etiam à proprio Epiſcopo jam examinatus & approbatus ab Ordinante adhuc examinari ſolet. 3. Nihil omnino, etiam ſponte oblatum, pro ijs, vel pro Sigillo accipi poteſt. Trid. *S.* 21. *c.* 1. *de Ref.* ubi tamen Notario, qui ſalarium non habet, permittitur accipere decimam partem unius aurei. An Trid. quoad hunc rigorem in Germania ſit receptum, nôrunt illi, qui Dimiſſorias petunt. 4. Semel legitimè conceſſæ non exſpirant morte concedentis. *arg. c.* 5. *de Reſcr. in* 6. quia ſunt gratia abſolutè conceſſa. Succeſ-

Digitized by Google

ceſſor tamen, ſi nondum ſunt ſortitæ effectum, non prohibetur eas ex juſta cauſa revocare.

§. 3.

De qualitate Ordinandorum. Ubi etiam de Titulo Menſæ.

Sciendum. 1. Aliquas conditiones in eo, qui 17
Ordinandus eſt, requiri Jure Naturali vel Divino, ſinè quibus nec valida eſt, nec licita ipſius Ordinatio: alias verò Jure Eccleſiaſtico tantùm, ac ita, ut ſine iis validè quidem, ſed non licitè Ordines recipiat. Inter poſteriores eſt etiam Titulus Menſæ, de quo

Sc. 2. Per *Titulum Menſæ* intelligi cautionem, 18
qua providetur Ordinando de ſufficienti, eàque perpetua ſuſtentatione, ne mendicando, vel ſordidum quæſtum exercendo, victum quærere compellatur cum opprobrio ſtatûs Eccleſiaſtici. Eſt triplex. 1. *Titulus Beneficii*, quando nempe Ordinandus jam habet actu beneficium, idque perpetuum (non Manuale tantùm, vel Vicariam temporalem) pacificè poſſeſſum, & ſufficiens ad congruam Clerici ſuſtentationem. Trid. *Seſſ. 21. c. 2. de Ref.* Sufficit tamen probabiliter etiam perpetuum ſervitium alicujus Eccleſiæ vel Altaris, ad quod Ordinandus cum conſenſu Epiſcopi, vel alicujus Prælati, eſt ita deputatus, ut indè ali debeat, donec aliter ipſi provideatur, ut colligunt DD. ex Trid. *Seſſ. 23. c. 16. de Ref.* 2. *Titulus Patrimonii*; quando nimirum Ordinandus habet bona propria, ad ſuſtentationem Clerici ſufficientia, & quidem certa, immobilia, alteri non obligata titulo hypothe-

cæ

cæ vel alio modo, actu poſſeſſa, & reditus annuos ad ſuſtentationem ſufficientes afferentia. DD. paſſim. Quare non ſufficiunt bona poſſeſſa ſolùm ſub ſpe vel fictione Juris, uti ſe habet hæreditas filii, patre adhuc vivente; niſi pater certa bona fructifera ei jam actu donet, vel ſaltem, quod apud Nobiles ſubinde toleratur, authenticis litteris promittat. Porro hujuſmodi bona non debent poſſe ab Ordinando validè alienari, aut obligari aliis, nec debent eſſe cenſus redimibiles, niſi præſtetur cautio, quòd in eventum redemptionis comparandus ſit alius cenſus aut res fructifera. Nec ſufficit penſio à perſonis privatis promiſſa in ſingulos annos, uſque dum provideatur Clerico, ſcripto tantum firmata, & ſine reali cautione, ſeu ſine re frugifera aſſignata, ex qua ſolvatur penſio; quamvis ſufficiat juxta Trid. *c. 2. cit.* penſio talis aſſignata, & authenticis litteris firmata à Principe vel Communitate aliqua. Et talis promiſſio ſuſtentationis, uſque dum provideatur Clerico de beneficio, vel in eventum ſenii & inhabilitatis ad beneficium, non eſt titulus patrimonii, ſed ex conſuetudine ipſi ſubſtituitur, & ſimpliciter vocatur *Titulus Menſæ.* 3. *Titulus Paupertatis*, videlicet pro Religioſis, aliquam Religionem approbatam profeſſis, per *can. 1. d. 70.* quia tales debet alere Religio: in Societate JESU nō requiritur Profeſſio, ſed ſufficiunt tria vota Religioſa, poſt Novitiatum emiſſa, juxta conceſſionem Gregorii XIII. in Bull. *Aſcendente Domino.* Titulus Beneficii eſt propriè Titulus: reliqui duo ſunt potiùs in vicem Tituli, & ei tantùm æquiparantur.

Dico

Dico 1. Invalidè ordinantur 1. Fœminæ, utpote quas non modò Jus Eccleſiaſticum repellit ab Ordinibus etiam primâ Tonſurâ tantùm. *c. 8. de converſ. conjug.* ſed etiam Divinum, ut declarat nobis perpetua praxis Eccleſiæ, & ipſius Chriſti, imò Scriptura S. uti *Gen. 3. ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Et 1. *Cor. 14. mulieres in Eccleſia taceant; non enim permittitur eis loqui;* nam per Ordines conſtituitur aliquis in eminente ſuper alios fideles gradu, acquirit aliquam ſuperioritatem, & poteſtatem docendi, miniſtrandi Sacramenta &c. Ad fœminas reducuntur *Hermaphroditi*, in quibus reperitur uterque ſexus, ſi nempe prævaleat ſexus fœmineus; & probabiliter etiam, ſi prævaleat neuter; quod tamen poſterius rariſſimè ajunt contingere. Si prævaleat ſexus virilis, ſolò Jure Eccleſiaſtico repelluntur tanquam monſtroſi & irregulares propter indecentiam. *arg. can. 1. d. 36.* 2. Non baptizati baptiſmo fluminis. *c. 1. de Presbyt. non baptizato;* quia baptiſmus eſt janua & fundamentum reliquorum Sacramentorum, quod, quamvis in *c. 3. eod.* proponatur ut probabile tantùm, à Conc. Florent. tamen hunc definitum eſt. 3. poſitivè invitus, & diſſentiens ſuæ Ordinationi. *c. 3. §. iterum quæritur. de baptiſmo*, idque patet ex perpetua Traditione Eccleſiæ; qui verò ſolùm adigitur metu gravi ac injuſto, cùm adhuc ſimpliciter retineat libertatem, & velit, validè ordinatur: per *c. cit.* & probabiliter ad caſtitatem quoque ſuo Ordini annexam obligatur, niſi poſtea per diſpenſationem, quam facilè impetrabit, ſe libe-

ret. Infans tamen, uti & perpetuò amens, ordinantur validè; quamvis adultus, ſi nunquam ordinari voluit, uti & amens, qui priùs habuit uſum rationis, nec eo tempore conſenſit in ſuſceptionem Ordinum, invalidè ordinetur. Ratio diſparitatis eſt; quia non decet, ut illis, qui poſſunt, vel potuerunt conſentire, ac velle gratiam Sacramentalem, nunquam tamen conſenſerunt, vel etiam poſitivè diſſenſiunt, Chriſtus obtrudat eam: quod abſurdum non reperitur in infantibus & perpetuò amentibus.

20 Oppones. In *epiſt. ad Rom.* 16. legimus, Phæben fœminam fuiſſe in miniſterio Eccleſiæ in Cenchris. In Jure autem Canonico fit ſæpe mentio Diaconiſſarum, Presbyterarum, imò & Epiſcoparum. *can.* 18. 19. *d.* 32. & alibi: ergo fœminæ ſunt capaces Ordinum. ℞. Id non intelligendum eſt de miniſterio Altaris, quod exercetur vi alicujus Ordinis, ſed de ſervitiis utrique ſexui Chriſtianorum communibus, certam curam & munditiam requirentibus &c. ad cujusmodi officia per deſtinationem ſimplicem, vel etiam benedictionem, deputabantur fœminæ, voto caſtitatis obſtrictæ; qualia erant inſtruere catechumenas, aſſiſtere fœminarum baptiſmis, curam habere ſupellectilis lineæ ſacræ &c. Unde etiam impropriè dicebantur *Diaconiſſæ*. Sub alia ratione vocabantur *Diaconiſſæ, Presbyteræ, Epiſcopæ*, Monialium Præpoſitæ, item conjuges eorum, qui cum illarum conſenſu facti ſunt Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, ita ut tam illæ, quàm iſti, vixerint poſtea continentes. Cœterùm fœminæ à Miniſterio

alta-

Digitized by Google

altaris ita fuerunt ſemper excluſæ, ut ne quidem ſacra vaſa contingere, intra cancellos conſiſtere, aut miniſtrare presbytero ſacrificanti ipſis liceret. *can. 26. d. 23. c. 1. de cohabit. Cler. & mul.*

Dico 2. Illicitè ordinantur, qui ordinantur contra prohibitionem Eccleſiæ. Cujusmodi ſunt. 1. qui ante ſuſceptum Confirmationis Sacramentum, aut de quibus probabilis conjectura non eſt, quòd habeant intentionem Deo ſerviendi in ſtatu Clericali, initiantur primâ Tonſurâ. Trid. *S. 23. c. 4. de Ref.* probabile tamen eſt, ſolùm venialiter peccari per defectum cujuslibet conditionis ex iſtis. 2. qui Epiſcopo ordinanti non ſunt ſubjecti, ſecundùm dicta. 3. Neophyti (ſeu recèns converſi ex Paganiſmo vel Judaiſmo) *can. 9. d. 61.* niſi juxta prudens Epiſcopi arbitrium in fide Chriſtiana ſufficienter inſtructi conſtantiam ſuam ſatis probaverint. 4. uxorati, niſi cum conſenſu uxoris velint ingredi Religionem, vel ad Ordines Sacros promoveri. *c. fin. h. t. in 6.* quo caſu & uxor Religionem ingredi debet, vel ſaltem, ſi non ſit ſuſpectæ ætatis, vovere caſtitatem in ſæculo. *c. 4. 5. 6. 8. de converſ. conjug.* 5. perpetuò amentes. *can. 17. cauſ. 6. q. 1.* item quibus uſus rationis rediit. per *can. cit.* cùm poſteriores non careant periculo relabendi in amentiam. 6. infames propter crimen, infamiâ Juris, aut facti. *can. cit. c. 4. & fin. h. t.* h. e. ſi crimen ſit vel notorium in ſe, quod parit *infamiam facti*; vel per ſententiam Judicis; vel per propriam criminis confeſſionem in Judicio;

Circa Primam Tonſuram & quatuor Minores pariter nihil determinavit, requirit tamen *c. 4.* ſatis apertè annos diſcretionis, & juxta *c. fin. h. t. in 6.* debet ſuſcipiens eos, egreſſus eſſe infantiam, adeóque ſeptenniô major. Aliqui putant, ante nonum vel decimum ætatis annum rarò adeſſe annos diſcretionis pro Minoribus Ordinibus ſuſcipiendis: alii pro Acolytatu exigunt duodecimum: alii meô judiciô meliùs relinquunt arbitrio Ordinantis. Qui dubitat poſitivè, num habeat legitimam ætatem, requiſitam ad Ordinem, quem vult ſuſcipere, & rationem probabilem habet, quòd adeptus ſit, ſuſcipit licitè; non verò, qui dubitat negativè, in neutram partem habens rationem probabilem; quia prohibitio eſt in poſſeſſione, & certa, adeptio autem ætatis dubia: certum autem prævalet dubio.

9. Debitâ ſcientiâ carentes. Nam Trid. *Seſſ. 23.c. 4. 11. 13. & 14.* pro prima Tonſura exigit, ut quis noverit rudimenta fidei, item legere & ſcribere: pro Minoribus, ut quis intelligat linguam Latinam: pro Subdiaconatu & Diaconatu, ut ſciant illa, quæ ad officium ipſorum, & Ordinem exercendum neceſſaria ſunt; putant tamen multi, licitè ordinari poſſe, qui necdum ſcit modum recitandi Breviarium, cùm poſſit recitare cum ſocio perito: pro Presbyteratu, ut Ordinandus prævio examine idoneus comprobetur cùm ad docendum populum ſcitu neceſſaria ad ſalutem, tum ad Sacramenta adminiſtranda: nondum tamen requiritur præcisè pro Sacerdotio ea ſcientia, quæ ne-

neceſſaria eſt Confeſſario, quia ad hoc Sacramentum adminiſtrandum opus eſt ſpeciali *Approbatione* Epiſcopi poſt prævium examen, niſi aliude conſtet de illius idoneitate, pro *cura animarum.* Trid. *c.* 15.

24 10. Competenti morum probitate deſtituti. Nam Trid. *S.* 23. *c.* 5. 13. 14. *citt.* pro ordinandis Minoriſtis exigit bonum teſtimonium Parochi, vel Magiſtri Scholarum, ubi educantur, de vita eorum & moribus: pro Subdiaconis & Diaconis præter bonum teſtimonium, ut ſint in Minoribus Ordinibus jam probati, & confidant de ſe, quòd Deo adjuvante continentiam ſervare poſſint: pro Presbyteris præter bonum teſtimonium, ut ſint viri in Miniſteriis Sacris jam piè fidelitérque verſati, eáque pietate & caſtis moribus conſpicui, ut præclarum bonorum operum exemplum & vitæ monita alii ab ipſis exſpectare poſſint. Ratio eſt clara, quia Clerici, præſertim Sacerdotes, ſunt Legati Dei, Vicarii Chriſti, Paſtores gregis, & Duces populi: ſed hæc ſtatûs ſublimitas utique exigit inſignem vitæ morúmque integritatem, ac omnigenæ virtutis ornatum; aliàs enim non modò ſe ipſos perdunt, ſed & alios perverſô ſuô exemplô in exitium trahunt.

25 11. Denique Irregularitate quacunque impediti, quas omnes memoriæ causâ aliqui his verſibus comprehenſas exprimunt:

Infirmus: demens: vitiatus: fœmina: ſervus:
Infamis: novus: ignorãs: Baptiſmate peccans,
Ordinéve: occidens: mutilans: bigamúsque:
nothúsque:

Hæ-

Hæreſis: obſtrictus: pauper: puer exulat aris.
De multis in hoc titulo egimus, uti de *demente: fœmina* (vel potiùs hermaphrodito; nam fœmina Jure Divino Ordinum eſt incapax) *infami* (quò etiam *pauper*, ſi eſt perſona vilis, referri poteſt) & criminoſo: de *Novo* (ſeu Neophyto) *ignorante: puero*. De reliquis agemus tum in hoc libro I. tum in V. ſcilicet de *Infirmo*, & *Vitiato* ad titulum 20. de Corpore vitiatis: de *Servo* ad tit. 18. de ſervis non Ordinandis: de *Bigamo* ad tit. 21. de bigamis non ordinandis: de *Notho* ſeu illegitimè nato, ad tit. de Filiis Presbyt. de *Obſtricto* ad tit. 19. de obligatis ad ratiocinia. In lib. V. autem de *peccante in Baptiſmate* ad tit. 9. de Apoſtatis & reiterantibus Baptiſma: de peccante in *Ordine* ad tit. 17. de Clerico excomm. &c. miniſtrante, & ad tit. 18. de Clerico non Ordinato miniſtrante: de *occidente*, & *mutilante* ad tit. 12. de Homicidio voluntario: demum de *Hæreſi* ad tit. 7. de Hæreticis.

Dico 3. Ad Subdiaconatum, vel alium Ordinem Sacrum, nullus promovetur licitè ſine Titulo Menſæ. Trid. *S. 21. c. 2. de Ref.* Pœna Epiſcopi aliquem Ordinantis ſine Titulo Menſæ eſt obligatio eum alendi (niſi Ordinatus de ſua vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ habeat) usque dum ei provideat de Beneficio. *c. 2. 4. & 16. de Præb.* tranſitque hoc onus tanquam reale ad ſucceſſores Ordinantis. per *c. 16. tit.* Si verò Epiſcopus careret omni culpa, etiam hæc obligatio ceſſaret in ipſo, & tranſiret ad Vicarium Generalem, vel alium, qui cul- 26

pabiliter admiſit, vel per fraudem intruſit deſtitutum Titulo: tenebitur tamen Ordinans in horum defectum; cùm hæc obligatio impoſita ſit non tam in pœnam, quàm in honorem Statûs Clericalis, ne cum hujus dedecore Ordinatus debeat mendicare, vel ſordidum quæſtum facere. Trid. *lo. cit.* Is verò, qui doloſè ſe intruſit ſine Titulo, incurrit ſuſpenſionem. *can. 1. 2. d. 70.* quam pœnam ſuſtulit quidem *c. 16. cit.* ſed Trid. rurſus probabiliùs innovavit, quia in fine addit: *Antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovando.*

§. 4.

De Temporibus Ordinationum. Ubi etiam de Interſtitiis.

27 Sciendum, non ſolùm certa tempora & dies pro collatione Ordinum deſignatos eſſe à Jure, ſed etiam certa temporum intervalla, ſeu *interſtitia*, ut vocant, quæ intercedere debent inter Ordinem inferiorem ſuſceptum, & ſuperiorem conferendum: ſiquidem Ordines *gradatim* conferri debent (non per ſaltum) incipiendo ab inferiorbus, nempe à prima Tonſura, & 4. Minoribus, tum progrediendo ad Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum, *c. un. de Clerico per ſaltum promoto.* Ordo tamen ſuperior, quem quis nondum initiatus inferiore ſuſcipit, valet, excepto probabiliùs Epiſcopatu, qui eſſentialiter præſupponit Sacerdotium prius collatum. Inferior autem Ordo, qui fuit prætermiſſus, debet poſtea ſuppleri, ſi reſciatur omiſſio, *c. un. cit.*

Dico,

Digitized by Google

Dico 1. Tempora ſeu dies, quibus conferri 28
debent Ordines Majores, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, ſunt Sabbatha quatuor Temporum, Sabbathum Dominicam Paſſionis præcedens, & Sabbathum ſanctum. *c. 1. & 3. h. t.* Ex rationabili tamen cauſa, v. g. ob multitudinem Ordinandorum, vel infirmitatem Ordinantis, licet Epiſcopo continuare Ordinationem, vel transferre in diem Dominicam ſequentem, ſi tam ipſe, quàm Ordinandi, eousque continuaverit jejunium; quia veſpera Sabbathi & tempus Matutinum Dominicæ reputantur in Ordine Eccleſiaſtico pro una die. *c. 13. eod. Si continuaverit jejunium*, inquam; nam juxta *c. cit. can. 1. d. 67.* & receptam conſuetudinem Epiſcopus debet ſaltem in illo die, quo Ordines confert, præmittere Ordinationi jejunium (uti & ipſi Ordinandi debent eſſe jejuni) ad exemplum Apoſtolorum, qui, antequam Paulum & Barnabam ordinarent, priùs *jejunantes & orantes* impoſuerunt eis manus. *Act. 13.*

Et hinc etiam Eccleſia ſelegit ſolennia fideli- 29
um jejunia pro temporibus Ordinationum, ut per ea & orationes Eccleſiæ impetretur major Ordinandis gratia. Sed nec Ordinans, nec Ordinandi, jejunare pridie tenentur, ſi Ordinatio fiat extra tempora, quibus aliàs præceptum eſt jejunium ab Eccleſia; quia hæc obligatio non poteſt probari. Dixi, *Majores*; nam prima Tonſura quolibet anni die, & horâ, conferri poteſt, ut patet ex *Pontificali Romano*, & conſuetudine. Ordines Minores autem quovis die Dominico aut feſto, quod celebratur in foro, ſed manè

 ta-

Digitized by Google

tamen. *c. 1. & 3. citt. Pontif. Rom. de Ordin. conferend.* Epiſcopatus, ſeu Conſecratio Epiſcopi, conferri debet die Dominica. *can. 5. d. 75.* ſuffragante conſuetudine. *Extra tempora* aſſignata (ſecluſo privilegio Apoſtolico) illicitè conferuntur & ſuſcipiuntur Ordines; cujusmodi privilegium (citra communicationem, qua aliàs gaudent alii Religioſi) conceſſit Gregor. XIII. Societati JESU per Bull. *Pium. & utile*, vi cujus extra tempora, & non ſervatis interſtitiis, ejus alumni poſſunt ſuſcipere Ordines Majores etiam tribus diebus feſtis continuis. Aliorum verò Regularium, quo gaudebant ante Trid. quoad ſuſceptionem Majorum Ordinum extra tempora, privilegium ab eodem revocatum eſt. *Seſs. 23. c. 8. de Ref. juncta Seſs. 25. c. 22. de Regular.*

29 Dico 2. Inter unum & alterum Ordinem de Jure ſervanda ſunt *interſtitia*, ſeu intervalla unius anni, ſcilicet à ſuſceptis Ordinibus Minoribus uſque ad Subdiaconatum, ab iſto uſque ad Diaconatum, ab hoc uſque ad Presbyteratum ſemper intercedere debet ſpatium unius anni, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videatur. Trid. *Seſs. 23. c. 11. 13. 14.* Inter primam Tonſuram verò & Minores, uti & inter ipſos Minores, non neceſſariò obſervandum eſt aliquod interſtitium, ſed eodem die poſſunt omnes conferri, ut declarat praxis, præſertim Germaniæ. *Annus* non debet computari Mathematicè, ſed moraliter, ut habet communis, & declaratio Cardinalium: quare ſufficit annus Eccleſiaſticus, v. g. à Quadrageſima ad Quadrageſimam, à Pentecoſte ad Pentecoſten, etiamſi altero anno citiùs veniat Quadrageſima, vel Pentecoſte,

&

& annus Solaris ab ultima Ordinatione nondum integer effluxerit, ſeu 12. menſes: ac viciſſim à fortiori ſufficit, ſi annus Solaris jam fluxit, nondum tamen annus Eccleſiaſticus. Ratio requirendi hæc interſtitia fuit, ut in eis accreſcat cum ætate ac tempore majus vitæ meritum, majórque doctrina & aptitudo ad tam ſublime miniſterium, ac inſuper major concilietur Ordinibus æſtimatio, & Ordinatis reverentia. Porro ſpecialiter cautum eſt in Trid. *c 13. & 14. cit.* ne duo *Sacri* Ordines eodem die conferantur, etiam Religioſis, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis. Neque Subdiaconatus cum minoribus ſpectato Jure conferri poteſt eodem die. *c. 2. de eo, qui furtivè.* Trid. *c. 11. cit.*

Ex dictis infertur 1. Neminem, præter Pa- 30
pam, poſſe diſpenſare ad conferendos & recipiendos Ordines extra tempora, à Jure ſtatuta, niſi cui ille conceſſerit; quia Papæ ſoli competit poteſtas diſpenſandi in Jure Communi. 2. In Interſtitiis verò conceſſum eſſe Epiſcopis diſpenſare, ut indicat Trid. *loc. cit.* non verò Prælatis Regularibus cum ſuis Religioſis. Capitulum tamen Cathedrale Sede vacante, & Vicarius Generalis, quando dare poſſunt litteras dimiſſorias, in Interſtitiis diſpenſare valent, ut DD. communiter deducunt. Sed notandum diligenter eſt, ut Epiſcopus, vel Capitulum &c. dans Dimiſſorias, iis inſerat, ſe diſpenſare in Interſtitiis, ſi diſpenſandum eſſe judicent: nam Epiſcopus alienus, ad quem dimittunt, propter defectum juriſdictionis diſpenſare nequit. Cauſa diſpenſandi ſufficiens eſt 1. neceſſitas, ſi nempe

pe

Digitized by Google

pe eſt defectus Miniſtrorum Eccleſiæ, vel Ordinandus habet actu beneficium. 2. Utilitas Eccleſiæ, ſi nimirum ab Ordinando ſperatur Eccleſiæ impendendum magnum obſequium. 3. Si Ordinandus ſit Canonicus Cathedralis vel Collegiatæ Eccleſiæ: ſi ſit Doctor, vel Licentiatus, vel Baccalaureus SS. Theologiæ, vel huic ſtudio per triennium ſedulam navavit operam: ſi ſit Doctor vel Licentiatus Juris, vel utriusque, vel ſaltem Canonici: ſi annum ætatis vigeſimum ſextum jam exegerit, vel parentes ejus quinquageſimum, & pro ſolatio ſuo Ordinationem filii urgeant. Atque has cauſas adducunt multi ex declaratione Cardinalium, quæ tamen in ultimo caſu requirit, ut petens diſpenſationem in Interſtitiis, per triennium in habitu Clericali laudabiliter jam vixerit. De reliquo certum eſt, quòd minor cauſa, nempe quæcunque Epiſcopo videtur rationabilis, requiratur ad diſpenſandum, ut quis intra annum à Minoribus ad Subdiaconatum, & ab iſto ad Diaconatum promoveatur, quàm ut à Diaconatu ad Presbyteratum; quia Trid. pro diſpenſatione in prioribus Interſtitiis non facit mentionem *neceſſitatis vel utilitatis Eccleſiæ*, bene tamen in poſterioribus. P. Engel *n. 20.* reprehendit illam conſuetudinem, qua paſſim ſine delectu perſonarum & neceſſitate Eccleſiæ intra annum, vel etiam intra unam Quadrageſimam, omnes Sacri Ordines alicui conferuntur, & in Sacerdotem ac vitæ Spiritualis magiſtrum promovetur, qui vix cæpit eſſe diſcipulus, nec Mundanos adhuc mores depoſuit. Et nuper In-

noc-

noc. XII. in Conſt. *Speculatores* an. 1694. magis reſtrinxit Epiſcoporum poteſtatem, onerando eorum conſcientias ſtrictiſſimè, ſi ſine cauſis magis rationalibus diſpenſent in Interſtitiis. Superiores Societatis noſtræ habent quidem poteſtatem à Greg. XIII. diſpenſandi in Interſtitiis, uti & ad receptionem Ordinum extra tempora, cum ſuis ſubditis, ſed ea quoad Interſtitia reſervatur Provinciali, quoad tempora Ordinationum verò ſoli Generali, ut declaratur in *Compendio Privilegiorum* ejusdem Societatis.

Quæres, in quo loco conferendi ſint Ordines? ℞. 1. Omnes conferendi ſunt intra diœceſim Epiſcopi Ordinantis. Trid. *Seſſ.6.c.5.de Ref.* ubi inſuper prohibetur Epiſcopus proprios ſubditos ordinare in aliena diœceſi ſine expreſſa licentia Ordinarii loci ſub pœna ſuſpenſionis latæ ſententiæ ab exercitio omnium Pontificalium, adeóque etiam à collatione omnium Ordinum. Pariter ipſe Ordinatus ipſo Jure ſuſpenſus eſt ab executione Ordinum, qui ſic ſuſcepit Ordines Majores, unum vel plures, quamdiu placuerit Ordinario loci. Trid. *loc. cit.* Bull. Pii II. *cùm ex Sacrorum. 1461.* ℞. 2. Ordines Majores conferendi ſunt in Eccleſia Cathedrali, vel ſaltem, ſi Epiſcopus verſetur in alio loco ſuæ diœceſis, in Eccleſia digniori illius loci, ac præſente Clero. Trid. *S. 23. c. 8.* quia verò ibi nullo verbo indicatur præceptum, ſaltem grave peccatum non erit, ſi Epiſcopus contraveniat. Deberent autem conferri Ordines durante Miſſa, per *c. 28. de Elect.* ſuffragante praxi, exceptis tamen 4. Minoribus. 31

§. 5.

§. 5.

De pœnis malè Ordinantium, & malè Ordinari ſe permittentium.

32 Sciendum, quòd Epiſcopus contra prohibitionem SS. Canonum ſcienter conferens Ordines, eóſque ſcienter ſuſcipiens, ſemper uterque peccet, non tamen ſemper incurrant pœnas Eccleſiaſticas, utpote quas Jura ferè pro 5. tantùm caſibus decreverunt, nimirum 1. in conferentem & recipientem Ordines extra tempora. 2. ante ætatem legitimam, aut illiterato, vel conjugato. 3. ſine Titulo Menſæ. 4. in ordinantem non ſubditum ſine licentia Epiſcopi proprii. 5. in ordinantem in aliena diœceſi ſine conſenſu Ordinarii loci. De pœnis Ordinantium & Ordinatorum ſine prævio ſcrutinio dicetur *tit. 12. ſeq.* De pœnis, quas incurrit Epiſcopus ordinans in aliena diœceſi ſine licentia, dixi in §. 3. & 4. utrobique in fine: nunc de reliquis.

33 Dico 1. Pœna *Ordinantis* extra tempora à Jure ſtatuta eſt ſuſpenſio, ſaltem ferendæ ſententiæ, à collatione Ordinis illicitè collati, & iſtô ſuperiorum. *c. 2. 8. 13. h t.* Pœna verò taliter *Ordinati* (nimirum in Sacris) eſt pariter ſuſpenſio ab executione Ordinum ſuſceptorum, per Jura *citt.* & quidem ſuſpenſio latæ ſententiæ juxta Bull. Pii II. *Cùm ex Sacrorum. 1461.* Si verò miniſtret ante abſolutionem in Ordine ſic malè ſuſcepto, incurrit irregularitatem (quod ſemper contingit, quotieſcunque aliquis ante abſolutionem obtentam miniſtrat in aliquo Ordine,

dine, qui irretitus eſt cenſurâ) diſpenſabilem tamen à proprio Epiſcopo. *c. 16. eod.* Qui verò eodem die confert alicui duos Ordines Majores, vel intra duos quidem dies, ſed continuato eodem jejunio, ſuſpenditur ſaltem per ſententiam à collatione utriusque Ordinis, recipiens verò tantùm ab executione Ordinis ultimò ſuſcepti. *c. 13. cit. in fine.*

Dico 2. Pœna *Ordinantis* ante legitimam ætatem eſt iterum ſuſpenſio ferendæ tantùm ſententiæ, non latæ. *c. 14. eod.* Sed intellige de conferente Ordinem aliquem ex Majoribus; nam conferens primam Tonſuram alicui ante legitimam ætatem, vel illiterato, vel conjugato, quem Jus ordinari non permittit, ipſo Jure ſuſpenſus eſt per annum à collatione Tonſuræ. *c. fin. eod. in 6.* quæ tamen pœna non extenditur ad conferentem Ordines Minores ante ætatem præſcriptam; quia de his Jura tacent, nec ullam pœnam ſtatuunt. Pœna autem taliter *Ordinati* eſt ſuſpenſio ab executione Ordinis Sacri, quem mala fide ſuſcepit ante ætatem legitimã, & quidem in perpetuum, nempe uſque dum abſolutionem impetret, quam ei dare poteſt Epiſcopus, vel Confeſſarius privilegiatus. Poteſt præterea talis puniri privatione beneficii Eccleſiaſtici, vel alio modo. *Bull.* Pii II. *cit.* Nulla tamen pœna reperitur ſtatuta in eum, qui ante legitimam ætatem ſuſcepit primam Tonſuram, vel Ordinem non Sacrum. 34

Dico 3. Pœna *Ordinantis* non-ſubditum ſine Superioris proprii conſenſu eſt ſuſpenſio latæ ſententiæ à collatione omnium Ordinum per inte- 35

integrum annum: *Ordinati* verò (intellige iterum in Majoribus) ab executione ſuſceptorum Ordinum, quamdiu proprio ejus Ordinario videbitur expedire. *c. 2. h. t. in 6. Bull. Pij II. cit. Trid. S. 23. c. 8. de Ref.*

Notandum verò eſt, quòd hæ pœnæ ſint decretæ in ſcienter, temerè, vel cum affectata ignorantia indebitè conferentes & ſuſcipientes Ordinem aliquem Sacrum, ſecundùm Jura *citt.* ac proinde non incurrantur ab iis, qui laborantes ignorantiâ probabili, vel probabili ratione nixi, quòd licitè agant, conferunt vel recipiunt; cùm non peccent graviter: pœnæ autem tam graves non incurrantur ſine gravi culpa.

TITULUS XII.

De Scrutinio in Ordine faciendo.

SUMMARIUM.

1. *Scrutinium ſeu examen Ordinandorum eſt triplex.*
2. *Quinam teneantur ſubire examen.*
3. *Super quibus rebus illud inſtituendum. Ubi etiam de ſingulorum Ordinum officio proprio.*
4. *Interrogatus in actuali Ordinatione Sacellanus de dignitate Ordinandorum poteſt affirmare, eſſe dignos, licèt privatim ſciat alicujus impedimentum.*
5. *Nec Ordinandus tenetur prodere ſuum defectum occultum, propter quem repelleretur ab Ordinibus.*
6. *Quæ ſit pœna Ordinantis & Ordinati ſine Scrutinio.*
7. *An valeat Ordinatio indigni.*

Sci-

SCiendum, *Scrutinii* nomine intelligi examen Ordinandorum, & inquiſitionem in eorum ætatem, vitam, ſcientiam &c. ne ad Ordines promoveatur indignus, aut impedimento Canonico laborans. Scrutinium in Jure triplex occurrit: *primum* juxta Trid. *S. 23. c. 5. de Ref.* faciendum eſt per menſem ante Ordinationem à parocho, vel alio, quem Epiſcopus conſtituerit: ſed hujus in Germania vix eſt uſus, ac ejus vices ſupplere ſolent teſtimonia, quæ exiguntur à Profeſſoribus & Præfectis Scholarum, meliúsque dantur clauſa, quàm aperta, quia ſic dantur ſynceriora. Dilingæ tamen hujus Scrutinii umbra quædam videtur eſſe in uſu, dum ex voluntate Epiſcopi prius à Profeſſoribus examinari debent Ordinandi, antequam ad examen coram Deputatis Epiſcopi ſubeundum admittantur. *Secundum*, ut inſinuat idem Trid. *c. 7.* inſtituendum eſt ab ipſo Epiſcopo, aſcitis aliis viris peritis, una vel pluribus diebus immediatè ante Ordinationem: ex conſuetudine fit à Vicario Generali Epiſcopi, aliíſque ab Epiſcopo deputatis. Quinam hoc examen ſubire debeant, & quibus ſuper rebus illud inſtitui, ſtatim dicemus. *Tertium* fit in ipſo Ordinationis actu circa eos, qui ordinantur in Diaconos & Presbyteros juxta *c. un. h. t. & Pontif. Rom.* hoc modo: Archidiaconus (hodie Sacellanus Epiſcopi, vel Diaconus, aſſiſtens Ordinanti) poſtquam Diaconandos & Presbyterandos præſentavit Epiſcopo interrogatur ab eodem: *ſcis illos dignos eſſe?* cui ille reponit: *quantùm humana fragilitas noſſe ſinit, & ſcio & te-* 1

ſtificor, ipſos dignos eſſe ad hujus onus officii. Sed hinc oritur quæſtio utilis, quæ etiam in aliis hujusmodi caſibus moveri poteſt, quid talis Sacellanus &c. ſi privatim ſciat in aliquo Ordinando occultum defectū, in his circumſtantiis deprehenſus agere debeat? Item an occulto defectu laborans teneatur illum prodere, & ſic facere, ut repellatur à ſuſceptione Ordinum.

2 Dico 1. Examen, coram Epiſcopo, vel ejus deputatis, paulò ante Ordinationem inſtitui ſolitum, regulariter ſubire debent omnes Ordinandi, ſaltem qui Majoribus initiari petunt, etiam Religioſi. Trid. *c. 12. can. 2. & 5. d. 24.* Dixi 1. *regulariter;* ſi enim Epiſcopus aliunde ſciat, in Ordinando reperiri omnes qualitates requiſitas, non tenetur eum ſubjicere examini. per *can. 2. cit.* uti nec illum (quamvis poſſit, & ordinariè fieri ſoleat) qui cum Dimiſſoriis acceſſit, à ſuo Ordinario jam examinatus & approbatus. Præterea Doctores & Licentiati SS. Theol. aut SS. Canonum rectè non examinantur, ut colligitur ex Trid. *S. 7. c. 13. de Ref.* ubi eximuntur ab examine, qui ab aliqua Univerſitate vel Collegio Generalium Studiorum nominantur ad beneficia: ſi autem ad beneficia non ſunt examinandi, cur non poſſint admitti ad Ordines (quod minus eſt) ſine examine, quibus aliqua Univerſitas Gradus Litterarios conceſſit? Dixi 2. *etiam Religioſi;* quorum privilegia & exemptiones ab examinibus, quo gaudebant ante Trid. ibidem *c. 12. cit.* revocata ſunt. Religioſis tamen Societatis JESU Gregor.

gor. XIII. *in Conſt. Pium & utile* de novo conceſſit, ut ab Epiſcopis examinari non debeant de Cantu, Officiis, & Ceremoniis Eccleſiaſticis, vitâ, moribus, ætate, natalibus, proprii Ordinarii licentia, aliiſque in Ordinando requiſitis. Neque hæc Conſtitutio per Bullam Sixti V. revocata eſt, ut exiſtimant Miranda & Barboſa, imò, licèt revocata fuiſſet, renovata tamen fuit à Paulo V; in Bull. *Quantùm Religio.* Verùm hoc privilegium aliis Religioſis non communicatur per generalem communionem privilegiorum. Bulla *Pium & utile cit.*

Dico 2. In Scrutinio prædicto diligenter inquiri debet in genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem Ordinandorum: *can. 5. cit.* Trid. *S. 23 c. 7. de Ref.* Dixi 1. *genus*, an nempe Ordinandus non deſcendat ex genere maculato, ut Jura loquuntur; circa fidem, ſeu ex parentibus hæreticis. Sed hoc in Germania non multùm attenditur. 2. *perſonam*, an non ſit ſervus, obligatus, bigamus, uxoratus &c. quæ irregularitates abeſſe præſumuntur, ſi Ordinandus neget, & nemo probet. 3. *ætatem*, quæ probatur ex teſtimonio Parochi: legitimi verò natales per atteſtationem Magiſtratûs, vel ejusdem Parochi atteſtatû. 4. *inſtitutionem*, qua voce intelligitur juxta *gl.* & Barb. Titulus Menſæ: ſed mea opinione non malè intelligitur notitia, quam Ordinandus habere debet circa ea, quæ pertinent ad ejus officium: nimirum quòd *Pſalmiſtæ* ſit cantare Pſalmos, Reſponſoria &c. *Oſtiarii* cuſtodire Eccleſiam, dignos admittere, indignos exclu- 3

cludere: *Lectoris* ſacra lectione fidelium animos ad pietatem excitare: *Exorciſtæ* invocare ſuper energumenos & catechumenos: *Acolythi* deferre lumina, vinũ & aquam ad Sacrificium. Quæ omnia, quamvis etiam à Laico fieri poſſint ac ſoleant, à taliter tamen Ordinatis fiunt ex officio & ſpeciali deputatione: *Subdiaconi* calicem in Miſſa ſolenni deferre ad Altare, cantare ſolenniter Epiſtolam, deferre habitum & tonſuram Clericalem, recitare Breviarium, ſervare caſtitatem ex voto Sacris Ordinibus annexo: *Diaconi* immediatè in omnibus miniſtrare Sacerdoti ſolenniter Sacrificanti, cantare Evangelium, prædicare Verbum DEI, baptizare in neceſſitate &c. *Presbyteri* demum adminiſtrare Sacramenta, docere populum neceſſaria ad ſalutem &c. 5. *Mores*; nam infamiâ laborantes propter crimen, publicè pœnitentes, incontinentes &c. ordinari non debent. *c. fin. de tempor. Ord. can. 55. d. 50. can. 5. d. 55.* 6. *doctrinam*, pro ſingulis Ordinibus requiſitam juxta dicta *tit. præced. n. 23.* quæ dignoſcitur partim ex teſtimoniis, partim per actuale examen: quo modo etiam deveniri poteſt in notitiam vitæ & morum. 7. *Fidem*, an nempe Ordinandus ſit firmus in fide Catholica, non Neophytus. Præter hæc inveſtigari debet in alia, de quibus *tit. præced.* uti in Titulum Menſæ, in Dimiſſorias, ſiquis aliena ex diœceſi accedat, &c.

4 Dico 3. Interrogatus in actuali Ordinatione Sacellanus, an Ordinandos ſciat eſſe dignos, privatim verò conſcius alicujus in aliquo Ordi-

dinando impedimenti vel defectûs, cum veritate & bona conſcientia reſpondere poteſt, ſe ſcire dignos, quantùm humana fragilitas nôſſe ſinit. Ratio quia hæc verba profert non ut perſona privata & ſecundùm notitiam privatam, ſed ut perſona publica & ſecundùm notitiam publicam, quam habet ex approbatione examinantium. Senſus itaque eſt, ſe ſcire, Ordinandos eſſe publicè dignos, ſeu haberi pro talibus. Interim tamen, ſi hunc defectum ſcivit, antequam procederetur ad actualem Ordinationem, tenebatur in conſcientia monere vel Ordinantem, vel ipſum Ordinandum, ne accederet, ſi hac monitione probabiliter credidit ſe aliquid effecturum: ſi hoc non credidit, neque defectum probare potuit, debebat pro illa vice officium præſentandi declinare. Ad ſimilem monitionem tenentur omnes alii, qui privatim ſciunt aliquod impedimentum vel defectum in Ordinando, ſicut qui ſciunt impedimentum inter contracturos Matrimonium.

Dico 4. Probabile eſt, Ordinandum, qui ſolus novit in ſe defectum Juris Eccleſiaſtici, aliis non cognitum, in Scrutinio non obligari prodere ſuum defectum vel impedimentum occultum. Ratio, quia hanc obligationem nullibi imponit Jus Eccleſiaſticum, ſaltem id non ſatis probatur: tam gravis autem obligatio ſeipſum vel infamandi, vel ſaltem impediendi à tanto favore, quem quis habet ex Ordinibus, afferi non debet ſine ſufficienti fundamento. Videantur dicta ad *tit. de Conſtit. n. 68. 69. & tit. de Elect. n. 27. 28.* Diſſentiunt Panor-

 mit.

Digitized by Google

mit. & alii plurimi. Oppones. In *can. 55. cit.* deponi jubetur, *qui ſe ordinationis tempore non prodidit fuiſſe pœnitentem:* ergo fuit obligatio, ſuum defectum manifeſtandi. ℞. N. *Conſ.* Juſtè enim prohibetur quis exercere Ordinem, quando conſtiterit de impedimento, quamvis non fuerit obligatus prodere impedimentum, quamdiu non cònſtabat. Dein ibi non eſt ſermo de impedimento occulto, quia de *publicè* pœnitente (quamvis id ignoraverit Epiſcopus) nam privatim pœnitens non prohibetur ordinari. Pariter nihil probatur ex *can. 5. d. 81.* quia nec ibi jubetur aliquis defectum occultum prodere, ſed ſuſtinere depoſitionem ſibi inflictam, *cùm compertum fuerit.*

6 Quæres, an & cui pœnæ ſubjaceat tum Ordinans ſine prævio Scrutinio, tum ſine eo Ordinari ſe faciens, tum qui in Scrutinio non detexit ſuum impedimentum? ℞. 1. Ordinans ſine Scrutinio ignotum, ſeu de cujus habilitate priùs ei non ſufficienter conſtabat, arbitrariè puniri poteſt: Ordinans verò cum ſcientia impedimenti privetur Ordinandi poteſtate. *can. 55. cit.* ℞. 2. Ordinari ſe faciens ſine Scrutinio, ſeu furtivè ſemet Ordinandis ingerens, ſuſpendendus eſt ab exercitio Ordinis furtivè ſuſcepti. *can. fin. d. 24.* & careat executione, quamdiu Epiſcopus cum ipſo non diſpenſaverit, etiamſi aliàs dignus fuiſſet; modò non fuerit notoriè dignus. Si verò ſub pœna excommunicationis prohibitum fuerit ab Epiſcopo, ne quis ſine examine accederet; vel ſiquis furtivè ſuſciperet duos Majores Ordines eodem die

(non

(non verò ſi Subdiaconatum cum Minoribus, quod à Trid. non prohibetur ſub pœna) videtur eſſe ſuſpenſus ipſo Jure ab executione omnium Ordinum, quos habet, per *c. 1. & ſeqq. De eo, qui furtivè.* ℞. 3. Non detegens ſuum impedimentum in Scrutinio, ſi tamen illud fuit aliàs manifeſtum, vel poſtea compertum, deponi jubetur. *can. 5. & 55. citt.* non tam propter culpam, in non manifeſtando defectu occulto commiſſam, quàm propter indignitatem & inhabilitatem, vel irregularitatem pro foro externo ſtatutam, & poſtea detectam. Adeóque hæc non eſt propriè depoſitio, quatenus hæc eſt pœna; ſed quatenus eſt prohibitio exercitii Ordinis, facta inhabili.

At valétne Ordo furtivè accedenti, vel indigno collatus? ℞. Affirmativè, niſi Epiſcopus expreſſam & poſitivam intentionem habuerit indignum, vel furtivè accedentem, non Ordinandi; quod non præſumitur; modò indignus non ſit incapax Ordinis Jure Divino vel Naturali. Nec obſtat, quod Epiſcopus proteſtetur, ſe nolle ordinare indignos; quia id facit tantùm ad oſtendendam ſuam diſplicentiam, & quòd nolit ordinare ſcienter indignos. 7

TITULUS XIII.

De Ordinatis ab Epiſcopo, qui renuntiavit Epiſcopatui.

SUMMARIUM.

1. 2. *An validè & licitè Ordinet Epiſcopus, poſtquam renuntiavit loco: aut loco & dignitati ſimul.*

3. Ordinatus ab Epiſcopo, qui renuntiavit loco & dignitati ſimul, non poteſt exercere Ordines ſine diſpenſatione.

SCiendum, quòd Epiſcopus renuntiare poſſit Epiſcopatui dupliciter, nempe 1. *loco tantùm*, h. e. curæ, officio, & adminiſtrationi Epiſcopali; quia v.g. valetudinis causâ moratur alibi. 2. *loco & dignitati ſimul*, h. e. etiam Ordini Epiſcopali, vel potiùs executioni Ordinis Epiſcopalis; quia v. g. timet depoſitionem ob delictum.

1 Dico 1 Epiſcopus, qui renuntiavit loco tantùm, validè ordinat, quia retinet Ordinem Epiſcopalem; & licitè, ſi rogatus ab aliquo Epiſcopo confert Ordines, vel cum licentia illius Epiſcopi, in cujus diœceſi exiſtit. *c. 1. h. t.* Si autem non accederet alicujus Epiſcopi licentia, ageret illicitè: quia poſt talem renuntiationem nullos ampliùs habet ſubditos.

2 Dico 2. Epiſcopus, qui renuntiavit loco & dignitati ſimul, validè quidem ordinat quoscunque, licitè tamen neque cum licentia alicujus Epiſcopi confert Ordines Majores. *c. 1. cit.* Ratio prioris partis eſt; quia retinet Ordinis Epiſcopalis characterem, adeóque habet, quidquid ad validam Ordinationem requiritur ex parte ipſius; cùm poteſtas Ordinandi fundetur in hoc indelebili charactere. Ratio poſterioris; quia collatio Majorum Ordinum (non Minorum) etiam cum conſenſu alicujus Ordinarii prohibetur ipſi. *c. cit.*

3 Dico 3. Recipiens Ordines Majores ab Epiſco-

piſcopo, qui renuntiavit loco & dignitati ſimul, etiam non ſcienter, prohibetur exercere Ordines ſic ſuſceptos, donec cum ipſo diſpenſet Epiſcopus. *c. 1. cit.* Ratio; quia ipſe talis Epiſcopus non habet executionem Ordinis, conſequenter nec aliis dare poteſt executionem collati Ordinis. Dixi 1. *diſpenſet*, nam hæc prohibitio non eſt propriè ſuſpenſio, à qua quis *abſolvi* debet, cùm etiam ab ignorante incurratur, ſed eſt inhabilitas potiùs & irregularitas, quæ per *diſpenſationem*, non per abſolutionem, auferenda eſt. 2. *Epiſcopus*, ſi ignorantia in recipiente non fuit craſſa & graviter peccaminoſa; ſi enim talis fuiſſet, diſpenſare foret penes Papam ſolum. *c. cit.* intellige, ſi delictum eſſet notorium; ſi enim foret occultum, adhuc Epiſcopus diſpenſandi poteſtate polleret, per *Trid. Seſſ. 24. c. 6. de Ref.* An verò diſpenſare ſit penes Epiſcopum Ordinantem, vel ejus Succeſſorem, inter DD. controverſum eſt. 3. *Majores*, nam Ordines Minores tantùm recipiens non privatur executione eorum. *c. cit.* Quæ omnia etiam intelligenda veniunt de Ordinatis ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto, non tolerato, item de ſchiſmatico, per *can. 5. cauſ. 9. q. 1. cum c. 2. h. t.*

TITULUS XIV.

De Ætate, & Qualitate, & Ordine Præficiendorum.

SUMMARIUM.

1. *Præficiendi, ſeu promovendi ad Beneficia,*

 2. De-

2. *Debent habere ætatem à Trid. requiſitam.*
3. *Et certos Ordines pro qualitate Beneficiorum.*
4. *Ac pleraſque in Ordinando requiſitas qualitates, maximè probitatem & ſcientiam.*
5. *Et quas poſtulat Fundatio, Conſuetudo, Statutum.*
6. *Etiam per Conſuetudinem, & Statutum introduci poteſt, ut certæ Dignitates & Beneficia conferantur ſolis Nobilibus.*
7. *Beneficia Curata conferri debent dignioribus.*
8. 9. *Collatio Beneficii, debitam ætatem non habenti, aut excommunicato &c. & irregulari facta, ipſo Jure nulla eſt in foro externo.*
10. *Item facta criminoſo, ac penitus illiterato, ſi Beneficium ſit curatum.*
11. *Qui ſuſcipit Beneficium curatum ſine animo ſuſcipiendi intra annum Sacerdotii, an amittat fructus illius anni.*

1 SCiendum 1. à collatione Ordinum, quos neceſſariò ſupponunt Dignitates & Beneficia Eccleſiaſtica, rectè fieri tranſitum ad *Præficiendorum* (h. e. promovendorum ad Dignitates & Beneficia Eccleſiaſtica) requiſita, nempe qua ætate, qualitate, & Ordine debeant eſſe præditi.

2 Sc. 2. Circa *Ætatem* omiſſa varia Juris Antiquioris diſpoſitione ſtandum eſſe Tridentino, Juri noviſſimo, quod *S. 23. c. 6. & S. 24.* c. 12. ita diſponit. 1. ante annum *decimum quartum* nullus obtinere poſſit ullum Beneficium, etiam ſimplex. 2. nemo, niſi qui *vigeſimum quintum* ætatis annum attigerit, promoveatur ad Dignitates quaſcunque, curam animarum annexam,

xam habentes, uti ſunt Abbatiæ, Præpoſituræ, Archipresbyteratus (qui fortè in Germania non differt à Decanatu) Archidiaconatus (qui fortè, ſaltem alicubi, hodie non diſtinguitur ab Officio Vicarii Generalis) & aliæ ſimiles. 3. Ad cæteras autem dignitates, quibus Cura animarum annexa non eſt, non aſciſcantur Clerici *vigeſimo ſecundo* ætatis anno minores. Ex quibus verbis *non minores* colligitur, hos 22. annos debere eſſe completos in ordine ad Dignitates non Curatas, ſicut vice verſa ad Curatas: item ad Beneficia ſimplicia ſufficiunt anni 25. & 14. inchoati tantùm, partim quia Trid. adhibet verbum, *attigerit:* atqui vigeſimum quintum annum jam attigit, qui illum inchoavit; partim quia, ubi Jus non enuntiat, debeántne anni eſſe completi, vel ſufficiant inchoati, hoc poſterius præſumendum eſt, juxta *Reg. 30. de R. J. in 6. in obſcuris minimum eſt ſequendum;* quod nempe eſt favorabilius. 4. Nullus recipiatur ad Canonicatum, Præbendam, & Portionem, qui non ſit ejus ætatis, ut infra tempus à Jure præſcriptum initiari valeat eo Ordine, quem requirit Canonicatus vel Præbenda; ſcilicet infra annum. *Clem. 2. h. t.* Præterea notandum eſt 1. quòd ad Beneficia Curata & Parochialia omnia, item in Vicariis Perpetuis Curatarum Eccleſiarum, requiratur annus 25. ſicut ad Dignitates Curatas. *c. 7. §. inferiora de Elect. in 6. Clem. unic. de Offic. Vicar.* quia Trid. quoad hos non immutavit Jus Antiquum, ſicut & nihil immutavit de *Penſionibus*, ad quas proin adhuc hodie ſufficient 7.

anni;

anni, cùm non ſint Beneficia propriè dicta. 2. Quòd de ætate ad Epiſcopatum, quæ ſunt 30. anni completi (in Galliis dicunt ſufficere 27. inchoatum) & Præpoſitarum Monialium, quæ ſunt 40. vel 30. anni, pariter Tridentinum nihil diverſum diſpoſuerit à Jure Antiquo. 3. Quòd ætas ad conſecutionem Beneficii neceſſariò adſit non ſolùm tempore collationis, inſtitutionis, confirmationis, ſed etiam jam tempore electionis, præſentationis, impetrationis, ut habet communis.

3 Sc. 3. Circa *Ordinem* præſcribi à Jure 1. quòd nemo validè recipiat ullum Beneficium Eccleſiaſticum, vel Dignitatem, niſi ſit Clericus, h. e. primâ ſaltem Tonſurâ initiatus. *c. 2. de Inſt. c. 6. de Tranſact.* quia laici ſunt incapaces Juris Spiritualis, ſeclusô privilegiô Apoſtolicô. 2. quòd ſine illo Ordine, quem requirit Beneficium vel Dignitas ex fundatione, aut radicata conſuetudine, aut de Jure, non poſſit acquiri tale Beneficium, vel Dignitas; ſufficit tamen, ſi intra annum ſuſcipiatur ille Ordo: ſic poteſt acquiri Beneficium parochiale ab eo, qui nondum eſt Sacerdos, modò 25. annos jam attigerit, & infra annū ſuſcipiat presbyteratum. *c. 14. de Elect. in 6.* Siquidē ad omnia Beneficia curata, & Dignitates, curam animarum, vel jurisdictionem fori externi annexam habentes, neceſſarius eſt Ordo presbyteratûs, vel actu ſuſceptus, vel intra annum ſuſcipiendus. Et quamvis *c. 5. h. t.* requiratur in tali, ut, dum recipit Beneficium curatum, jam ſit Subdiaconus, correctum tamen id eſt per *c. 8. de Præb. in 6.* juxta quod ſuf-

fici-

Digitized by Google

ficiunt Minores jam actu ſuſcepti. 3. quòd Trid. *S. 24. c.12. cit.* ad Canonicatus Cathedrales exigat Ordinem vel Presbyterii (quo ſaltem mediam partem Canonicorum cupit eſſe initiatam) vel Diaconatûs, vel Subdiaconatûs. Sed hoc in Germania non obſervatur, vel quia quoad hoc punctum non eſt receptum Trid. vel quia Epiſcopus & Capitulum diſpenſat; ſicut vi Trid. *S. 7. c. 12. de Ref.* diſpenſant Epiſcopi circa Ordinem Presbyteratûs intra annum ſuſcipiendi ab obtinente Beneficium Curatum, ſi v. g. adhuc verſetur in Studiis. Omnes tamen Canonici, qui volunt habere vocem in Capitulo, etiam in Germania debent eſſe ſaltem Subdiaconi. *Clem. 2. cit.* 4. Quòd, qui aſſumitur in Epiſcopum, ſaltem per 6. menſes antea in Sacro aliquo Ordine conſtitutus fuiſſe debeat. Trid. *S. 22. c. 2. de Ref.* nimirum Subdiaconatûs ſaltem. Nec obſtat Bull. Greg. XIV. aſſerentis, eligendum Epiſcopum debere eſſe *in Sacris*; quippe ex communi loquendi modo, cui ſe conformâſſe credendus eſt Papa, *in Sacris* Ordinibus etiam ille dicitur eſſe, qui ſolùm eſt Subdiaconus.

Sc. 4. Circa *Qualitates* alias, quas habere oportet præficiendum, ſeu promovendum ad beneficium, imprimis certum eſſe, quòd habere debeat illas, quas ad *t. 11.* ſuprà requiri diximus ad ſuſcipiendos Ordines, excepta ſubjectione & Titulo. Qui verò illis omnibus præditus eſt, regulariter quoque dignus habetur pro beneficio. *c. 13. h. t.* niſi poſt ſuſceptos Ordines detegatur primùm, vel contrahatur defe- 4

ctus,

ctus, impedimentum, vel crimen: neque examinandus eſt de novo, niſi beneficium, ad quod promovetur, ſit Curatum, vel Dignitas, vel ſit in aliena diœceſi, vel alia juſta cauſa ſuperveniat. Dein duæ potiſſimùm qualitates in præficiendis attendendæ ſunt. 1. *probitas morum*, utpote ex qua pendet decus Eccleſiæ, ac fidelium fructus: 2: *ſcientia litterarum*, utpote ex qua plurimùm pendet bona adminiſtratio beneficii, & officii, propter quod datur beneficium, executio: præſertim ad beneficium curatum ritè adminiſtrandum opus eſt eâ rerum Divinarum peritiâ, ut Sacramenta ritè adminiſtrentur, & populus ea doceatur, quæ vero fideli tum facienda, tum credenda ſunt. In has igitur geminas qualitates Superiores diligentiſſimè inquirant, neceſſe eſt. *c. 7: de Elect. c. 29. de Præb. Clem. 1. h. t. Trid. S. 24. c. 18. de Ref.* Quod Trid. etiam requirit in quibusdam promovendis gradum Doctoratûs, vel Licentiatûs, ex Theologia, aut Jure Canonico, nempè 1. in Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus; ubi verò & apud quos moris non eſt ſuſceptio horum graduum, publico ſaltem alicujus Academiæ teſtimonio oſtendantur idonei ad alios docendos. *Seſſ. 22. c. 2. cit.* 2. in Scholaſtico, ubi eſt Seminarium Studiorum, & munus docendi actu eſt penes eum, qui Dignitatem Scholaſteriæ obtinet. *S. 23. c. 18. de Ref.* 3. in Canonico Pœnitentiario; item in Vicario Generali Capituli Sede vacante. *S. 24. c. 8. & c. 16.* 4. in Archidiacono. *ibid. c. 12.* Ubi etiam deſiderat & hortatur, ut in Eccleſiis Cathedralibus, & Col-

Collegiatis Inſignibus, omnes Dignitates, & Canonicatuum ſaltem dimidia pars, conferantur tantùm Magiſtris ſeu Doctoribus, aut Licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico: quam ſalubrem adhortationem complures cuperent accuratiùs obſervari. Ad beneficia, quibus annexa eſt jurisdictio fori externi, requiritur ſaltem peritia utriusque Juris, ſi non Gradus. Ad beneficia verò ſimplicia ſufficit ea doctrina, quam exigit Ordo tali beneficio annexus, & ratio muneris: unde Beneficatus ſaltem ſciat Breviarium dicere, ſi hæc, & non alia obligatio, ſit annexa beneficio. Dixi ſuperiùs, eas qualitates requiri ad obtinendum beneficium, quæ ſunt neceſſariæ ad ſuſcipiendos Ordines, *excepta ſubjectione & Titulo*: De Titulo clarum eſt, quia optimus Titulus & propriiſſimus eſt ipſum beneficium. De ſubjectione patet ex praxi, cùm paſſim videamus beneficia conferri extraneis Clericis, commendatitias (quas etiam vocant Dimiſſoriales) à ſuo Ordinario habentibus. Expedit tamen (ſi cœtera ſint paria) diœceſanos præferri non-diœceſanis, indigenas alienigenis. per *can. 12. 13. d. 61.* quia indigenæ magis ſunt noti, magis amantur, & amant populum, ac faciliùs inducuntur ad reſidendum in loco beneficii.

Sc. 5. Præter qualitates enumeratas, Jure Communi requiſitas, poſſe inſuper alias requiri in præficiendis, nimirum ex fundatione, conſuetudine, ſtatuto, vi cujus v.g. aſſumatur non alius, niſi oriundus ex certa regione, civitate, familia, vel niſi gradu Litterario inſignitus &c. 5

Acri-

Acrirer hîc aliqui diſputant, an etiam ex Fundatione, Conſuetudine, vel Statuto induci poſſit, ut ad Beneficia, Canonicatus, Dignitates promoveantur non alii, niſi Nobiles, vel Illuſtres. Quòd in ipſa fundatione poſſit hæc Nobilitatis conditio requiri, acceptante legitimo Superiore, ſatis certum exiſtimo, nec multos refragari; quamquam complures refragentur quoad conſuetudinem vel ſtatutum. Quam quæſtionem nunc decſdemus, uti &, an promovendus neceſſariò ſit dignior, ſeu digniſſimus ex competitoribus, item an collatio beneficii &c. indigno, & debitis qualitatibus deſtituto, ſit nulla ipſo Jure, an verò reſcindibilis tantùm per ſententiam.

6 Dico 1. Probabilius eſt, quòd etiam per conſuetudinem immemorialem, & ſtatutum à Sede Apoſtolica confirmatum, induci poſſit, ut ad Dignitates, Canonicatus, vel Beneficia aliqua promoveantur ſoli Nobiles vel Illuſtres, cætera digni. Ratio, quia id ex objecto ſuo, & ſecundùm ſe non eſt illicitum, nec à Jure prohibitum. Oppones 1. In tali ſtatuto &c. reperitur crimen acceptionis perſonarum, & Eccleſiæ objiciuntur periculo damnorum; cùm ſic promoveantur ſæpe minùs digni. 2. In *c.37.de Præb.* rejicitur conſuetudo, vi cujus renuebant Canonici aliquem à Papa proviſum, qui nobilis non erat, recipere. Et ſubjungit Papa: *non generis, ſed virtutum nobilitas, vitæque honeſtas, gratum DEO faciunt, & idoneum ſervitorem, ad cujus regimen non multos ſecundum carnem nobiles & potentes elegit, ſed ignobiles ac pauperes &c.*

R. ad

℞. ad 1. Acceptio perſonarum non habet locum, ubi adſunt ex Nobilibus digni, & quamvis fortè ſpectando ſcientiam & ſimiles dotes ſint minùs digni, quàm alii; eum tamen defectum ſupplere poteſt Nobilitas, à qua in Eccleſias derivatur ſplendor aliquis & ornamentum; imò & protectio major. Unde nec Eccleſiis per ſe infertur damnum; quamvis, per accidens id contingere poſſit, ſi ex Nobilibus (uti, prô dolor! contingit nonnunquam) aſſumantur etiam indigni & criminoſi, quaſi verò ſola Nobilitas ſufficeret: quod nulla utique conſuetudine, nullo ſtatuto introduci poteſt. Ad 2. Illa conſuetudo non fuerit immemorialis, ut præſumi potuiſſet privilegium Apoſtolicum, vel fuerit aliunde irrationabilis. Verba Pontificis ſubjuncta ſunt omnino vera, & valde penſanda; unde non facilè, & ſine conſenſu Pontificis, ſaltem legali, nunquam ſunt excludendi à Dignitatibus & Beneficiis certis Ignobiles; uti nec per ſtatutum, à Pontifice non approbatum, ſaltem tacitè; cùm de Jure Communi etiam Ignobiles ſint capaces omnium Dignitatum Eccleſiaſticarum. Sic tacitè putant confirmatum eſſe ſtatutum quarundam Eccleſiarum, in quibus excluduntur ignobiles; quando Papa non alium eligit, quàm nobilem, dum proviſio ſpectat ad ipſum; niſi fortè cum P. Wieſtner *n. 50.* velis dicere, quòd Papa id faciat ad cavenda majora incommoda: uti mihi non improbabile videtur. Et tunc talis electio non foret tacita confirmatio ſtatuti.

Dico 2. Beneficia Curata debent conferri 7

non quomodocunque dignis, ſed dignioribus. Trid. *S. 24. c. 18. de Ref.* Pius V. *Conſtit. In conferendis.* DD. paſſim. Ratio; quia beneficia curata ſunt inſtituta favore Eccleſiæ & animarum, quibus, quantùm fieri poteſt, maximè conſulendum. Et hinc Trid. etſi loquatur de digniore per *Concurſum*, ſeu poſt examen de Competitorum idoneitate ſpecialiter inſtitutum, eligendo; tamen rectè extenditur ad collationé horum beneficiorum, ubi prædictus *Concurſus* in uſu non eſt, vel locum non habet. Per Beneficia *Curata* intelliguntur, quæ habent annexá curam animarum vel in foro interno vel externo: per *Dignos* illi, qui ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis qualitatibus ſuprà relatis prædíti ſunt, omníque impedimento carent: per *Digniores*, qui attentis omnibus ſuperant alios in prædictis qualitatibus. Vid. *in tit. de Elect. n. 29.* Cœterùm conferens beneficium Curatum minùs digno, non tenetur ad aliquam reſtitutionem digniori neglecto faciendam; quia non violavit jus proprietatis, ſed dignitatis tantùm, neque beneficia ſunt inſtituta in præmium meritorum, ſed in ſtipendium Operariorum.

8 Dico 3. Collatio beneficii (idem eſt de Electione, Præſentatione) facta illi, qui caret ætate Jure Communi requiſita, ipſo Jure eſt nulla; ſaltem pro foro externo. Sumitur ex *c. 14. de Elect. in 6.* quia facta eſt inhabili. Nec in ætate permiſſum eſt Epiſcopo diſpenſare, cùm is nequeat relaxare Jus Commune; niſi ſpecialiter ipſi indulgeatur, uti probabiliter adhuc ei conceſ-

ceſſum eſt diſpenſare ad Dignitates non habentes annexam animarum curam cum iis, qui 20. annos compleverunt, quia *c. un. h. t. in 6.* ubi hoc ei permittitur, non cenſetur eſſe derogatum à Trid. dum requirit ad has Dignitates 22. annos; cùm de Jure Antiquo non intelligatur plus eſſe correctum, quàm ſit expreſſum. Proderit hic notare, quod Clemens VIII. in Comitiis Ratisbonenſibus an. 1594. per ſuum Legatum à Latere moneri voluit Principes Germaniæ, ut tollerent nempe abuſum, quo pueris ante ætatem à Trid. requiſitam conferuntur beneficia, & ne Canonicatus, qui conferuntur pueris, longa ſerie à pueris in pueros reſignentur, dum nimirum adultiores facti ſe ſtatu Eccleſiaſtico abdicant.

Dico 4. Collatio beneficii cujuscunque, facta excommunicato, ſuſpenſo, aut perſonaliter interdicto, uti & irregulari cuicunque, eſt ipſo Jure nulla. Ita communis. De Excommunicato conſtat ex *c. 7. de Clerico excom.* de ſuſpenſo ex *c. 8. de ætat.* Quid de interdictis & irregularibus ſentiendum, deſumes ex iis, quæ ſunt dicta *de Elect. n. 25. 26.* Procedit aſſertio etiam de excommunicatis &c. toleratis; quia *Extrav. Ad evitanda*, quæ diſcrimen facit inter cenſuratos toleratos & non toleratos, ipſis cenſurâ infectis nullum præſtare favorem intendit; ſed ſolùm aliis fidelibus. An verò cenſurâ, irregularitate vel alia inhabilitate occulta laborans poſſit acceptare bonâ conſcientiâ & absque diſpenſatione beneficium oblatum, colliges ex dictis ad *tit. de Elect. n. 27. 28.* 9

10 Dico 5. Collatio beneficii Curati, factaCriminoſo ſeu Infami, ut eum deſcripſi *n. 21. tit. 11.* item penitus illiterato, ipſo Jure eſt nulla. Colligitur ex *c. 7. §. inferiora & §. Clerici. c. 22. de Elect.* Diſſentit quoad Criminoſum non improbabiliter Garc. cum aliis *de Beneſ. p. 7. c. 8.* Collatio autem beneficii ſimplicis, niſi delicto ſit annexa Cenſura vel irregularitas, valet; quia nullo Jure legitur irritata. Circa *illiteratum* nota, quòd, ſi aliquam ſcientiam, non tamen ſufficientem ad beneficium adminiſtrandum habet, collatio quidem valeat, irritanda tamen ſit per *c. 17. eod. can. 1. d. 36.* niſi promotus ſperet ſe brevi temporis intervallo ſibi comparaturum ſcientiam neceſſariam: quo caſu etiam Epiſcopus probabiliter poteſt tali minùs inſtructo ſcientiâ conferre beneficium; ipſe verò promotus tenetur in conſcientia addiſcere quamprimum ſcitu neceſſaria.

11 Dico 6. Collatio beneficii Parochialis (quo nomine probabiliter etiam venit quodcunque Curatum per *Clem. 1. de ſtatu Monach. §. cæterùm*, & propter paritatem rationis) facta ei, qui intra annum, ceſſante legitimo impedimento, non ſuſcepit Ordinem Presbyteratûs, valuit quidem, ſed elapſo anno & nondum ſuſcepto Sacerdotio, amittitur beneficium ipſo Jure; imò ſi recipiens beneficium tale nec habuit animum intra annum ſuſcipiendi Sacerdotii, nec illud ſuſcepit mutata mente, tenetur fructus per illum annum ſuſceptos reſtituere ante omnem ſententiam; quia nunquam fecit ſuos, utpote non abſolutè, ſed tantùm ſub conditione

tione ſuſcipiendi Sacerdotii, quam ipſe non implevit, conceſſos; adeóque hæc privatio non eſt in pœnam, ſed propter non impletam conditionem ſtatuta. *c. 14. & 35. de Elect. in 6. Clem. cit.* Siquis tamen accepiſſet beneficium parochiale animo ſuſcipiendi Sacerdotium, poſtea tamen mutata mente non ſuſciperet, peccaret quidem mortaliter, ſed probabiliter non teneretur reſtituere fructus illo anno perceptos, quia *c.35.cit.* expreſsè loquitur de illo, qui beneficium recepit absque animo Sacerdotii ſuſcipiendi: ergo, cùm hæc diſpoſitio ſit odioſa, non debet extendi ad eum, qui ſaltem illo tempore, quo beneficium recepit, hunc animum habuit. Navar. cum aliis contra non paucos. Longè minùs teneretur reſtituere fructus, licèt fraudulenter per aliquod tempus perceptos, qui, cùm admitteret beneficium parochiale absque animo ſuſcipiendi Sacerdotii, poſtea verò intra annum mutata mente ſuſciperet, ut clarè inſinuatur *c. 14.cit.* Non habenti animum ſuſcipiendi Sacerdotium æquiparatur dubitans, an velit intra annum fieri Sacerdos. Qui recipit beneficium ſimplex, nec intra annum ſuſcipit Ordinem requiſitum, huic ſubtrahenda erit pars fructuum, per *Clem. 2. h. t.* &, ſi creſcat contumacia, meritò omnes auferuntur.

TITULUS XV.
De Sacra Unctione.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit Unctio Sacra, & quibus impendatur.*

Digitized by Google

2. *Quo quælibet facienda ſit oleo:*
3. *A quo, & quibus in partibus.*
4. *Benedictio olei poteſt delegari ſimplici Sacerdoti.*
5. *Oleum & Chriſma debent eſſe illo anno benedicta & confecta, quo adhibentur.*
6. *Chriſma non eſt de eſſentia Confirmationis.*
7. *Confectio Chriſmatis etiam committi abſolutè poteſt ſimplici Sacerdoti.*
8. *Unctio in Ordinatione Sacerdotis non eſt ſimpliciter neceſſaria:*
9. *Nec in Conſecratione Epiſcopi.*

1 SCiendum 1. Quandoquidem in Ordinatione Sacerdotum & Epiſcoporum adhibetur aliqua Unctio, arripitur occaſio hic agendi de variis Unctionibus, quæ adhibentur in 4. Sacramentis, Baptiſmo, Confirmatione, Ordine tum Epiſcopali tum Sacerdotali, & Extrema Unctione. Præterea inungi ſolent Papa, Imperator, Reges quidam, dum coronantur: item Eccleſiæ, Altaria, Calices. De his ſuo loco: de prioribus iſto. *Sacra Unctio* autem nihil eſt aliud, quàm delibutio per oleum materiale & benedictum facta ſecundùm formam ab Eccleſia traditam. Unde

2 Sc. 2. Inunctionem fieri per oleum olivarũ, ab Epiſcopo benedictum: quod duplex eſt; unum ſimplex, alterum verò mixtum balſamo, quod vocatur *Chriſma*: oleum myſticè deſignat nitorem conſcientiæ, balſamum verò odorem bonæ famæ. *c. un. h. t.* ubi multa traduntur de Unctionibus Sacris. Oleum ſimplex ſubdividitur in oleum *Catechumenorum*, quod princi-

pa-

paliter deſtinatur ad inungendos Baptizandos & Catechumenos, ac in oleum *Infirmorum*, quod unicè ordinatur ad inungendos moribundos per collationem Extremæ Unctionis. Subſtantialiter inter ſe non differunt, diverſis tamen benedictionibus afficiuntur; utrumque enim eſt oleum olivarum. Oleum mixtum, ſeu chriſma, adhibetur in Sacramento Confirmationis, in conſecratione Epiſcopi (uti & Papæ) Eccleſiarum, Altarium, quæ tamen priùs inunguntur oleo, Calicum, & in Baptiſmo, ſed poſt ejus collationem ſubſtantialem. Oleum ſimplex, & quidem Infirmorum, in ſolo Sacramento Extremæ Unctionis, Catechumenorũ verò in ordinatione Sacerdotis, in Baptiſmo, ſed ante illius collationem ſubſtantialem, in Imperatoris & Regum inunctione.

Sc. 3. Inunctionem, quæ adhibetur in Baptiſmo, fieri à Sacerdote ſolenniter baptizante, & quidem primam per oleum ſimplex in pectore ac inter ſcapulas baptizandi; alteram verò per chrisma in vertice & fronte baptizati: quare in Baptiſmo aliqui numerant duas, alii tres, alii quatuor unctiones. 2. Inunctionem, quæ adhibetur in Confirmatione, ordinariè fieri ab Epiſcopo in fronte confirmandi in formam Crucis; extraordinariè autem & ex commiſſione ſummi Pontificis fieri poſſe à ſimplici Sacerdote, uti ab eodem conceſſum eſt Patribus Societatis in Indiis. 3. Unctionem Epiſcopi fieri in capite & manibus à Metropolitano, vel alio Epiſcopo, duobus aliis aſſiſtentibus: Sacerdotum verò in ambabus manibus 3

ſimul junctis in formam ductæ crucis ab Epiſcopo: Papæ autem in ſolo capite ab Epiſcopo Oſtienſi. Per *caput* intelligitur auctoritas & dignitas: per *manus* miniſterium & officium. 4. Unctionem moribundi in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, pedibus, renibus à Sacerdote ſuper ægrotum deprecante: unctio tamen in renibus ob honeſtatem & decentiam in fœminis omittitur ſemper, in maribus plerumque. 5. Unctionem Imperatoris & Regũ in dextero brachio, humero vel armo (quia per hujusmodi membrum indicatur Principatus juxta illud *Iſa. 9. factus eſt principatus ſuper humerum ejus*) vel à Papa, vel ab Epiſcopo, quẽ Papa delegat, vel cui competit ex ſpeciali conſtitutione Regni, aut conſuetudine. Sic Regem Franciæ inungit Archiepiſcopus Rhemenſis, Bohemiæ Archiepiſcopus Pragenſis, Imperatorem verò & Regem Romanorum vel Papa ipſe, vel quem iſte delegat. *c. 34. de Elect.* 6. Unctionem Eccleſiæ in parietibus. 7. & unctionem Altarium in cornibus ordinariè ab Epiſcopo. 8. Unctionem calicum in ſuperficie ab Epiſcopo, vel alio privilegiato, cujusmodi eſſe ſolent Abbates. Hæc certa, controverſum tamen eſt. 1. An benedictio olei neceſſariò facienda ſit ab Epiſcopo, ut ſit materia valida Confirmationis, & Extremæ Unctionis. 2. An neceſſariò debeat eſſe novum, ſeu illo anno, quo adhibetur, benedictum. 3. An Chriſma ſit ita neceſſarium in Confirmatione, ut ea per oleum ſimplex benedictum facta non valeat. 4. An confectio Chriſmatis ad Epiſcopum ita

ſpe-

ſpectet, ut cōmitti ſimplici Sacerdoti nequeat à Papa. 5. An unctio, in ordinatione Sacerdotis adhiberi ſolita, ſit de eſſentia Sacramēti Ordinis. 6. An unctio, quæ in cōſecratione Epiſcopi.

Dico 1. Benedictio olei ſimplicis utriuſque poteſt à Summo Pontifice delegari etiam ſimplici Sacerdoti. Ratio, quia non apparet, cur id fieri nequeat. Imò defacto approbavit Clemens VIII. in *Conſtit. Sanctiſſimus 1595. 31. Aug.* morem Eccleſiæ Orientalis, ubi ſimplices Sacerdotes benedicunt hoc oleum. 4

Dico 2. Oleum, & Chriſma, debet eſſe novum, ſeu illo anno benedictum & confectum, quo adhibetur. Ita docet traditio Apoſtolica, de qua teſtatur etiam *can. 18. d. 3. de Conſecr.* Sed quid agendum Parocho, ſi fortè oleum ſacrum pro anno non ſuffecturum advertat, aut omnino nullum ampliùs ſuppetere? ℞. ad 1. poteſt affundere aliud non benedictum. per *c. 3. de Conſecr. Eccl. vel Alt.* ſed in minori quantitate; ſic enim & iſtud, quod affunditur, fit ſacrum; atque ſic ſæpius poteſt facere, ſed nunquam ſimul & ſemel in æquali vel majore quantitate, quàm ſit oleum ſacrum; aliàs enim ingens foret dubium, an minor pars olei ſacrati communicaret benedictionem affuſo non ſacro. DD. paſſim. Ex hoc tamen non ſequitur, vinum non conſecratum, ſi affundatur conſecrato in minori quantitate, conſecrari & tranſire in Sanguinem Chriſti; nam benedictio olei non immutat phyſicam ſubſtantiā olei, ſicut conſecratio vini imūtat hujus ſubſtantiā. ℞. Ad 2. In caſu neceſſitatis poteſt Sacerdos, etiam in Sacramento Ex- 5

Digitized by Google

tremæ Unctionis, uti oleo veteri, donec novum ab Epiſcopo petitum afferatur. Laym. cum Barb. *de Offic. Parochi c. 22. n. 25.*

6 Dico 3. Chriſma non eſt de eſſentia Sacramenti Confirmationis; adeóque abſolutè adhiberetur validè oleum ſimplex ab Epiſcopo benedictum. Ita Navar. Sot. Barb. *de Offic. Epiſc. alleg. 31. n. 3.* contra Suar. Laym. Gobath. Clericatum, Pirh. *ad tit. de Sacram. non iterand. n. 3.* Prob. ex *c. 1. de Sacr. non iterand.* ubi Innoc. III. reſcribit de caſu, quo quis non Chriſmate, ſed oleo tantùm confirmatus eſt, *non eſſe aliquid iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum*, h. e. ſuppletionem eſſe faciendam per inunctionem Chriſmatis, at ſine repetitione formæ, vel ſaltem cum intentione nullum conficiendi Sacramentum: ſed ſi Chriſma foret de eſſentia Confirmationis, utique iterari debuiſſet in dato caſu: ergo. Oppones 1. Concilium Florent. *in Decreto Eugenii §. ſecundum* definit, materiam Sacramenti Confirmationis eſſe *Chriſma, confectum ex oleo & balſamo, ab Epiſcopo benedictum.* 2. Ex hoc ſequeretur, quòd etiam valeret Extrema Unctio, & nihil iterandum eſſet, ſi Sacerdos per errorem inungeret infirmum Chriſmate: ſed hoc videtur falſum. ℞. Ad 1. Concil. Florent. ibi non tantùm loquitur de iis, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ſed etiam quæ ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti: neque gratis hoc dicitur, quia mox in *§. tertium ſeq.* definit, materiam Euchariſtiæ eſſe vinum de vite *cum admixtione modiciſſimæ aquæ*, & *§. quartum*, materiam Sacramenti

Pœ-

Pœnitentiæ eſſe *Satisfactionem*: ſed certum eſt, nec admixtionem aquæ eſſe de eſſentia Euchariſtiæ, neque Satisfactionem de eſſentia Pœnitentiæ. Ad 2. C. *Maj.* cum Suar. & aliis; quia mixtio balſami ordinariè eſt tam modica, ut in Chriſmate non cenſeatur eſſe mutata olei materia. N. *Min.*

7 Dico 4. Confectio Chriſmatis probabiliùs poteſt à Summo Pontifice etiam delegari ſimplici Sacerdoti. Gobath. *Experient. tr. 2. n. 745.* cum Cajet. & aliis contra Barb. *alleg. 30. n. 6.* Laym. & alios. Prob. 1. ex Conc. Tolet. I. *can. 2.* ubi prohibetur quidem ſimplicibus Sacerdotibus confectio Chriſmatis, non tamen pronuntiatur irrita. 2. Poteſt à Summo Pontifice delegari ſimplici Sacerdoti benedictio olei, in Sacramento Extremæ Unctionis adhibendi: imò etiam collatio ipſius Sacramenti Confirmationis, ut non negant Adverſarii: quidni ergo etiam confectio Chriſmatis? Oppones 1. In Concil. Florent. §. *ſecundum cit.* requiritur Chriſma *ab Epiſcopo benedictum*: ergo benedictio Epiſcopalis conſtituit materiā Confirmationis eſſentialem. 2. Non conſtat de ullo exemplo, quòd Eccleſia commiſerit confectionem Chriſmatis ſimplici Sacerdoti: ergo rectè negatur poteſtas committendi. ℟. Ad 1. & miror, ſic objici ab illis, qui nobiſcum priùs reſponderunt, ibi Concil. Florent. non tantùm exprimere neceſſaria ad valorem Sacramenti, ſed etiam neceſſaria ex præcepto Eccleſiæ, & partes non eſſentiales Sacramentorum: igitur nec benedictio Epiſcopalis Chriſmatis, ſicut

nec

nec ipſum Chriſma, tanquam eſſentialiter neceſſaria probatur ex Conc. *loc. cit.* Ad 2. N. *Conſ.* quia ſuadent rationes poſitivæ, quòd id fieri poſſit.

8 Dico 5. Unctio Sacerdotis non eſt de eſſentia Sacramenti Ordinis partim, quia in Scripturis SS. nulla de illa fit mentio: partim quia non ſpectat ad materiam Ordinis Sacerdotalis ex communi ſenſu DD. nam materia in ordine ad poteſtatem conſecrandi Corpus Chriſti eſt traditio patenæ cum hoſtia, & calicis cum vino: in ordine ad poteſtatem abſolvendi à peccatis eſt impoſitio manuum.

9 Dico 6. Probabiliùs neque Unctio Chriſmatica, in Conſecratione Epiſcopi adhiberi ſolita, eſt de eſſentia Sacramenti Ordinis & Conſecrationis Epiſcopalis. Sylveſter, Gonz. Wieſtner *h. n. 35.* ac alii plures contra Francum, Sylvium & paucos alios. Sumitur partim ex *c. un. pr. h. t.* ubi juſſit Innoc. III. Unctionem Epiſcopi, quæ fuerat in ejus Conſecratione juxta morem Græcorum omiſſa, *ſuppleri* ſecundùm morem Eccleſiæ Romanæ, non autem iterari Conſecrationem factam per impoſitionem manuum: ergo Unctio non ſpectat ad eſſentiam Conſecrationis Epiſcopalis, aliàs debuiſſet tota Conſecratio iterari, ſed tantùm requiritur neceſſitate præcepti: partim quia non ſatis probari poteſt, quòd ſit pars eſſentialis. Oppones 1. In *c. un. cit.* integra lectione habetur, unctionem in conſecrando Epiſcopo adhiberi ex præcepto Divino & Apoſtolorum exemplo, ut refert Gonzalez. 2. Patres & Concilia dicunt, Epiſcopum

pum eſſe *conſecrandum*, ſuper caput ejus eſſe *fundendam* benedictionem &c. quibus verbis indicatur aliqua Unctio. ℟. Ad 1. Apoſtolorum exemplum non probat inſtitutionem Divinam. Præceptum Divinum, quod fuit in veteri Teſtamento, non ſatis probatur in novo Teſtamento reſtauratum, nec ex SS. Litteris, nec ex communi ſenſu & traditione Eccleſiæ. Ad 2. PP. & Concilia per Conſecrationem & Benedictionem ſuper caput fuſam intelligunt impoſitionem manuum, quam admittimus eſſe de ſubſtantia Conſecrationis Epiſcopalis. Vel ſi loquantur de aliqua Unctione phyſica, eam requirunt de neceſſitate præcepti, non Sacramenti. Reliqua ad materiam, formam, miniſtrum Sacramentorum Baptiſmi, Confirmationis, Ordinis, & Extremæ Unctionis, in quibus adhibetur unctio, pertinentia exponunt Theologi Morales, ritum verò & modum peragendi ſingulas unctiones tum Ritualia Diœceſana, tum Pontificale Romanum.

TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit Sacramentum; & quænam reiterari nequeant.*
2. 3. *Quid agendum, ſi aliquid ſubſtantiale ſit omiſſum in collatione Sacramenti non-iterabilis.*
4. *Et quid, ſi dubium ſit de valore talis Sacramenti jam collati.*
5. *Scienter iterans graviter peccat, & nulliter agit.*

Sci-

1 SCiendum, per *Sacramentum* Novæ Legis intelligi ſignum aliquod ſenſibile (ſcilicet practicum) gratiæ inviſibilis ad noſtram Juſtificationem Divinitus inſtitutum. *Catechiſ. Rom.* Omnia autem Sacramenta, ut tradit Conc. Flor. *in Decreto Eugenii*, tria includunt velut eſſentialia, rem ſenſibilem velut materiam, verba velut formam, & perſonam miniſtri intendentis facere, quod facit Eccleſia, adhibendo hujusmodi ſigna externa. Ex iis, quæ unctionem aliquam requirunt, tria imprimunt animæ characterem, ſeu ſignum aliquod ſpirituale indelebile. Trid. *S. 7. can. 9.* nimirum Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, de quo hucuſque multa. Per characterem Baptiſmi adoptatur homo in familiam Chriſti, & conſignatur in ſervum Chriſti: per characterem Confirmationis in militem Chriſti: per characterem Ordinis in diſpenſatorem Myſteriorum DEI. Atque propter hunc characterem tria hæc Sacramenta iterari non poſſunt, ſeu ſemel validè ſuſcepta nequeunt iterum validè ſuſcipi aut conferri. Trid. *loc. cit.* Sed quid factu opus, ſi in collatione hujusmodi Sacramenti non reiterabilis fuiſſet aliquid omiſſum ex incuria vel malitia? aut ſaltem dubium eſſet, an non fuerit aliquid omiſſum? aut ſi iteraretur, poſtquam validè jam fuit aliquando ſuſceptum? ℞. &

2 Dico 1. Si in collatione Ordinis (Confirmationis, vel Baptiſmi) fuit aliquid omiſſum, pertinens ad eſſentiam talis Sacramenti, de novo conferri debet totaliter: ſi verò, quod omiſſum eſt, non ad eſſentiam ſpectet, ſed tamen de

de præcepto fuiſſet ponendum, id cautè ſupplendum eſt, non verò Sacramentum iterandum. Textus & DD. *in c. 1. h. t.* Dixi 1. *de novo conferri*, ſi enim aliquid eſſentiale fuit omiſſum, non propriè iteratio eſt, ſed prima collatio, cùm prior fuerit nulla. 2. *totaliter*, h. e. ponendo eſſentialia omnia, niſi ſtatim fuiſſet notatus error, & moraliter adhuc duraret collatio Sacramenti; tunc enim quod poſitum jam fuit ex eſſentialibus, repetendum non eſt, ſed ſine morali interruptione addendum, quod fuit prætermiſſum. 3. *cautè*, h. e. debita cum reverentia, & cura, ut evitetur ſcandalum.

Oppones. In *c. 1. cit.* habetur, quòd, ſi in Ordinatione Subdiaconi omiſſa fuerit impoſitio manuum, ea non iteranda ſit, ſed ſuo tempore cautè ſupplendum, quod fuit incautè omiſſum. Idem dicitur de eadem impoſitione manuum in Ordinatione Presbyteri & Diaconi. *c. 3. eod.* Sed impoſitio manûs eſt de eſſentia Ordinationis, ſaltem Presbyteri: ergo. ℞. N. *Min.* Quòd non ſit de eſſentia in Ordinatione Subdiaconi & Diaconi, plerique concedent facilè, cùm alia utriusque Ordinis materia exiſtat, nempe traditio calicis vacui cum patena vacua in Subdiaconatu; & traditio libri Evangeliorum in Diaconatu. Pariter certum eſt, impoſitionem manûs primam, quæ antecedit porrectionem patenæ cum hoſtia &c. in Ordinatione Presbyteri non eſſe materiã, adeóq; nec de eſſentia. Si verò evinceretur (quod tamen nunquam fiet) quòd ibi ſit ſermo de impoſitione manuum altera, quando traditur poteſtas 3

ab-

abſolvendi à peccatis, dicerem cum plurimis; impoſitionem de novo faciendam cum cæteris ſubſtantialibus cautè, non verò iterandas eſſe ceremonias accidentales: vel dicerem, quòd textus loquatur de ſupplenda impoſitione manuum quoad *contactum corporalem* & phyſicũ, qui fuit omiſſus; ſed hunc requirit ritus Eccleſiæ tantùm, non neceſſitas Sacramenti. Atque hanc reſponſionem videtur innuere ipſe textus, ut patebit legenti.

4 Dico 2: Quando expenſis omnibus prudens remanet dubium, an aliquod ex tribus Sacramentis fuerit validè collatum & ſuſceptum, illud ſub conditione de novo conferri poteſt; imò, ſi dubitetur de valore Baptiſmi, debet, propter ſummam hujus Sacramenti neceſſitatem tum medii, tum præcepti. Similis neceſſitas videtur exigere collationem conditionalem Ordinis, ne nimirum contingat invalidè adminiſtrari Sacramenta. Ratio, quia ex una parte in dubio circa Sacramenta præferenda eſt opinio favens animabus; ex altera verò nulla hoc pacto Sacramentis irrogatur irreverentia, quam ſatis tollit adjecta conditio ex rationabili cauſa: qualis tamen non eſt, ſi quis non ampliùs recordaretur v. g. vel putaret, quod patenam cum hoſtia non ſatis tetigerit &c. Dixi, *de novo conferri*; nam talis collatio ſub conditione non eſt dicenda *iteratio. c. fin. de Presbyt. non Baptiz.* ibi: *non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum.*

5 Dico 3. Si quis Sacramentum Ordinis (Confirmationis, Baptiſmi) ſcienter iteret, graviſſimè

mè peccat: agit nulliter, & iterans Baptiſmum, tum conferendo, tum recipiendo, incurrit irregularitatem. Pars 1. conſtat indè, quia Sacramentum irreverenter tractat, nulliter conferendo, vel ſuſcipiendo contra inſtitutionem ſuam: pars 2. ex eo, quia hæc Sacramenta ex natura ſua iterari nequeunt ſemel validè collata: pars 3. *ex can. 10. cauſ. 1. q. 7. c. 2. de Apoſtatis.*

TITULUS XVII.

De Filiis Presbyterorum Ordinandis, vel non.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. *Indicantur irregularitates, præter hucuſque recenſitas; præſertim explicatur illegitimitas natalium.*

4. *Illegitimè nati omnes ſunt inhabiles ad Ordines & Beneficia, niſi priùs habilitentur.*

5. *Specialiter autem illegitimè nati ex Clericis.*

6. *Imò Clericorum filii, etiam legitimi, non poſſunt imediatè poſt patrem conſequi idem Beneficium.*

7. *Illegitimi omnes legitimantur per Vota & Profeſſionem Religioſam; ſed non ad Prælaturas, & fortè nec ad Beneficia Curata, & Dignitates Prælaturâ inferiores.*

8. *Quis diſpenſet in defectu Natalium in Ordine ad Ordines & Beneficia. In occulto defectu natalium ſemper Epiſcopus diſpenſare probabiliter poteſt ex indulto Trid. S. 24. c. 6. de Ref. Quandónam delictum, vel defectus cenſeatur eſſe occultus:*

9. *Diſpenſatio in natalibus strictè accipienda eſt.*

1 SCiendum 1. præter illas, quas in ſuperioribus titulis adduximus, inhabilitates, irregularitates, ac impedimenta, quibus tum ab Ordinibus tum à Beneficiis Eccleſiaſticis repelluntur aliqui, per 6. ſubſequentes titulos proponi adhuc alias irregularitates & impedimenta, quibus nempe laborant 1. filii presbyterorum, & alii illegitimè nati; nam præſens titulus *in* 6. ſic inſcribitur: *De filiis Presbyterorum & aliis illegitimè natis.* 2. ſervi. 3. obligati ad ratiocinia. 4. corpore vitiati. 5. bigami. 6. Clerici peregrini.

2 Sc. 2. *Illegitimos* vocari, qui non ſunt procreati ex legitimo thoro, h. e. ex Matrimonio vero, vel ſaltem putatitio. Ex iis alii dicuntur *Naturales*, ſeu *Nothi*, ac *Baſtardi*, qui nempe nati ſunt ex parentibus ſolutis quidem, & non Matrimonio vero vel putatitio ligatis, inter quos tamen potuiſſet conſiſtere Matrimonium vel tempore conceptionis, vel nativitatis, vel intermedio ſaltem. Alii autem *Spurii*, qui ſpectato Jure Canonico ſunt illi, qui prognati ſunt ex parentibus ſolutis, inter quos propter aliquod impedimentum dirimens neque conſiſtere potuit Matrimonium tempore conceptionis, nativitatis, vel intermedio. Ex his aliqui vocantur orti *ex damnato coitu*, ſuntque in quadruplici claſſe. 1. Nati ex adulterio. 2. Nati per ſacrilegium, ſcilicet ex parentibus voto ſolenni caſtitatis adſtrictis. 3. Nati per inceſtum, ex parentibus in linea recta conſanguineis: & hi ultimi appellantur *Nefarii*. Præterea de Jure Canonico in ordine ad ſuſcipiendos Ordines & Bene-

Beneficia Eccleſiaſtica pro illegitimis habentur, qui prognati ſunt ex parentibus quidem Matrimonio ligatis, ſed poſt emiſſum ab uno eorum ſolenne Caſtitatis votum. *c. 14. h. t.* puta, ſi v. g. pater poſt ſuſceptos Sacros Ordines, vel emiſſam cum conſenſu uxoris Religioſam Profeſſionem redeat ad uxorem, & filium generet. Num infantes Expoſiti, die Findel-Kinder, ſint inter illegitimos cenſendi nec ne, diſputant AA. Nos in eorum favorem decidimus alibi.

Sc. 3. Filios Presbyterorum, & aliorum Clericorum, etiam eſſe poſſe diverſæ claſſis: ſcilicet legitimos, qui nimirum ante ſuſceptum Ordinem Sacrum ex legitima uxore geniti ſunt: & illegitimos, qui poſt ſuſceptum Ordinem Sacrum ſacrilegè & ex damnato coitu nati. 3

Dico 1. Illegitimi omnes ſunt ita irregulares, ut neque ad Ordines Minores, neque, ſi fortè ordinati jam ſint, ad ullum Beneficium Eccleſiaſticum promoveri poſſint, niſi prius habilitentur. *c. 1. X & in 6. h. t.* Ratio prohibendi fuit triplex. 1. reverentia Ordinis Eccleſiaſtici, à quo rectè repelluntur laborantes hujusmodi maculâ. 2. deteſtatio paterni criminis 3. timor, ne filii imitentur paternam incontinentiam. Ordines tamen talibus collati valent, quamquam ab eorum executione ſuſpenſi maneant, usque dum diſpenſetur, ubi illegitimitas fuerit nota. Utrùm verò Beneficiorum collatio, illegitimis facta, ſit irrita ipſo Jure, vel irritanda tantùm per ſententiam, diſceptatur inter Auctores. Ex *c. 7. de Elect.* & ex dictis 4

tit. 14. à n. 8. videtur deſumi, quòd ſit ipſo Jure irrita, pro foro nempe externo, ſi illegitimitas non ſit occulta. Dixi, *niſi priùs habilitentur.* Habilitantur autem quatuor modis. 1. per ſubſequens Matrimonium, quod parentes filii illegitimi Naturalis poſtea contrahunt. *c. 1. & 6. qui filii ſint legit.* 2. per Reſcriptum Papæ, vel legitimationem eorum, qui poteſtatem legitimandi Canonicè acceperunt à Papa. 3. per Profeſſionem Religioſam. 4. per Diſpenſationem. De duobus primis modis agetur *ad tit. qui filii ſint legitimi in lib. IV.* de poſterioribus hic in Aſſertione 4. & 5.

5 Dico 2. Filii Presbyterorum illegitimi non poſſunt in Eccleſiis, in quibus eorum patres beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent, aut habuerunt, obtinere quodcunque beneficium, etiam diſſimile, nec in dictis Eccleſiis quoquo modo miniſtrare, nec penſiones capere ex fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel obtinuerunt. Ita ferè in terminis Trid. *S. 25. c. 15. de Ref.* dans hanc rationẽ: ut paternæ incontinentiæ memoria à locis DEO conſecratis longiſſimè arceatur. Dixi 1. *Presbyterorum*, nimirum præcipuè; nam pari modo excluduntur aliorum Clericorum filii, etiam ante Clericatum illegitimè ſuſcepti, ut decîdit Rota, teſte Garc. *de Benef. p. 7. c. 3. n. 12.* Dixi 2. *illegitime*, h. e. *non ex legitimo Matrimonio nati*, ut loquitur Trid. *lo. cit.* quare etiam excluduntur legitimati, niſi legitimati ſint per ſubſequens Matrimonium, aut Papa diſpenſando expreſsè & ſpecialiter tollat hanc inhabili-

bilitatem; nam legitimati per Reſcriptum non ſunt nati ex legitimo Matrimonio. Dixi 3. *quoquo modo miniſtrare.* ſcilicet ex officio, uti eſt exercere officium Sacriſtæ, Cantoris &c. nam ex devotione & liberè non prohibentur miniſtrare. Reliqua verba aſſertionis ſunt preſsè accipienda, partim quia ſunt in materia odioſa, partim quia continent reſtrictionem antiqui Juris. *c. 7. 11. 17. h. t. &c.* ubi prohibetur ſolùm immediata ſucceſſio filii in beneficio vel officio paterno.

Dico 3. Filii Presbyterorum legitimi non poſſunt immediatè ſuccedere in beneficiis, quæ eorum patres obtinuerunt in Titulum. *c. 7. 11. 13. & 17. cit.* ratio eſt ſpecies hæreditariæ ſucceſſionis, quam in Beneficiis Jura deteſtantur. Trid. *c. 7.* Dixi 1. *Presbyterorum legitimi*, uti & aliorum Clericorum Sacris initiatorum, qui ex Matrimonio, ante Sacros Ordines ſuſceptos, genuerunt filios. 2. *immediatè*; ſi enim inter patrem & filium legitimum interceſſiſſet alius in beneficio, poſſet illud obtinere filius. 3. *ſuccedere*: unde ſimul cum patre, vel ante, vel poſt illum, in eadem Eccleſia beneficium diverſum à beneficio patris obtinere poteſt filius. *c. 12. eod.* 4. *quæ obtinuerunt in Titulum*, h. e. cum jure in re; ſi enim pater habuiſſet ſolùm Vicariam temporalem, in ea poſſet immediatè ſuccedere filius. *c. 8. eod.* Ratio horum omnium eſt; quia ſic non reperiretur ſpecies hæreditariæ ſucceſſionis, quæ ſolùm datur in iis rebus, in quibus pater habuit jus in re, & quidem in eadem re, poſt patrem immediatè obtenta. 6

7 Dico 4. Illegitimi omnes per Profeſſionem & Vota Religioſa habilitantur ad Ordines & Beneficia ſimplicia recipienda, non verò ad Prælaturas ſui Ordinis Religioſi. *c.* 1. *& fin. h. t.* Dixi 1. *per Profeſſionem & Vota*; unde per ſolum ingreſſum in Novitiatum non legitimantur per *cc. citt.* quia legitimatio ad Ordines fit ad rem ſtabilem, adeóque non concedi cenſetur illis per aſſumptionem ſtatûs nondum ſtabilis. Et ſanè, ſi per ingreſſum in Novitiatum tolleretur vitium Natalium, facilè foret ſe liberare hac irregularitate, nimirum fraudulenter ingrediendo Novitiatum ad tempus. Semel tamen legitimati per ſubſecutam Profeſſionē vel Vota Religioſa perſeverant tales, etiamſi poſtea iterum ejiciantur vel dimittantur; quia hæc reincidentia, de qua ſilent Jura, gratis aſſeritur. 2. *Ad Ordines*, etiam Presbyteratûs. 3. *& Beneficia ſimplicia*; imò ſpectato Jure, & abſtrahendo à conſuetudine, etiam ad Beneficia Curata, Perſonatus, & Dignitates, quia *c. fin.* ubi ab iſtis repelluntur illegitimi, loquitur ſolùm de Clericis Sæcularibus. 4. *non verò ad Prælaturas. c.* 1. *cit. juncta gl. v. prælationem.* Ad has neque fœminæ Religioſæ, vitio originis laborantes, evehi poſſunt. per *c.* 9. *de Elect. in* 6. niſi cum ipſis diſpenſetur: multi tamen Religioſi Ordines gaudent privilegio diſpenſandi cum fœminis illegitimis ad Prælaturas Religioſæ ſuæ familiæ.

8 Dico 5. Cum illegitimis in defectu Natalium ad Ordines Minores & beneficia ſimplicia diſpenſat Epiſcopus: ad Ordines Majores & bene-

beneficia curata, Perſonatus, ac Dignitates ſolus Papa: ſi tamen defectus ſit occultus, probabiliter etiam Epiſcopus. Pars 1. ſumitur ex *c. 1. h. t. in 6.* Pars 2. ex *c. cit. & c. fin. X.* cùm utique inferior Papâ in Jure Communi diſpenſare nequeat. Pars 3. eſt quidem contra communem, tenetur tamen à Diana, Avila *de Cenſur. p. 7. d. 3. dub. 7.* Barb. *J. E. U. lib. 1, c. 11. n. 156.* Engel *hic n. 9. & de Majorit. n. 50.* P. Schmier *de Poteſtate Ordinis c. 6. n. 86.* & per ea, quæ dicit *n. 196. 470.* Probatur ex Conc. Trid. quod *S. 24. c. 6. de Ref.* ampliſſimam tribuit poteſtatem Epiſcopis diſpenſandi *in omnibus irregularitatibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum.* Jam ſic: poteſtas diſpenſandi, alicui conceſſa, præſertim à Jure Communi & à Concilio Generali, eſt favorabilis, & conſequenter latæ interpretationis, ut nemo facilè negaverit; quia eſt merus favor, in nullius præjudicium cedens, & clarè deſumitur ex *c. fin. de Simon. & c. olim de V. S.* ergo facultas diſpenſandi Epiſcopo conceſſa in omnibus irregularitatibus ex *delicto* occulto provenientibus, rectè extenditur ad irregularitates ex *defectu* occulto (vel delicto minùs proprio) provenientibus, cujuſmodi defectus eſt vitium Originis ſeu Natalium. Confirmatur 1. ſi non extenderetur ad irregularitates ex defectu provenientes, melioris forent conditionis, qui per delictum ſe ipſos culpabiliter fecerunt irregulares, ac qui ſine delicto, ſaltem proprio, inculpabi-

liter contraxerunt irregularitatis impedimentum. Confirm. 2. Defectus Natalium non contrahitur ſine delicto, ſaltem alieno parentum: ergo, cùm Tridentini conſtitutio ſit latè interpretanda, amplianda eſt etiam ad caſum, quo ex delicto non proprio, ſed alieno, contratrahitur irregularitas: ergo irregularitas orta ex defectu Natalium occulto rectè dicitur orta ex delicto occulto, adeóque diſpenſabilis ab Epiſcopo. Confirm. 3. Non errare videtur, qui diceret, Tridentinum *loc. cit.* mentionem faciens *delicti* illud retuliſſe ad *Suſpenſiones*, de quibus etiam loquitur, non ad *Irregularitates*; quia Suſpenſiones, prout ſunt cenſuræ, nunquam incurruntur ſinè delicto, bene tamen irregularitates. Notetur bene iſta doctrina, quia ſerviet in multis materiis. Porro per delictum (& defectum) *occultum* intelligitur non tantùm illud, quod probari nequit, ſed etiam, quod non eſt notorium vel notorietate facti, eò quòd excuſari aut tergiverſatione celari poſſit, vel notorietate Juris, eò quòd non conſtet ex confeſſione propria Judiciali, aut ſententiâ Judicis. Fagnan. *in c. 7. de cohabit. Cler. & Mul. à n. 121.* Wieſtner *ad tit. de homicid. n. 169.* Navar. Sanch. &c.

9 Quamvis verò facultas diſpenſandi in vitio Originis ſit latæ interpretationis, ſtrictè tamen accipi debet ipſa diſpenſatio, utpote derogans Juri Communi. Unde infertur 1. quòd diſpenſatus ſimpliciter ad Ordines, ſine addito, non ſit diſpenſatus ad Ordines Majores. 2. nec ſimpliciter diſpenſatus ad Beneficia hoc ipſo ad Benefi-

neficia Curata, &, quæ his æquiparantur *c. 54. §. partibus de Elect.* ad Dignitates & Perſonatus &c. ac univerſim quòd diſpenſatio in certo genere obtenta non debeat extendi ad aliud genus, præſertim præſtantius: unde diſpenſatus ad Ordines Minores non cenſetur diſpenſatus ad Beneficium ullum; *Minores*, inquam, quia diſpenſatio ad Ordines *Majores* probabiliùs ſe extendit ad beneficii ſimplicis conſecutionem; cùm Trid. *S. 21. c. 2. de Ref.* nolit conferri Ordinem Sacrum ſine titulo Beneficii; nam titulus Patrimonii ſolùm ex indulgentia ſufficit. Adde, quòd Epiſcopus poſſit conferre beneficium illegitimo, ad Minores Ordines promoto. *c. 1. cit.* quidni etiam ad Sacros promoto? Cœterùm ſiquis abſolutè legitimetur, vel diſpenſetur in defectu Natalium à Papa, extendit ſe diſpenſatio ad quoscunq; effectus, ad quos Papa diſpenſare cum illegitimis poteſt; quia eſt plena reſtitutio Natalium, & ſingulare beneficium Principis, quod regulariter amplè accipiendum.

TITULUS XVIII.

De Servis non Ordinandis, & eorum Manumiſſione.

SUMMARIUM.

1. *Quinam propriè & Juridicè dicantur ſervi.*
2. *Sunt Irregulares.*
3. *Quid Juris, ſi fortè ordinentur ſine prævia manumiſſione & conſenſu Domini.*
4. *Nec ſervi Adſcriptitii & Originarii licitè ordinan-*

nantur ſine conſenſu Domini.
5. *Nec liberti ſine conſenſu Patroni.*

1 SCiendum, *Servos* propriè & Juridicè acceptos, dici illos homines, qui contra naturalem libertatem, quam omnibus indulſit Natura, Jure Gentium ſubjiciuntur alieno dominio. *§. 2. J. de Jure perſonarum.* Ut adeò, quidquid acquirunt, domino acquirant, nec valeant habere bona propria, nec facere teſtamentum, nec exercere commercia, nec eſſe teſtes aut Judices, nec frui Civilibus Juribus, nec ullum actum Civilem gerere &c. *l. 1. ff. de his, qui ſui vel alieni, &c.* Tales efficiuntur præcipuè ex duplici cauſa, 1. ex nativitate, qui nempe naſcuntur ex matre ſerva, ſeu ancilla propriè dicta. 2. ex captivitate, qui ſcilicet capiuntur in bello juſto. *§. 4. J. de Jure perſ.* Partus enim ſequitur ventrem quoad ſtatum & conditionem. *l. 7. C. de R. V.* Porro *ſervi* dicuntur, quia capti in bello juſto *ſervati* ſunt, cùm potuiſſent occîdi: *Mancipia* autem, quia *manu capti.* Defacto inter Chriſtianos bella gerentes, qui capiuntur, non fiunt ſervi, in reverentiam ſcilicet Chriſtianæ libertatis, ſed præſtito lytro dimittuntur liberi. Si tamen Chriſtiani in bello capiant Paganos & Turcas, verè adhuc hodie eos licet efficere ſervos, nimirum Jure Talionis, quia etiam illi captos Chriſtianos efficiunt ſervos, & ut tales tractant: item veri ſervi ſunt, quos Hiſpani ex India & Africa bellô captos detinent, usque dum baptizantur. Dixi 1. *propriè* acceptos; namque inter Chriſtianos reperiun-

riuntur ſervi impropriè dicti, ſcilicet homines, quos vocant *Adſcriptitios*, &, qui ex iſtis generantur, *Originarios*, à quibus parùm, vel omnino non differunt, quos appellant homines *Proprios*, Leibeigne; qui videlicet Dominis ſuis non ſolùm ratione ſuorum bonorum & poſſeſſionum, quo modo omnes Emphyteutæ, Feudatarii &c. ſubjiciuntur, ſed etiam perſonaliter devincti ſunt perpetuò, v. g. ad colendos agros, vel ad alia obſequia: re ipſâ autem ſunt liberi, propriorum bonorum capaces, & ad actus legitimos admittuntur. Dixi 2. *Juridicè* acceptos; nam etiam famuli & famulæ domeſticæ, pro annua mercede ſervientes Dominis, vocantur ſervi & ancillæ; quamquam iis nec perſonaliter obſtricti ſint perpetuò, adeóque omnino liberi exiſtant. Multò minùs ſervi ſunt, qui alieno dominio jurisdictionis tantùm ſubjecti ſunt, nec vocantur ſervi, ſed *ſubditi*. Porro ſervi à ſua ſervitute liberantur per *Manumiſſionem*, vel tacitam vel expreſſam; qui ſic liberantur, dicuntur *Manumiſſi*. His vicini ſunt *Liberti*, vel *Libertini*, qui quidem manumiſſi & à ſervitute liberati ſunt, at non plenè, ſed ſub conditione operarum ex perſonali obligatione adhuc præſtandarum.

Dico 1. Servi propriè dicti non ordinari poſſunt licitè, niſi fuerint priùs abſolutè manumiſſi. 2
t. t. de ſervis non Ord. & t. diſt. 54. Ratio, quia dignitas Ordinis Clericalis non convenit vilitati & conditioni ſervili, nec obligatio miniſtrandi Eccleſiæ compatibilis eſt cum obligatione ſerviendi hero: vel enim ſervus Ordinatus præ-

ſtaret

ſtaret obſequia Domino? & hoc præjudicat dignitati Clericali: vel non præſtaret? & hoc cedit in præjudicium Domini. Si verò Dominus conſentiat in Ordinationem ſui ſervi, & manumittat, utrumque præjudicium ceſſat.

3 Quæres, quid juris ſit, ſi ſervus, antequam manumiſſus eſt, Ordines ſuſcepit? ℟. cum diſtinctione: vel Dominus conſenſit tacitè aut expreſsè in Ordinationem? vel non conſenſit, quia nempe neſcivit ordinari ſervum ſuum, aut etiam contradixit? ſi prius contigit; ſervus per ſuſceptos Ordines, quin & per primam Tonſuram, eo ipſo factus eſt liber. *can. 20. d. 54.* Si poſterius: tunc, ſi tantùm Minores Ordines recepit, poterit eum Dominus per integrum annum ab habita Ordinationis notitia revocare ad ſervitutem; & ille erit ſervus ut antè, nec Fori nec Canonis privilegio gaudens. *c. 2. h. t.* Si verò recepiſſet inſcio vel invito Domino Ordines Majores, tunc altera diſtinctio facienda eſt circa Ordinantem & Ordinatum: ſi Ordinans vel alius, qui eum promovit, ſcivit eſſe ſervum, tenetur Ordinans, vel promotor, Domino dare duos ſervos æquè bonos, unum in compenſationem damni, alterum in pœnam; Ordinatus verò factus eſt liber: ſi verò nec Epiſcopus Ordinans, nec promotor, ſcivit eſſe ſervum, ſed is nequiter ſe finxit liberum; tunc Ordinatus tenetur ſatisfacere Domino, alium ſervum ſubſtituendo; ſi verò alium ſubſtituere non poſſit, ipſe redigitur in priſtinam ſervitutem, privatus privilegio Fori (& probabiliter etiam Canonis reſpectu Domini, ut ab eo caſti-

ſtigari verberibus poſſit. per *can. 2. d. cit.*) ac interim ſuſpenſus ab officio Sacro, non verò liberatus à voto caſtitatis. *can. 9. d. cit.* Hæc intelligenda ſunt, ſi fraudulenter factus ſit Subdiaconus aut Diaconus tantùm: ſi verò Presbyter evaſiſſet, factus quidem eſt liber, ſed peculium, ſi quod habuit, Domino ceſſit: ſi nullú habuit, tenetur ſaltem per miniſteria ſacra ſaisfacere Domino, quantùm poteſt. *can. 9. cit. & ſeq.*

Dico 2. Etiam ſervi Adſcriptitii & Originarii, ac homines Proprii, non Ordinantur licitè ſine conſenſu & manumiſſione priùs obtenta à Dominis. *can. 12. & 21. d. cit.* Concordat praxis, dum Epiſcopi jubent hujusmodi homines docere in ſcriptis de conſenſu Dominorum ſuorum & manumiſſione. 4

Dico 3. Etiam à ſuſcipiendis Ordinibus prohibentur Liberti, quos Dominus quidem manumiſit, ſed cum onere præſtandarum ſibi operarum ſeu obſequiorum temporalium. *can. 5. & fin. d. cit.* Filii autem libertorum non ampliùs ſunt irregulares, ſed *Ingenui* exiſtunt, & *Patrono* (ſic vocatur, qui manumittit) patris ſui ſolùm debent reverentiam. Dixi, *temporalium*, nam operas ſpirituales, v. g. certas Miſſas pro ſe legendas ſibi reſervare poteſt Dominus, & Ordinandum ad eas obligare. Sed ut caveatur Simonia, debet libertas non dari pro obſequio ſpirituali, ſed pro obligatione perpetua inſerviendi in ſpiritualibus: quæ obligatio eſt pretio æſtimabilis. 5

TITU-

TITULUS XIX,

De Obligatis ad Ratiocinia Ordinandis, vel non.

SUMMARIUM.

1. *Quinam veniant nomine obligatorum ad ratiocinia.*
2. *Ordinari prohibentur, antequam depoſitô officiô ſatisfecerint Domino.*
3. *Quid Juris, ſi Ordinentur adhuc obligati.*

1 SCiendum, *Obligatos ad ratiocinia* hoc loco appellari illos, qui adſtringuntur alteri ad reddendas rationes propter aliquam adminiſtrationem bonorum temporalium alienorum, vel *publicam*, qualem habent *Curiales*, ſeu qui procurant negotia & officia Curiæ, uti Theſaurarii, Quæſtores, tributorum Collectores, Procuratores Collegiorum, Syndici, Actores, item qui res Bellicas tractant, uti Præfecti Arcium & Urbium, Duces, Capitanei, Commiſſarii: vel *privatam*, cujusmodi obtinent Tutores, Curatores, Depoſitarii, Teſtamentorum & Sententiarum executores. *can. un. d. 53. can. 3. d. 54. c. un. h. t.* Huc revocaveris Vaſallos, ad obſequia perſonalia obligatos Domino feudi. Econtra per obligatos ad ratiocinia hic non veniunt, qui tales habent adminiſtrationes & officia, quæ etiam à Clericis laudabiliter geruntur, uti ſunt 1. adminiſtratores rerum Eccleſiaſticarum, etiam temporalium. 2. tutores & defenſores pauperum ac miſerabilium perſonarum,

Digitized by Google

rum, v. g. viduarum, & pupillorum, alio adjutore carentium. 3. adminiſtratores cauſarum & locorum piorum. 4. habentes legitimam tutelam proximorum agnatorum. *can. ult. d. 86. can. 1. cauſ. 21. q. 3.* Rurſus non veniunt obligati aliis ex mutuo, promiſſione, emptione, conductione, vel alio contractu, modò obligatio non proveniat ex *adminiſtratione* rerum alienarum temporalium; quia nullo Jure de his legitur expreſſum, quod ab Ordinibus repellendi ſint. Excipe, niſi taliter obligatis jam mota ſit lis de dolo, vel movenda credatur; quia ſi contingeret eos ex tali actione condemnari, redderentur infames, & hoc ipſo irregulares. Præterea ex conſuetudine, Juris interprete, non comprehenduntur Cancellarii, Conſiliarii, & Judices Principum, ſi tractent res tantùm Civiles. Imò in quibusdam locis ex conſuetudine nullus tutor repellitur ab Ordinibus, ſed contra *c. un. cit.*

2 Dico. Obligati ad ratiocinia licitè non Ordinantur, niſi priùs depoſito officio rationes reddiderint, & plenam liberationem à ſuis Principalibus obtinuerint, *can. un. &c. un. cit.* Ratio eſt partim, ne contingat Eccleſiam indè infamari, vel litibus aliisve incommodis vexari, partim quia taliter obligati ad ſacras functiones ſunt minùs apti propter curas ſæculares, partim ne Ordinatio horum hominum cedat in præjudicium eorum, quibus obligati ſunt; per Ordines enim conſequuntur privilegium *competentiæ*, vi cujus plena in ipſos executio fieri nequit. Debet igitur priùs non ſolùm deponi offi-

officium, & rationes actu eſſe redditæ; ſed etiam plena liberatio à Principalibus conceſſa, ita ut nullo ampliùs debito pecuniario maneant onerati, qui ex his aſpirant ad Ordines. Sufficit tamen, ſi vel Principalis promittat, ſe nollè propter debitum adhuc reſiduum convenire Ordinatum; vel ipſe adminiſtrator per pignora aut fidejuſſores idoneam cautionem præſtiterit ſuo Principali de ſolvendis debitis; quia SS. Canones exigunt ſolùm, ut onus adminiſtrationis deponatur priùs, & reddantur rationes, nuſpiam autem requirunt actualem ſolutionem debitorum.

3 Quæres, quid Juris ſit caſu, quo ratiociniis adhuc obſtrictus fuiſſet Ordinatus? ℞ Ordinatus deberet cedere bonis ſuis tali ceſſione, quæ in ſtatûs Eccleſiaſtici dedecus non redundat; qualis eſt ea, quæ permittitur Clericis *in c. Odoardus 3. de ſolut.* nempe ut ipſi relinquatur competens ſuſtentatio: vel compellendus eſt ab Epiſcopo ad alio modo ſatisfaciendum, ſi poſſit. Quin ipſe Epiſcopus, ſi talem ſcienter ordinaverit contra voluntatem Creditorum, tenetur ſatisfacere loco Ordinati, eò quòd fuerit principalis cauſa damni.

TITULUS XX.

De Corpore vitiatis Ordinandis, vel non.

SUMMARIUM.

1. *Corpore Vitiati ſunt in triplici claſſe: Mutilati: Debilitati: Deformes.*

2. Qui-

2. *Quinam vitiatis corpore non accenſendi. In dubio declarat Epiſcopus.*
3. *Vitiati corpore ſunt Irregulares.*
4. *Quis in vitio corporis diſpenſet.*

SCiendum 1. *Vitiatos corpore* tùm à Jure tùm à DD. nuncupari, qui vel carent aliqua parte corporis: vel habent ita debilitatam, ut miniſterio Ordinum rectè fungi nequeant: vel laborant tali deformitate, ut ſine horrore aut riſu conſpici, aut ſacras functiones ſine indecentia obire non poſſint. Unde in triplici ſunt claſſe. In 1. *Mutilati.* In 2. *Debilitati.* In 3. *Deformes.* Ad *Mutilatos* pertinent, qui carent aliquo corporis membro, ſeu tali parte, quæ peculiarem functionem habet in corpore humano ab aliis partibus diverſam, uti eſt lingua, oculi, aures, naſus, manus, pedes &c. digitus enim non cenſetur membrum eſſe, ſed pars membri, cùm membrum aliquod, nempe manum, in ſua functione tantùm adjuvet. Igitur ad mutilatos ſpectant muti, cæci (h. e. utroque oculo deſtituti) ſurdi (nempe auditu in utraque aure privati) claudi ita, ut ſine baculo ad altare non valeant accedere, manu aliqua carentes. Item qui ſibi ipſis cum culpa mortali vim intulerunt ſe ipſos mutilando, etiamſi digitum duntaxat vel partem digiti ſibi abſciderint, vel ab aliis abſcindi fecerint, propter crudelitatem in ſe ipſos exercitam, & illatam Creatori injuriam. *can. 6. d. 55. c. 1. h. t.* Huc revocantur, qui ſe ipſos caſtraverunt, vel caſtrari fecerunt (per amputationem virilium) vel ſtudio con- 1

ſervandæ caſtitatis, & placendi DEO. *c. 4. eod.* vel ex alia cauſa, v. g. retinendæ vocis elegantis. *arg. can. 6. cit. & ſeq.* Diſſentit quoad hoc poſterius Caramuel, Paſqual. Palao, Tambur, & alii: deciſio videtur pendére ex eo, utrùm peccet caſtrari ſe ſinens propter retentionem vocis: peccare autem communior eſt ſententia AA. Ad *Debilitatos* ſpectant, qui quidem habent omnia membra, ſed unum vel plura, quæ ad Sacrum miniſterium requiruntur, prorſus inutilia, uti ſunt habentes linguam valde ligatam, aut penitus præcipitem, manum aridam, vel indice aut pollice carentem, crus contractum: item laborantes morbo gravi, continuo, moraliter incurabili, ſive corporis ſive animi, uti paralytici, leproſi, epileptici ſeu morbo caduco correpti, lue venerea infecti, amentes, furioſi, lunatici, phrenetici, arreptitii ſeu à dæmone obſeſſi &c. ſi tamen iſti per integrum anni ſpatium ab his morbis & miſeriis nihil patiantur, juxta arbitrium Epiſcopi ad Ordines admitti poſſunt, per *can. 3. d. 33.* quia tunc primùm fortè credendi eſſent ab his malis liberati; rarò enim plenè liberantur. Ad debilitatorum claſſem revocari poſſunt abſtemii, ſeu vinum bibere non valentes, ſaltem reſpectu Sacerdotii. Vid. text. & DD. ad hunc *tit.* & ad *tit. de Clerico ægrot. can. 3. cit. can. fin. d. 55. &c.* Ad *Deformes* denique referuntur, qui notabilem maculam in vultu, aut defectum alicujus membri, non facilè occultabilem, ex quo aſpicientibus vel generetur horror, vel moveatur riſus: cujusmodi reputantur eſſe truncati naribus

bus vel auriculis, monoculi cum notabili turpitudine, fœdam in vultu cicatricem circumferentes, vel os porco ſimile, aut oculos valde diſtortos, caput monſtruosè vel parvum vel grande, tubera fœdè exſtantia, ſtrumas, gibbum magnum: pygmæi, valde deformiter claudicantes, habentes unum brachium notabiliter brevius altero. DD. ad text. *citt.*

Sc. 2. Vitiatis corpore non accenſeri 1. Qui habet unum oculum potentiâ videndi deſtitutum ſine notabili deformitate, etiamſi ſit oculus ſiniſter, ſeu oculus *Canonicus*, ut vocant, eò quòd ad legendum Canonem Miſſæ ſit illo præcipuè opus, modò talis ſine inconvenientia adhuc legere poſſit Canonem oculô dexterô: ſi tamen alteruter oculus omnino eſſet erutus, vel deſtructus, induceret irregularitatem, faciliùs autem diſpenſabilem, ſi dexter, quàm ſi ſiniſter eſſet deſtructus. 2. Luſci, aut obliquè intuentes citra magnam deformitatem. 3. Surdaſtri, aut qui dentibus carent. 4. Qui blæſæ ſunt linguæ. 5. Qui in membro non neceſſario ad functiones Clericales paſſus eſt ab alio mutilationem, aut ſectionem, v. g. à Medicis, ab hoſtibus, vel per inſidias, vel eunuchus natus eſt. *can. 20. Apoſt. c. 3. h. t.* Imò etiamſi aliquis propriâ culpâ paſſus ſit mutilationem vel amputationem membri, ad functiones Clericales non neceſſarii, v. g per adulterium, rixam, cui anſam dedit; modò non intenderit mutilationem, ut cum Garc. docent multi contra non paucos; quia Jura videntur loqui de mutilatione, quam quis intendit. Citatur quidem ab 2

 Ad-

Adverſariis pro ſe. *c.1. h. t.* ubi presbyter, qui in duello partem digiti amiſit, *miſericorditer* fuit permiſſus miniſtrare: ſed rectè reſpondetur, illum presbyterum duellantē cum magno ſcandalo fuiſſe ſuſpenſum potiùs, quàm irregularem. 6. Qui citra notabilem deformitatem in una manu habet 6. digitos, aut digito uno non neceſſario ad Sacras functiones caret. 7. Qui pedes, quantumvis introrſum vel extrorſum valde detortos habet, cùm hæc deformitas poſſit tegi veſtibus. Cæterùm an vitium corporis, aut deformitas ſit tanta, quæ inducat irregularitatem, in dubio judicare & determinare eſt penes Epiſcopum. per *c.2, h.t.* & penes Prælatos Regulares Exemptos quoad ſuos Religioſos; cùm in hos habeant jurisdictionem quaſi Epiſcopalem; Epiſcopus tamen non tenetur ſtare judiciô Prælatorum Regularium in ordine ad conferendos Ordines: ſi verò defectus corporis vel deformitas ſuperveniat Ordinibus jam ſuſceptis, Prælati Regulares de ea judicare poſſunt circa ſuos Religioſos ſine regreſſu ad Epiſcopum.

3. Dico. Vitiati corpore ordinantur illicitè, & in Ordinibus ſuſceptis non poſſunt miniſtrare, quādiu durat vitium corporis, vel in eo non diſpenſatur. *can.1. & 2. d.49. d.55. ferè tota, & ferè t. h. t.* Dixi 1. *vitiati corpore*, quos nimirum *n.1.* deſcripſi. 2. *Ordinantur illicitè*, videlicet abſolutè, ita ut ad nullum Ordinem promoveri poſſint, etiamſi v.g. ad ſolum Presbyteratum careant membro neceſſario, v.g. manu, vel pollice cum indice, ad aliorum verò Ordinum offi-

officia decenter obeunda apti ſint. per *can.* 1. *d.* 36. *can.* 59. *d.* 50. *can.* 4. *ſeqq. d.* 55. *c.* 3. *h. t.* ubi generaliter prohibentur promoveri ad Clericatum, adeóque ad quoscunque Ordines, etiam primam Tonſuram. Diſſentit Sayrus. 3. *& in Ordinibus ſuſceptis non poſſunt miniſtrare*, intellige non abſolutè in omnibus, ſed ſolùm in illis, quorum functiones vel ſimpliciter, vel ſine indecoro, ſcandalo, irreverentia exercere non ampliùs valent. per *c.* 2. *de Cler. ægrot.* nam melioris conditionis ſunt, utpote jam habentes jus quæſitum, apud quos ſupervenit tale vitium poſt ſuſceptos Ordines, quàm qui ante illos ſuſceptos eo laborant. Unde ſi Sacerdos v. g. ſine propria culpa fiat cœcus, non quidem ampliùs permittitur celebrare, etſi fortè aliquam Miſſam v. g. de B. V. ſciret memoriter, propter morale periculum irreverentiæ ſacris ſpeciebus inferendæ &c. non tamen prohibetur audire Confeſſiones: ac viciſſim ſi fiat ſurdus, poteſt celebrare Miſſas, cùm abſolutè non ſit neceſſe, ut audiat Miniſtrum reſpondentem, modò moraliter certus ſit, eum reſpondere, non tamen poteſt audire Confitentes. Pari modo contingere poteſt, ut Sacerdos propter ſupervenientem aliquam deformitatem vel morbum prohibendus ſit à celebratione in loco publico, non tamen in loco privato. 4. *quamdiu durat vitium;* eo enim ceſſante ceſſat quoque irregularitas hæc. 5. *vel in eo non diſpenſetur.* Sed hinc

Quæres, quis diſpenſet in vitio corporis? 4
R. 1. per ſe & ordinariè ſolus Papa, quia eſt im-

pedimentum Jure Communi introductum, qui tamen in quibusdam vitiis, ubi nempe ingens eſt periculum irreverentiæ Sacramento inferendæ, vel ſcandali, nunquam diſpenſare ſolet; in quibusdam aliis rarò. ℞. 2. Epiſcopus diſpenſat 1. cum eo, qui fecit ſibi amputari virilia. *c. 4. h. t.* ibi Panormit. *n.* 2. Pirh. hic *n.* 15. ſed ex auctoritate ſibi delegata à Pontifice. 2. in vitio non notabili. Pirh. *ibidem.* 3. in vitio orto ex delicto occulto, v. g. quo aliquis ſe ipſum mutilavit, ſi hæc mutilatio non impedit functionem ſacram. per Trid. *S. 24. c. 6. de Ref.* Imò juxta me etiam, ſi daretur vitium corporis occultum, & non impediens Sacram functionem, etiamſi ſine delicto proprio, aut propriè tali fuiſſet ortum, per ea, quæ dixi ad *tit. 15. de filiis Presbyt. n. 8.* 4. In dubio, ſed tunc potiùs declarat Epiſcopus (uti & Prælatus Regularis circa ſuos) vitium non eſſe tale, quod inducat irregularitatem, vel jam Ordinatum poſſe etiam publicè exercere actus ſui Ordinis.

TITULUS XXI.

De Bigamis non ordinandis.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit Bigamia, tam Vera, quàm Interpretativa, & Similitudinaria.*
2. *Quando Bigamia non contrahatur.*
3. *An in Infidelitate duas ducens uxores ſit Irregularis.*
4. *Bigami ſine peccato & certis pœnis non Ordinan-*

nantur, niſi priùs ſint diſpenſati.

§. 6. *Quis diſpenſet cum Bigamis.*

SCiendum 1. Ad hoc, ut aliquis fiat *bigamus* 1
ſeu bis conjugatus, requiri duo. 1. Matrimonium iteratum. 2. Copulam carnalem, vi cujus caro viri in plures mulieres dividitur, affectu maritali peractam (ſi propter aliquem defectum maritalis non ſit reipſa, non datur Bigamia) ſive dein Matrimonium ſit verè, ſive interpretativè, ſive ſimilitudinariè iteratū. *can.* 9. *ſeqq. d.* 34. *c.* 4. 5. *h. t.* Unde *Bigamia* (aliqui legunt *Digamia*) triplex eſt, vera, interpretativa, & ſimilitudinaria. *Vera*, & propriè dicta, eſt, quando quis duo vel plura Matrimonia validè contraxit, & interveniente copula conſummavit. *Interpretativa*, quando quis revera contraxit quidem unicum Matrimonium, ex interpretatione tamen & fictione Juris cenſetur contraxiſſe duplex, & cum duabus, ut ſi quis contrahat Matrimonium & conſummet cum vidua: vel cum repudiata à viro, cum quo fuit Matrimonio copulata, & copulam conjugalem habuit: vel cum tali, quæ fuit ab alio corrupta: vel actu maritali conjungitur propriæ uxori, poſtquam hæc commiſit adulterium vel ſponte, vel vi oppreſſa. Nec obſtat, quòd talis vir putaverit, ſe ducere virginem in uxorem, aut ignoraverit, ſuam uxorem fuiſſe adulteriô violatam; nam bigamia non ſolùm contrahitur propter peccatum & in pœnam (quo caſu utique requireretur ſcientia) ſed etiam ſine peccato, & principaliter propter defectum *Significationis Sacramenti Matrimonii*,

quod ex inſtitutione ſua ſignificat perfectam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per aſſumptionem carnis humanæ, & quidem unici cum unica, ſeu conjunctionem unius Chriſti cum una Eccleſia, eáque immaculata. *c. 5. cit.* Unde hæc irregularitas dicitur oriri ex *defectu Sacramenti*, ſeu potiùs ſignificationis Sacramenti. Ad interpretativè bigamos reducitur inſuper 1. Qui conjugatus vivente uxore ſuperinducit aliam, & ſic polygamus efficitur. 2. Qui primâ mortuâ contrahit, cum qua tamẽ contrahere validè nequit propter impedimentum dirimens (probabiliter etiam incognitũ) & conſummat affectu maritali, quantùm eſt ex ſe. 3. Qui cum duabus contrahit invalidè, ſecutâ ſemper copulâ. 4. Qui poſt mortem conjugis initiatus Ordinibus Sacris attentat novum Matrimonium contrahere, ſecutâ copulâ. *Similitudinaria* demum bigamia eſt, quando quis antecedenter nunquam conjugatus poſt Profeſſionem Religioſam, vel ſuſceptos Sacros Ordines, contrahit, vel potiùs contrahere attentat Matrimonium cum una, eáque virgine, ac maritali affectu conſummat. *can. 24. cauſ. 27. q. 1. c. 4. de Clericis conjug. c. 2. qui Clerici vel voventes.* Vocatur hæc bigamia ſimilitudinaria propter ſimilitudinem, quam conjugium ſpirituale, quod votô caſtitatis ſolenni ligatus contrahit cum DEO vel Eccleſia, habet cum carnali: qui igitur poſt ſpirituale conjugium contrahere attentat carnale, quaſi & impropriè bigamus efficitur.

2 Sc. 2. Bigamis è diverſo non annumerari. 1. Qui

Qui Sponſalia de futuro tantùm contraxit cum pluribus, etiam ſecutâ copulâ fornicariâ. 2. Qui cum duabus quidem contraxit de præſenti, ſed cum una tantùm conſummavit Matrimonium. 3. Qui duxit viduam, ſed à priori marito, aut ab alio, nunquam cognitam. 4. Qui duxit fœminam, quam ipſe ſolus, & non alius, priùs carnaliter cognovit; nam nec ipſe, nec fœmina talis, diviſit carnem in plures. 5. Qui cum meretrice una, vel pluribus eſt fornicatus, ſive id fecerit ſolutus, ſive ligatus; quia per copulam fornicariam non ſignificatur conjunctio Chriſti cum Eccleſia, ſed per Matrimonium maritali affectu conſummatum. Oppones. In *can. 2. d. 33.* ab Ordinibus repellitur etiam ille, qui *unam quidem, ſed concubinam, non matronam habuit --- vel meretricem:* ergo ducens talem, cum qua ipſe ſolus habuit rem ſæpius, & ducens meretricem, ſpectat ad bigamos. ℞. *N. Conſ.* nam ſuppoſito etiam, quòd ille Canon ſit Gregorii Papæ, & non Gennadii, de quo valde dubitatur, illa irregularitas fuit ſolùm ratione cõcubinatûs & meretricii, quæ per *c. 6. h. t.* ſublata eſt.

Petes, an pro bigamis habendi ſint, qui ante ſuſceptum Baptiſmum in infidelitate adhuc duas duxerunt conjuges; vel unam quidem ante, ſed alteram poſt Baptiſmum? ℞. cum S. Auguſt. & communi contra S. Hieron. affirmativè ex *can. 2. ſeqq. d. 26.* quia irregularitas Bigamiæ eſt introducta ob defectum perfectæ ſignificationis Matrimonii, qui defectus reperitur in Matrimonio altero, ſive ante ſive poſt 3

Baptiſmum contracto & conſummato; nam etiam Matrimonium, quod non eſt Sacramentum, ex inſtitutione primæva ſignificabat ſemper conjunctionem Chriſti cum unica Eccleſia, per *text. ad Eph. 5.* licèt non tam perfectè, ſicut illud, quod eſt elevatum ad rationem Sacramenti. Oppones. Infideles per homicidium, ante Baptiſmi ſuſceptionem commiſſum, non fiunt irregulares: ergo. *Ant.* prob. quia non tenentur legibus Eccleſiaſticis; & per Baptiſmum tollitur omnis pœna cum peccato. ℞. *N. Conſ.* Ratio negandi eſt, quia Bigamia non contrahitur propter transgreſſionem legis, nec habet rationem pœnæ, ſicut irregularitas ex homicidio illicito orta, ſed propter defectũ ſignificationis Matrimonii; neque eſt defectus, qui in ſolis Chriſtianis conſideratur, uti defectus *lenitatis Chriſtianæ*, propter quem contrahitur à Chriſtianis ſolis irregularitas ex homicidio etiam licito, publica auctoritate facto.

4 Dico. Bigami non ordinantur licitè, & abſque certis pœnis, niſi priùs cum ipſis fuerit diſpenſatum. Aſſertio procedit de omni ſpecie Bigamiæ, relata in *n. 1.* De Bigamia *vera* conſtat ex *can. 2. d. 33. c. 2. 3. 5. h. t.* De *Interpretativa* ex *can. 9. 10. 13. 15. d. 34. c. 3. 4. eod.* De *Similitudinaria* ex *can. 24. cauſ. 27. q. 1. c. 4. de Cleric. conjug.* Dixi 1. *non ordinantur licitè*, id intelligendo de omnibus Ordinibus. 2. *abſque certis pœnis*; nam Epiſcopus, Ordinans talem ſcienter, incurrit ſuſpenſionem à celebratione Miſſæ per annum, & à collatione Ordinum, quos tali contulit, ſed probabiliùs per ſententiam pri-

primùm. *can.* 2. *d.* 55. *c.* 2. *h. t.* Ordinatus verò in Majoribus jam exiſtens ab exercitio Ordinum ſuſceptorum ſuſpendendus, & ab aliorum ſuſceptione impediendus eſt. *c.* 2. *cit.* & *ſeqq.* Initiatus verò Minoribus tantùm ipſo Jure amittit (vel potiùs non conſequitur) omne privilegium Clericale, prohibetúrque habitum geſtare & tonſuram Clericalem. *c. un. eod. in* 6. Ad Bigamiam ſimilitudinariam hæ pœnæ probabiliùs ſe non extendunt, utpote quæ tantùm latè & impropriè Bigamia eſt. 3. *Niſi priùs fuerit diſpenſatum;* nam Bigamia alio modo non tollitur, neque per mortem v. g. uxoris, ratione cujus contracta eſt.

Quæres, quis diſpenſare poſſit cum Bigamis? 5
℞. 1. Papa, & quidem in Bigamia vera ac interpretativa regulariter ſolus. *c.* 3. & *fin. h. t.* Debet autem in petitione diſpenſationis exprimi, qua bigamiâ aliquis laboret; item ſi ſit aliquis bigamus dupliciter vel tripliciter, nimirum bigamiâ verâ, & ſimul interpretativâ, vel inſuper etiam ſimilitudinariâ, debet & hoc exprimi: non verò, ſiquis ſit trigamus vel quadrigamus in eodem genere bigamiæ, v. g. veræ, h. e. ſi tria vel quatuor ſucceſſivè Matrimonia contraxit & conſummavit. ℞. 2. Epiſcopus in bigamia tantùm ſimilitudinaria, ſaltè post peractam pœnitentiam. *c.* 4. *de Cler. conjug. c.* 1. *qui Clerici vel voventes.* Eadem poteſtas (& non major ſecluſo ſpeciali privilegio) extenditur ad Superiores Regulares, qui juriſdictionem quaſi Epiſcopalem exercent in ſuos ſubditos, uti ſunt Abbates, Generales, Provinciales,

les, Priores exempti. Suar. *d. 49. de Cenſur. ſect. 6. n. 18.* ℞. 3. Etiam in bigamia vera & interpretativa, ſi occulta ſit, diſpenſat juxta me Epiſcopus. per ea, quæ diſputavi ad *tit. 17. n. 8.*

6 Oppones 1. Bigamia eſt impedimentum Juris Divini juxta illud *1. Tim. 3. oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum.* Idem dicitur alibi de Diaconis. Concordat *c. 2. h. t.* ibi: *in Digamis contra Apoſtolum diſpenſare non licet, ut debeant ad Sacros Ordines promoveri, vel in eis, ſi promoti fuerint, remanere:* ergo neque Pontifici conceſſum eſt diſpenſare in Bigamia, ſaltem ad Majores Ordines. Confirmatur: irregularitas Bigamiæ oritur ex defectu ſignificationis Sacramenti: ſed Papa, ſicut non poteſt immutare ſignificationem Sacramenti, ita nec tollere ejus defectum diſpenſando. 2 Epiſcopus diſpenſare poteſt cum illegitimis & criminoſis ad Ordines Minores & Beneficia ſimplicia, ut ſuprà faſſi ſumus: ergo & cum bigamis. Confirmatur ex *can. 18. d. 34.* ubi de Lectore bigamo tam verè quàm interpretativè tali dicitur, quòd in ſuo Ordine *permanere* poſſit, imò, ſi neceſſitas fortè ſit, etiam *fieri Subdiaconus*, utique diſpenſativè: ergo ibi datur Epiſcopo poteſtas diſpenſandi in executione Ordinis Minoris, & ſuſceptione Subdiaconatûs (conſequenter etiam ad Beneficium ſimplex, cùm in Majoribus conſtitutus promoveri debeat ad Beneficium, ne mendicare debeat) ſiquidem ſermo non eſt ibi de diſpenſatione Pontificis, utpote qui ad omnes Ordines diſpenſandi poteſtate pollet. Ita pro Epiſcopo diſcurrunt cum S. Th. Sylveſter

& Sanch.

Digitized by Google

& Sanch. *de Matrim. lib. 7. d. 86. n. 11.* ℞. ad 1. Illa ordinatio de Bigamis proceſſit à Paulo, non ut ab Apoſtolo, Jus Divinum promulgante, ſed ut ab Antiſtite Eccleſiæ, Jus Humanum ſtatuente; nam Apoſtoli, velut Eccleſiæ Prælati, plura ſtatuerunt, à Jure Divino diſtincta, pro fidelium directione: exemplum habes in *1. Cor. 7.* ubi idem Paulus ait: *cæteris ego dico, non Dominus:* item in *cann. Apoſtolorum.* In *c. 2. cit.* ſolùm inſinuatur difficultas in diſpenſando ob reverentiam S. Pauli, in cujus præcepto fundatur irregularitas bigamiæ. Ad Confirmationem fateor, Papam circa ſignificationem Sacramenti nihil immutare poſſe; interim tamen ea manente poteſt laborantem defectu hujus ſignificationis admittere ad Ordines; quia excluſio ab Ordinibus propter hanc cauſam introducta eſt à ſolis Eccleſiæ Prælatis, & Jure Eccleſiaſtico. Ad 2. N. *Conſ.* & paritatem, partim quia de illegitimis & criminoſis habetur fundamentum in Jure, non verò de Bigamis; partim quia non eſt eadem ubique ratio, propter quam illi, & iſti, excluduntur à ſuſceptione & executione Ordinum. Ad Confirmationem. Transmiſſo etiam (quod aliqui negant, vel ſaltem dubitant) illum Canonem eſſe Martini Papæ, & habere auctoritatem Juris, ea tamen poteſtas rurſus adempta eſt Epiſcopo per Jus recentius. *c. un. h. t. in 6. & Trid. S. 23. c. 17. de Ref.*

TITULUS XXII.

De Clericis Peregrinis.

SUMMARIUM.

1. *Quinam hic vocentur Peregrini.*

2.3. Non

2. 3. *Non admittendi ad ſuſceptionem ulteriorum Ordinum, vel miniſtrationem in ſuſceptis, ſine litteris Teſtimonialibus &c.*

1 SCiendum, per Clericos *peregrinos* hîc denotari eos, qui extra ſuas diœceſes peregrinantur, aut vagantur, ac ita ignoti ſunt, ut de illorum ordinatione ac vita non conſtet, nihilominus tamen ulteriùs in Ordinibus promoveri, vel in ſuſceptis miniſtrare volunt. An & quomodo id ipſis concedendum, præſens Titulus docebit, qui per modum *Appendicis* ad explicatas hucuſque irregularitates adnectitur; cùm hujuſmodi ignoti Clerici ſint vicini irregularibus. Proinde

2 Dico. Clerici peregrini nec ad ulteriores Ordines promovendi ſunt ſine Dimiſſoriis, doctrinæ morúmque teſtibus, ac licentiam à ſuo Ordinario datam ſuſcipiendi Ordines alibi exprimentibus; nec ad Divina publicè celebranda, & Sacramenta adminiſtranda admittendi ſine litteris Commendatitiis, quas vocant *Formatas*, in quibus eorum Ordinarii teſtentur, quibus Ordinibus ſint initiati, & quòd careat impedimento exercendi actus Ordinis, v. g. Sacerdotii; vel ſaltem ſine alio Teſtimonio, quo de dictis fiat ſufficiens fides. Ita communis. De *Dimiſſoriis* conſtat ex *tit. 11. §. 2.* ſuprà. De *Formatis*, & alio idoneo *Teſtimonio* ex *c. 1. 2. 3. h. t.* Trid. *S. 22. in Decreto de obſervandis in celebrat. Miſſæ. S. 23. c. 16. de Ref.* Ratio, quia contingere poteſt, & ſæpius jam contigit, ut Clerici vagi, & peregrini ignoti, fuerint homines non tantùm

tùm criminoſi, infames, in exilium miſſi, irregulares &c. ſed etiam Sacerdotiô, vel aliis Ordinibus, non initiati, quibus ſe initiatos aſſerebant, & tamen Miſſas celebrare præſumpſerint graviſſimô ſacrilegiô, ac populum lædè deceperint. Dixi 1. *publicè*; nam ad privatim ac ſine ſtipendio dato celebrandum faciliùs admitti poſſunt; modò parati ſint juramentô ſe probare Sacerdotes, nec adſint rationes peculiares, quæ ipſos reddant ſuſpectos de fraude vel fictione. per *c. 3. cit.* partim quia privatim celebrando non decipiunt populum, partim quia nemo facilè præſumitur malitioſus ſine aliquo ſuo commodo. Dixi 2. *vel ſaltem ſine alio teſtimonio &c.* Quod habetur non modò per teſtes, ſed etiam ex aliis indiciis, fama, communi exiſtimatione &c. quibus probent, ſe fuiſſe legitimè ordinatos, *Formatas* autem amiſiſſe vel per incendium, vel per direptionem, vel per alium caſum.

Advertendum autem eſt 1. illos Clericos peregrinos, qui facilè potuiſſent acquirere *Formatas* à ſuis Epiſcopis, id tamen omiſerunt, vel nulla probabili ratione oſtendere poſſunt, ſe eas perdidiſſe, non eſſe admittendos ad publicè celebrandum, etiamſi parati ſint jurare, ſe eſſe ordinatos. *c. 2. h. t.* quia juramentum ſuppletorium probationis, quale foret hoc, non defertur, niſi quando ſemiplena probatio, vel præſumptio probabilis ſtat pro aliquo. *c. fin. de Jurejur.* 2. Epiſcopum teneri Clerico, qui juſta de cauſa vult egredi ſua diœceſi, nec habet beneficium reſidentiam exigens, dare Dimiſſoriales 3

riales vel Commendatitias petenti. Si tamen Clericus eas peteret ob conſcientiam, vel ſuſpicionem criminis, aut ſimilem cauſam, non oportet dare Commendatitias, ſed præcisè Teſtimoniales de ſuſceptis Ordinibus & carentia impedimenti Canonici à celebratione Divinorum arcentis. 3. Epiſcopum tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatum prohibere poſſe Prælatis, etiam exemptis ſuæ diœceſeos, ne externos & ignotos Sacerdotes ad Divina in ſuis Eccleſiis celebranda admittant, antequam ipſe litteras Commendatitias vel Teſtimoniales recognoſcat. per *c. fin. h. t.* Atque ſic deciſum referunt à S *Congreg. Cardd.*

TITULUS XXIII.

De Officio Archidiaconi.

SUMMARIUM.

1. *Quis dicatur Archidiaconus.*
2. *Quod ejus officium.*
3. *De quo plurimùm immutavit Conſuetudo.*

1 SCiendum, à qualitatibus ad Ordines tum ſuſcipiendos, tum exercendos, & ad conſequenda Beneficia, Dignitates, & Prælaturas Eccleſiaſticas requiſitis, nunc tranſiri ad Officia, poteſtatem, & jurisdictionem certarum perſonarum, Prælatorum, & Judicum Eccleſiaſticorum, de quibus tractabunt ſequentes 10. *tituli* uſque ad *titulum* 33. *de Majorit. & Obed.* Et primò quidem explicatur officium *Archidiaconi*, cujus prima poſt Epiſcopalem dignitas eſt de

de Jure in Eccleſia Cathedrali, & Archidiaconus dicitur oculus Epiſcopi, & Vicarius proximus, cui omnis cura tam circa Clericos, quàm circa Eccleſias eorum, & cognitio (ſubordinata tamen Epiſcopo) commiſſa eſt; idque indicat ipſum nomen, quod ſecundùm etymologiam ex Græco deſumptum ſignificat *primum Diaconum*, ſeu Principem Diaconorum: quantumvis enim Archipresbyter ſit major Archidiacono quoad Ordinem Sacrum (iſte enim non neceſſariò eſt Sacerdos) eſt tamen illo minor quoad jurisdictionem; ſiquidem Archipresbytero de Jure non competit jurisdictio fori externi, ſicut competit Archidiacono.

Dico. Officium Archidiaconi ſpectato Jure Communi conſiſtit in ſequentibus. 1. ac univerſim eſt Vicarius Epiſcopi primus in adminiſtratione tam temporalium quàm ſpiritualium, ac proin generalem habet curam univerſi Cleri tam in civitate Epiſcopali, quàm foris. 2. reliquis Clericis, etiam Archipresbytero, imperat. 3. audit jurgia Clericorum, de iis, aliisque cauſis Eccleſiaſticis minoribus cognoſcit; nam majora, uti & Criminalia, Matrimonialia, Beneficialia, & cauſa Concubinatûs juxta Trid. *S. 24. c. 20. de Ref. &c.* reſervantur Epiſcopo. 4. Viſitat diœceſim ſingulis trienniis, ſi Epiſcopus non poſſit, Eccleſias autem ſui Archidiaconatûs ſingulis annis. Sed viſitationem Diœceſis iterum ab Epiſcopo vel ejus Vicario fieri præcipit Trid. & quidem ſingulis annis, vel ſaltem ut intra biennium, ſi diœceſis ſit amplior, viſitatio totius diœceſis abſolvatur. 5. pu- 2

nit & corrigit delicta minora, abſtinet tamen à ferendis cenſuris. 6. habet curam generalem & primariam Officii Divini ritè peragendi mediante Primicerio. 7. vaſorum & apparamentorum ſacrorum Eccleſiæ, mediante Sacriſta, qui duo, nempe Primicerius & Sacriſta, Archidiacono ſunt ſubordinati. 8. reſtaurationis Eccleſiarum. 9. exercet curam animarum. 10. legit Evangelium in Miſſa ſolenni, quando celebrat Epiſcopus, vel alteri Diacono legendum præcipit. 11. promovendos ad Ordines & Beneficia examinat, illóſque poſtea ſiſtit Epiſcopo. Sed hoc examen quoque per Trid. commendatum eſt Epiſcopo. 12. poſt decretam ab Epiſcopo immiſſionem in poſſeſſionem ipſe actualiter & corporaliter immittit Abbates, Beneficiatos, Abbatiſſas. Habentur hæc *c. 1. & ſeqq. h. t.*

5 Dixi, *ſpectato Jure Communi*; quippe in variis Diœceſibus circa Archidiaconos, uti & Archipresbyteros, Cuſtodes &c. plurima in deſuetudinem abierunt, &, quamvis in quibuſdam Eccleſiis manſerint harum Dignitatum & Officiorum nomina penes Canonicos Capitulares, functiones tamen pleræque præſtantur per alios. In aliquibus Eccleſiis Cathedralibus neque nomen Archidiaconi exſtat: in aliis autem reperitur quidem Archidiaconus quoad nomen, ſed præter præeminentiam inter Canonicos nihil habet, nec officium, nec juriſdictionem: in aliis exercet quidem juriſdictionem in Clericos, ſed per certum duntaxat diſtrictum, *fines Archidiaconatûs* dictum: in aliis

non

non unus tantùm, ſed plures per certas diœceſis partes conſtituuntur Archidiaconi, qui cognoſcant & judicent cauſas Matrimoniales, vel alias, uti in diœceſi Salisburgenſi; ſed hi non differunt à *Vicariis foraneis:* in aliis demum, & quidem plurimis Germaniæ, tota Archidiaconi juriſdictio per praxim tranſlata eſt in Officialem, ſeu *Vicarium Generalem* Epiſcopi; quamquam alias per ſe loquendo plurimùm differant Archidiaconus & Vicarius Generalis: ſiquidem ille habet ſuam juriſdictionem directè provenientem à Jure, & indirectè tantùm ab Epiſcopo, eum inſtituente, vel confirmante; ideóque eſt Vicarius Epiſcopi *Natus*, intitulatus, perpetuus, & diſtinctum ab Epiſcopali tribunal exercens: iſte econtra habet quidem etiam juriſdictionem Ordinariam, ſed immediatè & directè provenientem ab Epiſcopo, Vicarium conſtituente, ipſe autem eſt Vicarius ſolummodo *Datus*, ſeu dativus, temporalis, ad libitum Epiſcopi amovibilis, & juriſdictionem ab Epiſcopali indiſtinctam, ac idem cum ipſo tribunal exercens, ut dicetur *de Officio Vicarii.*

TITULUS XXIV.

De Officio Archipresbyteri.

SUMMARIUM.

1. *Quis dicatur Archipresbyter ſeu Decanus.*
2. 3. *Quod ſit officium Decani tum Civitatenſis, tum Ruralis.*

SCiendum, nomen *Archipresbyteri* indicare primum Sacerdotem, qui reliquis Presby- 1

teris præeſt, & in iis, quæ Sacerdotalis officii ſunt, imperat. per *c.* 1. *& ſeqq. h. t.* Alio nomine appellatur *Decanus. c. 7. de Off. Archidiac.* item *Plebanus. c. 3. de Off. Jud. Ordin.* Duplex autem Archipresbyter diſtinguitur *c. 3. & 4. h. t.* Unus vocatur *Civitatenſis* ſeu *Urbanus*, qui in urbe Epiſcopali præeſt omnibus Eccleſiæ ſuæ Presbyteris, ſive Eccleſia ſit Cathedralis, ſive Collegiata: alius verò *Ruralis*, ſeu *forenſis*, qui extra civitatem Epiſcopalem in plebe exercet animarum curam, & ſimul ſub ſe habet alios Presbyteros, per minores Eccleſias diſperſos: eligitur plerumque à Capitulo Rurali, confirmandus ab Epiſcopo, vel Vicario Generali.

2 Dico 1. Officium Archipresbyteri ſeu Decani Civitatenſis ſpectato Jure Communi conſiſtit in ſequentibus. 1. exercet jurisdictionem in foro interno & curam animarum reſpectu omnium Presbyterorum ſuæ Eccleſiæ, quorum debet etiam eſſe Confeſſarius, uti & aliorum aliunde accedentium, ſecundùm proviſionem Epiſcopi. 2. aſſiduè, id eſt, quocunque tempore debito, intereſt rei Divinæ in Eccleſia. 3. Epiſcopo ſolenniter celebrante curat, ut Sacerdotes ad miniſterium Altaris ſe accingant. 4. in abſentia Epiſcopi ipſe celebrat ſolennia Miſſarum, ac Miſſam Ferialem, quam vocant *Collectam*, vel alteri demandat. 5. inchoat cantum Horarum: impertitur Benedictiones ad Lectiones: benedicit fontes: inungit infirmos: pœnitentes publicos (conſulto tamen priùs Epiſcopo) reconciliat. 6. Cuſtodi præcipit, ut in Sacrario deeſſe non ſinat

hoſtias

hoſtias conſecratas pro infirmis. 7. aliis autem Sacerdotibus (qui in *c. 2.* appellantur *Cardinales*) ea, quæ pertinent ad Divinum Officium & Horas Canonicas, ad Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta, item ut mandatis Epiſcopi obtemperent. 8. denique poteſt omnia in Eccleſia Cathedrali pro foro interno, quæ Presbyter alius in ſua Parochia: in foro autem externo jurisdictionem non habet. Habentur hæc *c. 1. & ſeqq. h. t.* Dixi iterum, *ſpectato Jure Communi;* quippe conſuetudo vel ſpeciales Ordinationes plurima immutârunt, ita ut in quibusdam Eccleſiis obeant prædicta alii Miniſtri: in aliis Archipresbyter idem ſit cum Præpoſito, vel Decano Cathedralis Eccleſiæ, ac in foro etiam externo jurisdictionẽ exerceat. per *c. 3. de Off. Ord. cit.* ſaltem in Canonicos, ſi non etiam in reliquos Clericos Diœceſis, ubi non eſt Archidiaconus. Cœterùm an *Præpoſiti*, vel *Decani*, Dignitas ſit major, pendet ex conſuetudine: in utraque Germania & Polonia præferri dicitur Præpoſitura, in Hiſpania autem & Gallia Decanatus. In Eccleſiis Collegiatis, qui primam Dignitatem obtinet (ſive vocetur Præpoſitus, ſive Decanus) jurisdictionem ordinariam fori externi in Clericos ſuæ Eccleſiæ exercet, ſubordinatam tamen Epiſcopo; niſi aliud habeat conſuetudo, uti in Germania noſtra, ubi Præpoſitus in Eccleſiis Collegiatis obtinet quidem primam Dignitatem, plerumque tamen ſine jurisdictione, quæ relinquitur Decano.

Dico 2. Officium Archipresbyteri ſeu Decani 3

les, Priores exempti. Suar. *d. 49. de Cenſur. ſect. 6. n. 18.* ℞. 3. Etiam in bigamia vera & interpretativa, ſi occulta ſit, diſpenſat juxta me Epiſcopus. per ea, quæ diſputavi ad *tit. 17. n. 8.*

6 Oppones 1. Bigamia eſt impedimentum Juris Divini juxta illud *1. Tim. 3. oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum.* Idem dicitur alibi de Diaconis. Concordat *c. 2. h. t.* ibi: *in Digamis contra Apoſtolum diſpenſare non licet, ut debeant ad Sacros Ordines promoveri, vel in eis, ſi promoti fuerint, remanere:* ergo neque Pontifici conceſſum eſt diſpenſare in Bigamia, ſaltem ad Majores Ordines. Confirmatur: irregularitas Bigamiæ oritur ex defectu ſignificationis Sacramenti: ſed Papa, ſicut non poteſt immutare ſignificationem Sacramenti, ita nec tollere ejus defectum diſpenſando. 2 Epiſcopus diſpenſare poteſt cum illegitimis & criminoſis ad Ordines Minores & Beneficia ſimplicia, ut ſuprà faſſi ſumus: ergo & cum bigamis. Confirmatur ex *can. 18. d. 34.* ubi de Lectore bigamo tam verè quàm interpretativè tali dicitur, quòd in ſuo Ordine *permanere* poſſit, imò, ſi neceſſitas fortè ſit, etiam *fieri Subdiaconus*, utique diſpenſativè: ergo ibi datur Epiſcopo poteſtas diſpenſandi in executione Ordinis Minoris, & ſuſceptione Subdiaconatûs (conſequenter etiam ad Beneficium ſimplex, cùm in Majoribus conſtitutus promoveri debeat ad Beneficium, ne mendicare debeat) ſiquidem ſermo non eſt ibi de diſpenſatione Pontificis, utpote qui ad omnes Ordines diſpenſandi poteſtate pollet. Ita pro Epiſcopo diſcurrunt cum S. Th. Sylveſter

& Sanch.

& Sanch. *de Matrim. lib. 7. d. 86. n. 11.* ℞. ad 1. Illa ordinatio de Bigamis proceſſit à Paulo, non ut ab Apoſtolo, Jus Divinum promulgante, ſed ut ab Antiſtite Eccleſiæ, Jus Humanum ſtatuente; nam Apoſtoli, velut Eccleſiæ Prælati, plura ſtatuerunt, à Jure Divino diſtincta, pro fidelium directione: exemplum habes in 1. *Cor.* 7. ubi idem Paulus ait: *cæteris ego dico, non Dominus:* item in *cann. Apoſtolorum.* In *c. 2. cit.* ſolùm inſinuatur difficultas in diſpenſando ob reverentiam S. Pauli, in cujus præcepto fundatur irregularitas bigamiæ. Ad Confirmationem fateor, Papam circa ſignificationem Sacramenti nihil immutare poſſe; interim tamen ea manente poteſt laborantem defectu hujus ſignificationis admittere ad Ordines; quia excluſio ab Ordinibus propter hanc cauſam introducta eſt à ſolis Eccleſiæ Prælatis, & Jure Eccleſiaſtico. Ad 2. N. *Conſ.* & paritatem, partim quia de illegitimis & criminoſis habetur fundamentum in Jure, non verò de Bigamis; partim quia non eſt eadem ubique ratio, propter quam illi, & iſti, excluduntur à ſuſceptione & executione Ordinum. Ad Confirmationem. Transmiſſo etiam (quod aliqui negant, vel ſaltem dubitant) illum Canonem eſſe Martini Papæ, & habere auctoritatem Juris, ea tamen poteſtas rurſus adempta eſt Epiſcopo per Jus recentius. *c. un. h. t. in 6. & Trid. S. 23. c. 17. de Ref.*

TITULUS XXII.

De Clericis Peregrinis.

SUMMARIUM.

1. *Quinam hic vocentur Peregrini.*

2.3. *Non*

2. 3. *Non admittendi ad ſuſceptionem ulteriorum Ordinum, vel miniſtrationem in ſuſceptis, ſine litteris Teſtimonialibus &c.*

1 SCiendum, per Clericos *peregrinos* hìc denotari eos, qui extra ſuas diœceſes peregrinantur, aut vagantur, ac ita ignoti ſunt, ut de illorum ordinatione ac vita non conſtet, nihilominus tamen ulteriùs in Ordinibus promoveri, vel in ſuſceptis miniſtrare volunt. An & quomodo id ipſis concedendum, præſens Titulus docebit, qui per modum *Appendicis* ad explicatas hucuſque irregularitates adnectitur; cùm hujuſmodi ignoti Clerici ſint vicini irregularibus. Proinde

2 Dico. Clerici peregrini nec ad ulteriores Ordines promovendi ſunt ſine Dimiſſoriis, doctrinæ morúmque teſtibus, ac licentiam à ſuo Ordinario datam ſuſcipiendi Ordines alibi exprimentibus; nec ad Divina publicè celebranda, & Sacramenta adminiſtranda admittendi ſine litteris Commendatitiis, quas vocant *Formatas*, in quibus eorum Ordinarii teſtentur, quibus Ordinibus ſint initiati, & quòd careat impedimento exercendi actus Ordinis, v. g. Sacerdotii; vel ſaltem ſine alio Teſtimonio, quo de dictis fiat ſufficiens fides. Ita communis. De *Dimiſſoriis* conſtat ex *tit. 11. §. 2.* ſuprà. De *Formatis*, & alio idoneo *Teſtimonio* ex *c. 1. 2. 3. h. t.* Trid. *S. 22. in Decreto de obſervandis in celebrat. Miſſæ. S. 23. c. 16. de Ref.* Ratio, quia contingere poteſt, & ſæpius jam contigit, ut Clerici vagi, & peregrini ignoti, fuerint homines non tantùm

tùm criminoſi, infames, in exilium miſſi, irregulares &c. ſed etiam Sacerdotiô, vel aliis Ordinibus, non initiati, quibus ſe initiatos aſſerebant, & tamen Miſſas celebrare præſumpſerint graviſſimô ſacrilegiô, ac populum læde deceperint. Dixi 1. *publicè;* nam ad privatim ac ſine ſtipendio dato celebrandum faciliùs admitti poſſunt; modò parati ſint juramentô ſe probare Sacerdotes, nec adſint rationes peculiares, quæ ipſos reddant ſuſpectos de fraude vel fictione. per *c. 3. cit.* partim quia privatim celebrando non decipiunt populum, partim quia nemo facilè præſumitur malitioſus ſine aliquo ſuo commodo. Dixi 2. *vel ſaltem ſine alio teſtimonio &c.* Quod habetur non modò per teſtes, ſed etiam ex aliis indiciis, fama, communi exiſtimatione &c. quibus probent, ſe fuiſſe legitimè ordinatos, *Formatas* autem amiſiſſe vel per incendium, vel per direptionem, vel per alium caſum.

Advertendum autem eſt 1. illos Clericos peregrinos, qui facilè potuiſſent acquirere *Formatas* à ſuis Epiſcopis, id tamen omiſerunt, vel nulla probabili ratione oſtendere poſſunt, ſe eas perdidiſſe, non eſſe admittendos ad publicè celebrandum, etiamſi parati ſint jurare, ſe eſſe ordinatos. *c. 2. h. t.* quia juramentum ſuppletorium probationis, quale foret hoc, non defertur, niſi quando ſemiplena probatio, vel præſumptio probabilis ſtat pro aliquo. *c. fin. de Jurejur.* 2. Epiſcopum teneri Clerico, qui juſta de cauſa vult egredi ſua diœceſi, nec habet beneficium reſidentiam exigens, dare Dimiſſoriales 3

riales vel Commendatitias petenti. Si tamen Clericus eas peteret ob conſcientiam, vel ſuſpicionem criminis, aut ſimilem cauſam, non oportet dare Commendatitias, ſed præcisè Teſtimoniales de ſuſceptis Ordinibus & carentia impedimenti Canonici à celebratione Divinorum arcentis. 3. Epiſcopum tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatum prohibere poſſe Prælatis, etiam exemptis ſuæ diœceſeos, ne externos & ignotos Sacerdotes ad Divina in ſuis Eccleſiis celebranda admittant, antequam ipſe litteras Commendatitias vel Teſtimoniales recognoſcat. per *c. fin. h. t.* Atque ſic deciſum referunt à S *Congreg. Cardd.*

TITULUS XXIII.

De Officio Archidiaconi.

SUMMARIUM.

1. *Quis dicatur Archidiaconus.*
2. *Quod ejus officium.*
3. *De quo plurimùm immutavit Conſuetudo.*

1 SCiendum, à qualitatibus ad Ordines tum ſuſcipiendos, tum exercendos, & ad conſequenda Beneficia, Dignitates, & Prælaturas Eccleſiaſticas requiſitis, nunc tranſiri ad Officia, poteſtatem, & jurisdictionem certarum perſonarum, Prælatorum, & Judicum Eccleſiaſticorum, de quibus tractabunt ſequentes 10. *tituli* uſque ad *titulum* 33. *de Majorit. & Obed.* Et primò quidem explicatur officium *Archidiaconi*, cujus prima poſt Epiſcopalem dignitas eſt de

de Jure in Eccleſia Cathedrali, & Archidiaco-
nus dicitur oculus Epiſcopi, & Vicarius pro-
ximus, cui omnis cura tam circa Clericos, quàm
circa Eccleſias eorum, & cognitio (ſubordina-
ta tamen Epiſcopo) commiſſa eſt; idque indi-
cat ipſum nomen, quod ſecundùm etymolo-
giam ex Græco deſumptum ſignificat *primum
Diaconum*, ſeu Principem Diaconorum: quan-
tumvis enim Archipresbyter ſit major Archi-
diacono quoad Ordinem Sacrum (iſte enim
non neceſſariò eſt Sacerdos) eſt tamen illo mi-
nor quoad jurisdictionem; ſiquidem Archi-
presbytero de Jure non competit jurisdictio
fori externi, ſicut competit Archidiacono.

Dico. Officium Archidiaconi ſpectato Ju- 2
re Communi conſiſtit in ſequentibus. 1. ac u-
niverſim eſt Vicarius Epiſcopi primus in admi-
niſtratione tam temporalium quàm ſpirituali-
um, ac proin generalem habet curam univerſi
Cleri tam in civitate Epiſcopali, quàm foris. 2.
reliquis Clericis, etiam Archipresbytero, im-
perat. 3. audit jurgia Clericorum, de iis, aliiſ-
que cauſis Eccleſiaſticis minoribus cognoſcit;
nam majora, uti & Criminalia, Matrimonia-
lia, Beneficialia, & cauſa Concubinatûs juxta
Trid. *S. 24. c. 20. de Ref. &c.* reſervantur Epi-
ſcopo. 4. Viſitat diœceſim ſingulis trienniis, ſi
Epiſcopus non poſſit, Eccleſias autem ſui Ar-
chidiaconatûs ſingulis annis. Sed viſitationem
Diœceſis iterum ab Epiſcopo vel ejus Vicario
fieri præcipit Trid. & quidem ſingulis annis, vel
ſaltem ut intra biennium, ſi diœceſis ſit ampli-
or, viſitatio totius diœceſis abſolvatur. 5. pu-

nit & corrigit delicta minora, abſtinet tamen à ferendis cenſuris. 6. habet curam generalem & primariam Officii Divini ritè peragendi mediante Primicerio. 7. vaſorum & apparamentorum ſacrorum Eccleſiæ, mediante Sacriſta, qui duo, nempe Primicerius & Sacriſta, Archidiacono ſunt ſubordinati. 8. reſtaurationis Eccleſiarum. 9. exercet curam animarum. 10. legit Evangelium in Miſſa ſolenni, quando celebrat Epiſcopus, vel alteri Diacono legendum præcipit. 11. promovendos ad Ordines & Beneficia examinat, illóſque poſtea ſiſtit Epiſcopo. Sed hoc examen quoque per Trid. commendatum eſt Epiſcopo. 12. poſt decretam ab Epiſcopo immiſſionem in poſſeſſionem ipſe actualiter & corporaliter immittit Abbates, Beneficiatos, Abbatiſſas. Habentur hæc *c. 1. & ſeqq. h. t.*

5 Dixi, *ſpectato Jure Communi;* quippe in variis Diœceſibus circa Archidiaconos, uti & Archipresbyteros, Cuſtodes &c. plurima in deſuetudinem abierunt, &, quamvis in quibusdam Eccleſiis manſerint harum Dignitatum & Officiorum nomina penes Canonicos Capitulares, functiones tamen pleræque præſtantur per alios. In aliquibus Eccleſiis Cathedralibus neque nomen Archidiaconi exſtat: in aliis autem reperitur quidem Archidiaconus quoad nomen, ſed præter præeminentiam inter Canonicos nihil habet, nec officium, nec jurisdictionem: in aliis exercet quidem jurisdictionem in Clericos, ſed per certum duntaxat diſtrictum, *fines Archidiaconatûs* dictum: in aliis

non

non unus tantùm, ſed plures per certas diœceſis partes conſtituuntur Archidiaconi, qui cognoſcant & judicent cauſas Matrimoniales, vel alias, uti in diœceſi Salisburgenſi; ſed hi non differunt à *Vicariis foraneis*: in aliis demum, & quidem plurimis Germaniæ, tota Archidiaconi jurisdictio per praxim translata eſt in Officialem, ſeu *Vicarium Generalem* Epiſcopi; quamquam alias per ſe loquendo plurimùm differant Archidiaconus & Vicarius Generalis: ſiquidem ille habet ſuam jurisdictionem directè provenientem à Jure, & indirectè tantùm ab Epiſcopo, eum inſtituente, vel confirmante; ideóque eſt Vicarius Epiſcopi *Natus*, intitulatus, perpetuus, & diſtinctum ab Epiſcopali tribunal exercens: iſte econtra habet quidem etiam jurisdictionem Ordinariam, ſed immediatè & directè provenientem ab Epiſcopo, Vicarium conſtituente, ipſe autem eſt Vicarius ſolummodo *Datus*, ſeu dativus, temporalis, ad libitum Epiſcopi amovibilis, & jurisdictionem ab Epiſcopali indiſtinctam, ac idem cum ipſo tribunal exercens, ut dicetur *de Officio Vicarii*.

TITULUS XXIV.

De Officio Archipresbyteri.

SUMMARIUM.

1. *Quis dicatur Archipresbyter ſeu Decanus.*
2. 3. *Quod ſit officium Decani tum Civitatenſis, tum Ruralis.*

SCiendum, nomen *Archipresbyteri* indicare primum Sacerdotem, qui reliquis Presby- 1

hoſtias conſecratas pro infirmis. 7. aliis autem Sacerdotibus (qui in *c.* 2. appellantur *Cardinales*) ea, quæ pertinent ad Divinum Officium & Horas Canonicas, ad Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta, item ut mandatis Epiſcopi obtemperent. 8. denique poteſt omnia in Eccleſia Cathedrali pro foro interno, quæ Presbyter alius in ſua Parochia: in foro autem externo jurisdictionem non habet. Habentur hæc *c.* 1. *& ſeqq. b. t.* Dixi iterum, *ſpectato Jure Communi*; quippe conſuetudo vel ſpeciales Ordinationes plurima immutârunt, ita ut in quibusdam Eccleſiis obeant prædicta alii Miniſtri: in aliis Archipresbyter idem ſit cum Præpoſito, vel Decano Cathedralis Eccleſiæ, ac in foro etiam externo jurisdictionẽ exerceat. per *c.* 3. *de Off. Ord. cit.* ſaltem in Canonicos, ſi non etiam in reliquos Clericos Diœceſis, ubi non eſt Archidiaconus. Cœterùm an *Præpoſiti*, vel *Decani*, Dignitas ſit major, pendet ex conſuetudine: in utraque Germania & Polonia præferri dicitur Præpoſitura, in Hiſpania autem & Gallia Decanatus. In Eccleſiis Collegiatis, qui primam Dignitatem obtinet (ſive vocetur Præpoſitus, ſive Decanus) jurisdictionem ordinariam fori externi in Clericos ſuæ Eccleſiæ exercet, ſubordinatam tamen Epiſcopo; niſi aliud habeat conſuetudo, uti in Germania noſtra, ubi Præpoſitus in Eccleſiis Collegiatis obtinet quidem primam Dignitatem, plerumque tamen ſine jurisdictione, quæ relinquitur Decano.

Dico 2. Officium Archipresbyteri ſeu Decani 3

cani Ruralis indicatur *c. 4. h. t.* vi cujus 1. curam gerit non modò plebis, ſed etiam Presbyterorum ſui diſtrictûs, tum ut illi rem Divinam ritè obeant, & Sacramenta adminiſtrent, tum ut rixas, ebrietates, & alia ſcandala evitent. 2. executioni mandat per ſe vel alios Decreta Epiſcopi. 3. congregat Capitula. 4. controverſias, inter Parochos & alios ſibi commiſſos Clericos ortas, diſponit ac decîdit, ſed ſine figura Judicii; majora etiam negotia & controverſias, quæ cognitionem & deciſionem Judicialem requirunt, refert ad Epiſcopum vel ejus Vicarium. Eidem Decano Rurali jurisdictionem aliquam fori externi, & quaſi *baſſam*, ſine jure gladii ſpiritualis ſeu poteſtate ferendi cenſuras, tribuit P. Pirhing *h. n. 11.* nec immeritò; quia ſine tali jurisdictione vix bene videtur exequi poſſe officium ſuum. Dignitas tamen propriè vel Perſonatus non eſt Decanatus Ruralis, ita ut Decanus poſſit eſſe Delegatus Apoſtolicæ Sedis, *gl. in c. fin. h. t.*

TITULUS XXV.

De Officio Primicerii.

SUMMARIUM.

1. *Quis Primicerius, vel Scholaſticus, vel Cantor dicatur.*
2. *Quod ejus officium de Jure.*

1 SCiendum, vocem *Primicerii* dupliciter uſurpari in Jure; nam aliquando ſumitur generaliter, & ſignificat omnem illum, qui eſt primus in aliquo ordine: ſic Primicerius fabricæ appel-

appellatur in *l. 2. C. de fabricenſibus*, qui primus eſt inter fabricantes. Hoc autem loco ſignificat eum, qui in Choro pſallentium, & in Schola inter Diaconos & alios Clericos primum locum obtinet; hinc & nomen ejus derivatum eſt, quia nempe *primus* erat ſcriptus in *cera*, ſeu tabula cerata Eccleſiæ. Alio nomine ſalutatur etiam *Scholaſticus*, vel *Cantor*, aut potiùs *Præcentor*, nimirum propter munia ſua. In noſtris Eccleſiis exulat nomen Primicerii, in uſu autem eſt nomen Scholaſtici, qui, quamvìs docendi munus per ſe non exerceat, eò quòd hodie per multitudinem Gymnaſiorum & Academiarum abunde proviſum ſit Studioſæ juventuti ad ſtatum Clericalem aſpiranti, Præbendam tamen Canonicalem obtinet, quam Trident. vult conferri perſonæ graduatæ in Theologia vel Jure Canonico.

Dico. Officium Primicerii inſinuatur in *can. 1. d. 25. §. ad Primicerium, & c. un. h. t.* vi quorum 1. docet Diaconos & alios Clericos, vel ſaltem doceri jubet, præſertim ea, quæ ſpectant ad formam pſallendi, & ad Divinum Officium. 2. inter eosdem Clericos curat diſciplinam, ne videlicet garriant in Choro, rideant, nimis feſtinent &c. delinquentes autem corrigit, non tamen in forma judiciali. 3. aſſignat Lectiones ad Nocturna Officia, & deſignat Clericos, qui legant vel cantent. &c. Officium Primicerii de Jure eſt Dignitas. *c. 8. de Conſtit.* quia eſt præeminentia cum adminiſtratione, imò cum aliqua jurisdictione fori externi. per *can. cit.* Sed circa hoc, & Scholaſti- 2

laſtici vel Primicerii officia, locorum conſuetudo attendenda eſt.

TITULUS XXVI.

De Officio Sacriſtæ.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quis ſit Sacriſta, vel Theſaurarius: quod ejus officium.*

1 SCiendum, *Sacriſtam*, à Sacrorum cuſtodia appellari; quia ipſi immediata rerum Sacrarum, imò Theſauri etiam & Cimeliorum cuſtodia commiſſa eſt: quare vocatur etiam *Theſaurarius*, item *Cimeliarcha*.

2 Dico. Officium Sacriſtæ ſpectato Jure Communi conſiſtit in hoc, quòd ſacra vaſa, veſtimenta, ornamenta, & cimelia, totúmque Eccleſiæ theſaurum cuſtodiat, & luminaria tam ex cera quàm ex oleo curet. *c. un. h. t.* Unde ſecluſa conſuetudine Sacriſta nudum habet *Officium*, non verò *Dignitatem*, quia nullam juriſdictionem externam, nec *Perſonatum*, quia nullam præ reliquis Canonicis prœeminentiam in choro, conſeſſu, comitiis, in ſuffragiis ferendis obtinet. Imò in noſtris Eccleſiis neque nomen Sacriſtæ, neque officium plenum eſt penes aliquem ex Canonicis: ſed tota ferè cuſtodia & cura hæc committitur æditui ſæculari, vel ſimul etiam alicui Clerico tanquam Vicario Cuſtodis, quem propterea vocant *Sub-Cuſtodem*, reſervatâ tamen inſpectione & ſupremâ curâ Sacriſtæ vel Cuſtodi principali: nam

nam Sacriſta & Cuſtos non videntur habere officia diſtincta, ſi ſpectetur conſuetudo, imò ipſum *c. fin. de Off. Cuſtod.* videtur confundere.

TITULUS XXVII.

De Officio Cuſtodis.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quis ſit Cuſtos: quod ejus Officium.*

SCiendum, *Cuſtodem*, quamvis de Jure ſit Miniſter Sacriſtæ, eiſque ſubordinatus teſte gl. & Panomit. *ad rubr. h. t.* vi conſuetudinis ferè non diſtingui à Sacriſta; apud nos autem nomen *Cuſtodis*, non verò *Sacriſtæ*, uni ex Canonicis tribui cóſuevit, qui munus gerere ſolet, ut dictum, per Sub-Cuſtodem, & æditium laicum. 1

Dico. Officium Cuſtodis proditur in *c. 1. & 2. h. t.* vi quorum 1. cuſtodit linteamina, & utenſilia Eccleſiæ, ac rei Divinæ inſtrumenta minùs pretioſa. 2. in Horis Canonicis, jubente Archidiacono, pulſat tintinnabula ſeu campanulas. 3. in choro accendit, extinguit, & ita moderatur lampades ac laternas, ut non luceant nimis cum perditione olei, nec nimis parùm cum legentium incommodo. 4. panem, vinum, & alia ad Altaris miniſterium neceſſaria parat. 5. oblationes ſive eleemoſynas ſeu decimas abſente Epiſcopo de licentia Archidiaconi inter fratres dividit. Unde Officium Cuſtodis utique eſt merum miniſterium & ſatis humile, adeóque nec Dignitas nec Perſonatus; 2

in Germania tamen vel ex conſuetudine, vel ex peculiaribus ſtatutis, Cuſtos habet Dignitatem; ſicut de Sacriſta colligitur ex *c. 32. de Off. deleg.*

TITULUS XXVIII.

De Officio Vicarii.

SUMMARIUM.

1. *Quid & quotuplex ſit Vicarius.*
2. *Vicarius Epiſcopi alius eſt in Pontificalibus, alius in Spiritualibus: in Spiritualibus eſt vel Generalis vel Foraneus.*
3. *Epiſcopus quilibet conſtituere Vicarium Generalem, qui tamen Clericus ſit &c. in Spiritualibus poteſt.*
4. *Juriſdictio Vicarii Generalis eſt Ordinaria.*
5. *Iſque generaliter poteſt omnia, quæ Epiſcopus.*
6. *Ex quibus aliqua ſpecificantur.*
7. *Exceptis tamen iis, quæ requirunt mandatum ſpeciale.*
8. *Illa referuntur in ſpecie.*
9. 10. *Quomodo & quando finiatur vel ſuſpendatur Juriſdictio Vicarii Generalis.*
11. *Capitulum Sede vacante debet conſtituere Vicarium novum, vel confirmare priorem.*
12. *Sed hujus Vicarii poteſtas ſe extendit etiam ad ea, quæ Sede plena requirerent mandatum ſpeciale.*
13. *Durátque, uſque dum novus Epiſcopus poſſeſſionem adierit Epiſcopatûs.*
14. *Vicarii in Divinis, ſeu Parochorum, alii ſunt Perpetui, alii Temporales: ab utriſque differunt Cooperatores.*

15. Tota

15. *Tota Cura Paſtoralis actualis pertinet ad Vicarium Perpetuum, non ad Rectorem principalem, cùm talis Vicarius in omnibus æquiparetur Parocho.*

CUm ex Clericis & Prælatis Eccleſiaſticis aliqui ſua munia non ſemper per ſe ipſos ſubire poſſint aut velint, ſed ſæpius utantur *Vicariis*, *Delegatis*, aut *Legatis*, ideo de his per ſequentes tres titulos ſermo erit. Eſt autem *Vicarius* in genere is, qui alterius vices gerit, in cujus locum legitima auctoritate ſubſtitutus eſt. Sicut verò & perſonæ, quæ ſibi alios ſubſtituunt, & munia, quæ per illos obeunt, varia ſunt; ita quoque Vicarius eſt multiplex, præcipuè 1. Vicarius *Epiſcopi*, qui recepto jam more ſimpliciter & quaſi antonomaſticè appellatur Vicarius, aut Vicarius Generalis. 2. Vicarius *Capituli*, Sede Epiſcopali vacante. 3. Vicarius *Parochi* vel Vicarius in *Divinis*, ſeu in Beneficiis, cui nempe committuntur Divina miniſteria, animarum Cura, & jurisdictio in foro interno. Is vel eſt *Perpetuus*, qui nimirum ſemel conſtitutus extra caſus Jure expreſſos amoveri nequit, vel *Temporalis*, qui ad tempus duntaxat conſtituitur, & ad conſtituentis nutum amovibilis eſt. 1

§. I.

De Vicario Epiſcopi.

Sciendum, Epiſcopi vices ſuppleri poſſe ab alio in variis muniis & negotiis. 1. In rebus ad Ordinem Epiſcopalem pertinentibus, & tunc appel- 2

appellatur *Vicarius in Pontificalibus*, vel *Suffraganeus* Epiſcopi. 2. In rebus ad jurisdictionem Spiritualem contentioſam fori externi ſpectantibus, & tunc vocatur *Vicarius Jurisdictionis*, vel *Vicarius in Spiritualibus*: qui, ſi pro tota diœceſi vel territorio Epiſcopali conſtituitur, *Vicarius Generalis* ſalutatur, & à Trident. *S. 24. c. 16. de Ref.* etiam *Officialis*; quamquam in multis diœceſibus, præſertim Germaniæ, præter illum, qui vocatur Vicarius Generalis, conſtituatur alius ſub nomine Officialis, cujus poteſtas reſtricta eſt ad certas cauſas, nempe Matrimoniales, in *Conſiſtorio*, ut vocant, decidendas, & ſubinde etiam ad Decimales. Si verò Vicarius aliquis non pro cauſis totius diœceſis, ſed tantùm pro una illius parte, & extra civitatem reſidentiæ Epiſcopalis deſignetur, dicitur *Foraneus*; ad quam claſſem aliqui revocant Decanos Rurales. Diſcrimen inter Vicarium Generalem igitur & Foraneum eſt ingens; nam jurisdictio illius eſt longè amplior & generalior, quàm iſtius: ille inſuper habet Dignitatem, non iſte: Vicarius Generalis idem cum Epiſcopo tribunal habet. *c. 2. de Conſuet. in 6. c. 3. de Appellat. in 6.* & ideo ab ipſo ad Epiſcopum appellari nequit. *c. 2. & 3. citt.* econtra Foraneus diſtinctum ab Epiſcopo tribunal, & jurisdictionem delegatam ſolùm exercet. 3. In Temporalibus, atque tunc dicitur *Vicarius* cum addito *in Temporalibus*, & à Trid. etiam *Oeconomus*. Nobis hic unicè de Vicario jurisdictionali in Spiritualibus, ſeu de Vicario Generali ſermo erit. De quo

2 Dico 1. Poteſt Epiſcopus conſtituere Vicarium

rium Generalem (vel etiam plures) qui tamen Clericus, 25. annorum, & in Theologia vel Jure Canonico Doctor ſit aut Licentiatus. Ita communis, & probatur explicando aſſertionem. Dixi námque 1. *Poteſt*; ſiquidem non placet illorum ſententia, qui putant, quemlibet Epiſcopum teneri conſtituere; quare enim Epiſcopus inſigniter peritus, & toti oneri propter anguſtias diœceſis ferendo par, in ſubſidium & ſupplementum, in quod aſſumitur Vicarius. *c. 15. de Off. Ordin.* teneatur conſtituere Vicarium ſe adjuvantem in exercitio jurisdictionis? 2. *Epiſcopus*, nempe ſolus ſine conſilio & conſenſu Capituli. 3. *vel etiam plures*, intellige, æquè principales, & ſingulos cum jurisdictione in ſolidum per totam diœceſim; nullo enim Jure prohibetur conſtituere plures: qui tamen probabiliter omnes reſidere deberent in urbe vel Sede Epiſcopali. 4. *qui ſit Clericus.* per *can. 22. cauſ. 16. q. 7.* & quidem Sæcularis; quamvis enim Clericus Regularis non Mendicans (Mendicantibus quippe hoc officiū abſolutè prohibetur *Clem. 1. §. Prioratus de Regular.*) conſtitui poſſit; id tamen ſine gravi cauſa fieri non expedit, ne ſe cogatur immiſcere negotiis à ſua Profeſſione alienis. Laicus tamen non prohibetur eſſe Aſſeſſor vel Conſiliarius Vicarii Generalis, vel etiam Epiſcopi, in Eccleſiaſticis quoque negotiis; nam ſuggerendo conſilia præcisè, & ea, quæ Juris ſunt, non tractat propriè Eccleſiaſtica, nec jurisdictionem in Spiritualibus exercet. Rectiùs tamen fieri exiſtimem, ſi & pro Conſiliariis adhiberentur perſonæ Eccleſiaſticæ.

cæ. 5. 25. *annorum*, ultimô ſaltem inchoatô. *arg.c.7. de Elect. 6.* & *in Theologia vel Jure Can. Doctor* &*c.* vel ſaltem aliàs, quantùm fieri poteſt, rerum & Jurium peritus. Trid. *loc. cit.*

4 Dico 2. Jurisdictio Vicarii Generalis eſt Ordinaria reſpectu eorum, quæ poteſt intuitu Vicariatûs, & vi mandati Generalis. Ita cum Barboſa de Offic. Epiſc. *alleg. 54. n. 37.* communior contra Goffredum, Sotum, & alios. Probatur 1. Jurisdictio Vicarii Generalis eſt eadem cùm jurisdictione Epiſcopi, tam quoad uſum, quàm quoad proprietatem. *c 2.* & *3. citt.* ſed jurisdictio Epiſcopi eſt Ordinaria: ergo & Vicarii Generalis. 2. Jurisdictio, quæ competit alicui ratione officii ſui, & quæ cum ipſo officio defertur ex diſpoſitione Juris, eſt ordinaria: ſed Vicario competit jurisdictio ratione officii, & ei defertur cum ipſo officio ſine ſpeciali conceſſione Epiſcopi ex diſpoſitione Juris. *c. 2. h. t. in 6.* ergo.

Oppones 1. Jurisdictio ordinaria deſcendit à lege. *l. 6. ff. de Jurisd.* & jurisdictio delegata eſt, quæ exercetur beneficio hominis. *l. 5. ff. eod.* Atqui jurisdictio Vicarii Generalis non deſcendit à Jure vel lege, ſed ab Epiſcopo, cujus beneficiô exercetur: ergo ejus jurisdictio non eſt ordinaria, ſed delegata. 2. Jurisdictio ordinaria eſt perpetua, & non exſpirat cum morte concedentis: ſed Jurisdictio Vicarii Generalis exſpirat cum morte Epiſcopi eam concedentis: ergo. 3. Jurisdictio Vicarii Generalis eſt eadem cum jurisdictione Epiſcopi: ergo non poteſt eſſe ordinaria reſpectu Vicarii Generalis;

ralis; quia aliàs eadem jurisdictio poſſideretur à duobus in ſolidum contra text. *in l. 3. §. 5. ff. de acquir. poſſeſſ. & l. 5. §. 15. ff. Commod.* R. ad 1. N. *Min.* Nam Vicarius Generalis jurisdictionem ſuam principaliter conſequitur ex lege jurisdictionem alligante ipſi muneri; Epiſcopus verò ſolùm deſignat perſonam. *arg. c. 1. de offic. legati. & c. 2. eod. in 6.* Ad 2. N. *Maj.* quòd debeat eſſe perpetua, quamvis plerumque ſit perpetua; aliàs Legati Pontificii, Rector Academicus, vel quivis alius Superior temporalis non haberet jurisdictionem ordinariam, quod clarè eſt falſum. Vel diſt. *Maj.* jurisdictio ordinaria, quæ alicui competit principaliter & nomine proprio, eſt perpetua, *tranſeat*, quæ exercetur nomine alterius & acceſſoriè. N. *Maj.* Ad 3. N. *Conſ.* imò ex poſito *Anteced.* intulimus oppoſitum. Ratio adjecta nihil probat, quia eadem res poteſt à duobus poſſideri diverſo modo, ſcilicet ab uno principaliter, independenter, nomine proprio; ab altero acceſſoriè, dependenter, & nomine alterius: ab uno naturaliter, ab altero civiliter. Sic Epiſcopus poſſidet eandem jurisdictionem principaliter, independenter, nomine proprio; Vicarius autem acceſſoriè, dependenter, & nomine alieno, nempe Epiſcopi.

Dixi in aſſertione, *quæ poteſt intuitu Vicariatûs &c.* nam quoad alia, quæ exercet non vi mandati & commiſſionis Generalis, ac muneris ſui Vicarialis, ſed ex mandato & commiſſione ſpeciali ipſius Epiſcopi, jurisdictio Vicarii non eſt ordinaria, ſed delegata; niſi ipſi quà Vi-

Vicario Generali & intuitu Vicariatûs hæc ipſa committantur per ſpeciale mandatum, vel niſi in prima commiſſione Generali annectantur ſpecialiter Officio Vicariatûs; tunc enim iſta, velut acceſſoria ad Officium Vicariatûs Generale, poſſet eo modo, quo poteſt ea, ad quæ ſe extendit officium & mandatum generale. per *reg. 42. in 6.* Plurimùm autem intereſt, an Vicarii jurisdictio ſit ordinaria, vel delegata; nam quæ poteſt ex jurisdictione ordinaria, poteſt delegare aliis, non verò, quæ poteſt ex jurisdictione delegata.

5 Dico 3. Vicarius Generalis vi Officii & Vicariatûs ſui poteſt omnia, quæ poteſt Epiſcopus ut Epiſcopus, exceptis tamen iis, quæ ſpeciale mandatum requirunt. Adeóque ejus jurisdictio & poteſtas eſt generalis, & quamdiu non probatur, aliquid ex iis, quæ Epiſcopo conceduntur, eſſe negatum Vicario Generali, prò ipſius poteſtate ſtat præſumptio. Sumitur ex *c. 2. & fin. h. t. in 6.* Dixi 1. *quæ poteſt Epiſcopus*, vel, ut *Diœceſanus*, vel, ut *Ordinarius*; nam & Vicarius juxta communem venit nomine *Ordinarii* quoad ea, quæ jurisdictionis ſunt: quæ verò poteſt Epiſcopus ut *Delegatus Papæ*: ſeu non jure *Ordinario*, ſed delegato, vel ex privilegio ſpeciali, ad ea ſe non extendit mandatum Generale, quod habet Vicarius ratione Vicariatûs ſui. Dixi 2. *exceptis tamen iis &c.* quænam verò requirant ſpeciale Mandatum, dabit aſſertio ſequens. Ex dictis interea

6 Infertur, Vicarium Generalem vi mandati Generalis & Vicariatûs ſui poſſe 1. approbare

Con-

Digitized by Google

Confeſſarios. 2. inſtituere in beneficiis legitimè electos. 3. conferre parochias digniori per viam concursûs. 4. Vicariis in beneficiis unitis taxare congruam ſuſtentationem. 5. pœnas leviores infligere, ſi delicta nō mereātur graves, & mulctas pecuniarias injungere, applicandas fiſco Epiſcopali, vel cauſis piis. 6. exequi litteras Apoſtolicas ad ſe, vel ſub nomine proprio, vel ſub nomine Dignitatis, directas. 7. diſponere, quæ pertinent ad Monialium regimen & clauſuram: cōcedere licentiā ingrediendi earum Monaſteria: explorare voluntatem tum ante ſuſceptionem habitûs, tum ante emiſſionem Profeſſionis; quod examen etiam illarum Confeſſariis committere poteſt. 8. conſentire in diſpoſitionem vel donationem Novitiorum de bonis ſuis intra ultimos duos menſes ante Profeſſionem. 9. interponere auctoritatem in alienatione bonorum Eccleſiaſticorum. 10. cognoſcere cauſas beneficiales civiliter motas. 11. diſpenſare in denuntiationibus Matrimonialibus: dare licentiam tranſeundi ad novum Matrimonium, ſi ſatis conſtet, non tamen evidenter, de morte conjugis: diſpenſare in interſtitiis ex gravi cauſa Eccleſiæ. 12. probabilius cognoſcere & judicare cauſas Matrimoniales. 13. abſolvere pœnitentes à caſibus Epiſcopo reſervatis. 14. facere ſtatuta totam diœceſim obligantia, non tamen in rebus arduis, & iis, quæ Epiſcopo competunt Jure ſpeciali. 15. excommunicare ſuos ſubditos; ſuſpendere; interdicere; conſequenter etiam (niſi latæ ſint ab ipſo Jure) ab his cenſuris abſolvere. 16. cogere laicos

etiam per cenſuras ad impertiendum ſibi brachium ſæculare, ubi opus habet. 17. interponere auctoritatem in erectione Monaſteriorum. 18. reſtituere in integrum etiam contra propriam ſententiam.

Oppones. Multa ex allatis, præſertim poſteriora à *n. 12.* negantur Vicario Generali ab Auctoribus variis. Specialiter autem impugnatur poteſtas cognoſcendi cauſas Matrimoniales vi mandati Generalis; quia cauſæ Matrimoniales æquiparantur Criminalibus, & arduis. c. *penult. de in integr. Reſtit.* & Trid. *S. 24. c. 20. de Ref.* dicit, earum cognitionem Epiſcopalis eſſe auctoritatis. ℞. Auctores ſine dubio non cōveniunt in determinādis iis omnibus, ad quæ ſufficit mandatum generale, & quæ exigunt mandatum ſpeciale; eò quòd à Jure non ſint determinata in ſpecie. Ego judicavi, me non erraturum tribuendo poteſtatem generalem Vicario in enumeratis caſibus pro Germania noſtra, ſi ſequar Begnudellium recentiſſimum Scriptorem, qui ipſe per plures annos ſuſtinuit Officium Vicarii Generalis in Germania, nimirum Friſingæ, & in prædictis omnibus Vicario juriſdictionem abſque ſpeciali mandato adſtruit V. *Epiſcopus.* Quando dubitat Vicarius Generalis, an indigeat mandato ſpeciali, & Epiſcopus præſens eſt, in negotiis magis arduis decet ad illum recurrere: ſi verò Epiſcopus proficiſcatur peregre, vel difficilis ad eum recurſus ſit, ſolet dare Vicario plenius mandatū etiam ad ſpecialia. Quod additum eſt de cauſſis Matrimonialibus, deſtituitur ſufficienti funda-

damento; nam in *c. penult. cit.* cauſæ Matrimoniales æquiparantur quidem Criminalibus, ſed in hoc tantùm, quòd per arbitros cognoſci & decîdi nequeant; Tridentinum verò per hoc, quòd Epiſcopo tribuat poteſtatem cognoſcendi, & decîdendi Matrimonialia, ademit quidem eam Archidiacono, Decanis &c. non autem Vicario Generali, cùm utriusque ſit eadem juriſdictio. Idem, & non plus, eruitur ex *c.12. de Exceſſ. Prælat.* Cœterùm in Germania ſolet Epiſcopus aliquem ſpecialiter conſtituere pro cauſis Matrimonialibus, quem vocamus *Officialem*, ut ſuprà inſinuatum.

7 Dico 4. Vicarius Generalis vi ſui Vicariatûs & mandati generalis multa non poteſt, quæ aliàs Epiſcopo competunt, ſed indiget mandato ſpeciali, expreſſo vel tacito. Sumitur rurſus ex *c. 2. cit.* cùm in generali conceſſione illa non veniant, quæ non eſſet quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus. *c. 2. de pœnit. & remiſ. in 6. c. 81. de R. J. in 6.* Dixi 1. *quæ aliàs competunt Epiſcopo*, præſertim quæ ei competunt non ut Epiſcopo & jure ordinario, ſed ut delegato Sedis Apoſtolicæ ſpecialiter commiſſa à Papa vel Concilio Generali, aut ex privilegio, & jure ſpeciali. 2. *multa*, ſcilicet ea, quæ vel ex diſpoſitione Juris, vel ex conſuetudine, vel propter rei arduitatem juxta prudentis viri arbitrium reſervantur ipſi Epiſcopo ejúsque ſpeciali licentiæ, & non eſſe comprehenſa in primo mandato generali meritò creduntur. 3. *indiget mandato ſpeciali, expreſſo vel tacito.* Tacitum mandatum dari putat laudatus Begnudellius con-

Digitized by Google

nodum Diœceſanam : adire loco Epiſcopi Synodum Provincialem aut Generalem : ultimas voluntates, etiam pias, exequi : alienare res Eccleſiæ : cauſas feudales, ſaltem majores, cognoſcere ac decîdere, aut juramentum fidelitatis à vaſallis Epiſcopi recipere : penſionibus aut collectis, vel ſubſidiô charitativô onerare Clericos vel beneficia : exigere quartas Decimarum, Funeralium, aut Synodaticum: adire hæreditatem lucroſam Eccleſiæ Cathedrali delatam, aut eidem conſtituere œconomum : dare Coadjutorem Parocho, aut in parochia conſtituere Vicarium perpetuum: exequi mandata & pœnas Edictorum : judicare in cauſa Epiſcopi, vel ejus Eccleſiæ : procedere contra Canonicos; quod reſpectu exemptorum tam Collegiatæ quàm Cathedralis Eccleſiæ ne quidem cum mandato ſpeciali poteſt, niſi adhibitis duobus de Capitulo : intereſſe electioni Prælatorum : dare licentiam Clericis prorogandi jurisdictionem Judicis Eccleſiaſtici. 3. *Cauſæ Beneficiales*, puta conferre beneficia, quæ ad liberam Epiſcopi collationem pertinent, aut præſentare ad beneficia, quæ ſunt juris Patronatûs Epiſcopalis : recipere reſignationes beneficiorum : erigere novam parochiam, aut transferre Eccleſias vetuſtate collapſas, ad Matricem vel aliam viciniorem : unire beneficia : ea ſupprimere : dividere Eccleſias parochiales : dare conſenſum in reſervationem juris Patronatûs. 4. *Actus jurisdictionis voluntariæ, & liberalis gratiæ*, uti concedere Indulgentias: dare Dimiſſorias, niſi Epiſcopus agat in remotis,

Novel 128. c. 20. hinc non poteſt ſibi ſubſtituere delegatum ad Univerſitatem cauſarum ad longum tempus; quamvis poſſit ad breve ob valetudinem vel aliam neceſſitatem, aut unam vel alteram cauſam alteri delegare totam. Deſumpſi hæc iterum ferè ex Begnudellio cit. Vicario Friſingenſi.

9 Dico 5. Juriſdictio & Officium Vicarii Generalis finitur 1. Renuntiatione, qua ſponte dimittit Vicariatum. 2. Revocatione datæ poteſtatis ab Epiſcopo factâ & intimatâ Vicario; nam quamdiu non intimata fuerit Vicario hæc revocatio, & quidem per ipſum Epiſcopum, vel alium ad hoc deputatum, tamdiu durat poteſtas Vicarii; ac proin ejus acta valebunt poſt revocationem, nondum tamen ipſi cognitam, vel cognitam quidem, ſed non per Epiſcopum, vel ab eo deputatum: quia per quas cauſas aliquid naſcitur, per easdem & diſſolvi debet. *c. 1. de R. J.* ſed Vicarius Generalis naſcitur per expreſſam intimationem Epiſcopi, ſive oretenus, ſive ſcripto (quo modo rectè conſtituitur Vicarius, ut legitimè probari valeat communicata poteſtas) illa fiat; quia requiritur conſenſus Vicarii delatum officium acceptantis: ergo. 3. Per mortem naturalem Epiſcopi. 4. Per mortem ejus Civilem, puta per Depoſitionem. 5. Per translationem illius ad alium Epiſcopatum. 6. Per renuntiationem ſeu reſignationem Epiſcopatûs. Quibus caſibus, ſaltem quatuor ultimis, extinguitur in Vicario omnis poteſtas, etiam quoad cauſas jam inchoatas ante mortem, depoſitionem,

tranſlationem, vel reſignationem Epiſcopi, adeóque etiamſi res non ampliùs ſit integra: & per hoc etiam differt Vicarius à Judice delegato, cujus poteſtas non exſpirat cum morte delegantis, ſi res non ampliùs ſit integra, ſed negotium jam cœptum. *c. 19. & 20. de Off. deleg.* Ratio diſparitatis eſt; quia poteſtas & tribunal Vicarii eſt idem cum poteſtate & tribunali Epiſcopi: ergo impoſſibile eſt pereunte uno durare alterum: at poteſtas & tribunal delegati eſt diſtinctum à tribunali delegantis; unde & à delegato ad delegantem datur appellatio, non verò à Vicario ad Epiſcopum. *c. 2. de conſuet. in 6.*

10 Sed quid? ſi Epiſcopus ſit excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, & ſic carens omni jurisdictione: vel ſi captus à Paganis, hæreticis &c. nequeat exercere jurisdictionem in ſua diœceſi: éſtne adhuc aliqua poteſtas Vicario Generali? ℞. eſt habitualiter, non actualiter; nam ſicut ipſe Epiſcopus in his caſibus non poteſt exercere jurisdictionem, propter impedimentum, eáque interea devolvitur ad Capitulum, ita pariter impeditum eſt exercitium ejusdem jurisdictionis in Vicario: quæ proin non finitur, ſed ſuſpenditur, usque dum tollatur impedimentum ex parte Epiſcopi.

§. 2.

De Vicario Capituli.

11 Sciendum, quandoquidem Sede Epiſcopali vacante jurisdictio devolvitur ad Capitulum. *c. 3. & fin. de ſuppl. neglig. in 6.* idem Capitulum

teneri

teneri intra 8. dies vacationis ſibi notificatæ novum conſtituere Vicarium, vel confirmare antiquum, qui fuit Sede plena. Trid. *S. 24. c. 16. de Ref.* Si intra hoc tempus non eligat Vicarium, conſtitutio Vicarii devolvitur ad Metropolitanum, vel, ſi Eccleſia ſit exempta, ad ſeniorem vel propinquiorem Epiſcopū. Trid. *lo. cit.* Ratio ſic ſtatuendi fuit, ut evitetur confuſio, & negotia non nimis protelentur: quæ facilè contingerent, ſi adminiſtratio communibus Capituli ſuffragiis fieret, cùm ferè tot ſoleant eſſe ſententiæ, quot capita. Vicarius *Capitularis* iisdem qualitatibus debet eſſe præditus, quibus Vicarius Epiſcopi; non tamen neceſſariò aſſumitur ex gremio Capituli, neque neceſſariò eligendus ſecundùm formam *c. 42. de Elect.* Sed ſufficit, ſi major Capitularium pars in unum conſpiret. Ejus jurisdictio partim ſimilis eſt jurisdictioni, quam habet Vicarius Epiſcopalis, quia ordinaria & extendens ſe ad omnia, quæ poteſt Capitulum Sede vacante in jurisdictione Epiſcopali, in qua ſuccedit, partim diſſimilis, & amplior; ſiquidem

Dico. Jurisdictio Vicarii Capitularis probabiliùs ſe extendit etiam ad illa, quæ vivente Epiſcopo & Sede plena indigent ſpeciali mandato, modò aliàs ea competant Capitulo. Garc. *de Benef. p. 5. c. 7. n. 28.* cum aliis contra Barboſ. & quosdam alios. Ratio petitur ex Trid. quod voluit à Capitulo conſtitui Vicarium ideo, ut evitetur confuſio & cauſarum protelatio, ſi componi deberent per omnium Capitularium ſuffragia, quæ rarò & difficulter con- 12

ſpirant: atqui hæc incommoda non evitarentur in negotiis majoribus, in quibus Sede plena indiget Vicarius ſpeciali mandato, ſi etiam Sede vacante requireretur ſpeciale mandatum Capituli: ergo Trid. non voluit reſervari Capitulo ea, quæ Sede plena requirunt ſpeciale mandatum. Per hoc tamen non prohibetur Capitulum, quò minùs poſſit in aliquas cauſas Vicario ſuo adimere jurisdictionem, eásque per viam delegationis cuidam alteri committere.

13 Quæres, quamdiu duret jurisdictio Vicarii Capitularis? ℞. Donec novus Epiſcopus electus & confirmatus fuerit, ac poſſeſſionem Epiſcopatûs adierit: quia Capituli jurisdictio Epiſcopalis, quæ ad ipſum Sede vacante devoluta eſt, non durat diutiùs. Novus igitur Epiſcopus conſtituit novum, vel confirmat eum, quem elegit Capitulum: qui etiam juxta Trid. *lo. cit.* à Vicario Capitulari, uti & Oeconomo, & aliis Officialibus, qui Sede vacante pro Epiſcopo conſtituti ſunt ad res adminiſtrandas, rationem exigere geſti officii & adminiſtrationis poteſt, atque punire, quos invenerit malè functos ſuo officio & adminiſtratione ſibi commiſſa.

§. 3.

De Vicario Parochi, ac in Divinis.

14 Sciendum, Vicarios in Divinis, ſeu in Beneficiis, maximè Parochialibus, eſſe in duplici claſſe, nempe Perpetuos & Temporales. Nec nobis ſermo eſt de illis Vicariis, qui in Eccleſiis Illu-

Illuſtribus munus Canonicorum implent in Horis Canonicis & Officiis Divinis in Choro decantandis, peragendis, ac propterea appellantur *Chori-Vicarii*; de his enim SS. Canones, qui volunt Canonicos Divina Officia obire per ſe ipſos, Trid. *S. 24. c. 12. de Ref.* nihil ſciunt, ſed de Vicariis, qui Parochorum vices gerunt. Ex his *Perpetui* vocantur, qui in Beneficio jus & titulum obtinent, ſaltem utilem penſionis ex reditibus Parochialibus ſibi aſſignatæ, quæ portio plerumque eſt tertia pars redituum, nonnunquam tamen etiam major vel minor, modò ſufficiens ad congruam ſuſtentationem Vicarii, juxta determinationem Epiſcopi. Trid. *S. 7. c. 7. de Ref.* atque tanta ſit, ut poſſit etiam hoſpitalitatem exercere erga peregrinos, & miſericordiam erga pauperes, jura Epiſcopalia ſolvere, aliaque onera ſupportare. *c. 2. de ſuppl. negl.* Hujusmodi Vicarii æquiparantur veris Parochis, nec poſſunt pro libitu amoveri, ſed ſolùm ex cauſa in Jure approbata. *c. 3. h. t. Clem. un. eod.* & potiſſimùm reperiuntur in Parochiis, quæ ſunt unitæ Monaſteriis, Collegiis, & locis piis. Vicaria autem perpetua eſt propriè dictum Beneficium. *c. 27. de Reſcr.* Econtra *Temporales* Vicarii ſunt, qui in Beneficio jus & titulum non habent, ſed velut Mercenarii conſtituuntur ſolùm ad tempus, ac ad nutum conſtituentis, vel illius, cui ſubſtituuntur, amovibiles ſunt: cujusmodi aſſumuntur, ſi Parochi fortè ægrotent, vel obruantur occupationibus, vel ex juſta cauſa abſint à Parochiis, vel degant in Novitiatu Ordinis Religioſi, vel

ſi de

Digitized by Google

ſi de novo Rectore non ſtatim poſſit provideri Eccleſiæ vacanti &c. Iſti Vicarii vocantur etiam *Capellani*, aut *Curati*. Iis autem valde vicini ſunt, quos Parochi ſibi aſſumunt in auxilium exercendæ curæ animarum, & *Cooperatores* dicuntur: hoc tamen inter utroſque diſcrimen eſt, quòd Cooperatores habeant juriſdictionem merè delegatam & diſtinctam à Juriſdictione Parochi, conſequenter ab ipſis non delegabilem ampliùs: Vicarii autem Temporales habeant juriſdictionem quaſi ordinariam, imò eandem, quam habet is, cujus agunt vices, adeóque delegabilem ab ipſis alteri quoad unam vel alteram partem vel negotium: imò ex gravi cauſa & ad modicum tempus ſuam totam juriſdictionem alteri concedere, & ſibi ſubſtituere permittuntur. *arg. l. 1. ff. de Offic. ejus, cui mandata eſt juriſd. pr.*

15 Dico. Ad Vicarium perpetuum pertinet tota cura animarum, & exercitium juris Parochialis, ita ut Rector Eccleſiæ, cui Parochia incorporata eſt, ſe immiſcere non debeat aut poſſit, vivente Vicario & invito. Ita communis, & ratio eſt, quia paſtoralis cura actualis tota Vicario commiſſa eſt, isque in omnibus æquiparatur Parocho, adeò ut, quidquid de Parocho reperitur ſtatutum in Jure, etiam intelligendum veniat de Vicario Perpetuo. *Clem. un. h. t.* Ad ſummum igitur penes Rectorem principalem eſt cura animarum in habitu, penes Vicarium autem in actu; quamvis ad Rectorem principalem pertineat exercitium Juris Parochialis quoad forum externum & contentio-

ſum

ſum in defendenda Eccleſia, item reparatio fabricæ, ſaltem ſi majorem fructuum partem percipiat: ut adeò Vicarius Perpetuus meliùs vocetur Rector animarum, quàm Rector Eccleſiæ, niſi & reliquam curam ex ſpeciali commiſſione habeat etiam pro foro externo. Oppones: quando præſens eſt is, cujus vices gerit aliquis, ceſſat poteſtas vices gerentis: ergo etiam præſente Rectore principali Eccleſiæ ceſſat poteſtas Vicarii Perpetui. ℞. Diſt. *Ant.* ſi is, cujus vices geruntur, retinet poteſtatem & curam actualem, uti retinent, qui conſtituunt Vicarios temporales. C. *Ant.* ſecus. N. *Ant.* & *Conſ.* vel ſi vices gerens habeat ſuam jurisdictionem ab eo, cujus vices gerit. *trans.* Secus. N.

Ex dictis deducitur 1. Vicarium perpetuum debere eſſe 25. annorum, dum aſſumitur. 2. intra annum ab adepta Vicariæ quieta poſſeſſione fieri Sacerdotem. 3. reſidere in ſua Eccleſia, nec poſſe habere duas Vicarias perpetuas; quia nimirum omnino æquiparatur vero Parocho. 4. non amittere Vicariam per mortem vel depoſitionem Rectoris principalis; quia ſuam jurisdictionem non habet à Rectore principali, qui illum ad ſummum præſentavit, ſed habet ab Epiſcopo, à quo examinandus & inſtituendus eſt. *c. 3. h. t.* Aliud eſt de Vicaria temporali, quæ finitur per mortem Rectoris principalis, uti & per hujus Revocationem, etiam tacitam, ut ſi ipſe principalis ſe rurſus applicet officio Paſtorali.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XXIX.

De Officio & Poteſtate Judicis Delegati.

SUMMARIUM.

1. *Notio Judicis & Jurisdictionis; item Officii Nobilis & Mercenarii in Judice.*
2. 3. *Definitur Judex, & dividitur, præcipuè in Ordinarium & Delegatum. Delegatus differt à Vicario.*
4. *Epiſcopi in Exemptos non procedunt tanquam Judices Ordinarii, ſed ut Delegati Juris.*
5. 6. 7. *Definitur Jurisdictio in genere, & dividitur, præcipuè in Jurisdictionem ſimplicem, & Imperium: in Eccleſiaſticam & Sæcularem: in Voluntariam & Contentioſam: in Ordinariam & Delegatam.*
8. *Quomodo acquiratur Jurisdictio tum Ordinaria tum Delegata.*
9. *Definitur Imperium, & dividitur in Merum ac Mixtum.*
10. *Quomodo differant Officium & Poteſtas.*
11. *Poteſtas Delegati deſumenda eſt ex mandato Delegantis.*
12. *Generaliter delegata ei cenſentur omnia, ſine quibus expediri cauſa nequit.*
13. *Etiam executio ſententiæ regulariter.*
14. 15. *Delegatus quando ſubdelegare poſſit, & dare Judicem.*
16. *An etiam, ſi recuſetur Delegatus. Penes quem ſit pronuntiare in caſu Recuſationis.*
17. *In quibus conſiſtat Officium & obligatio Delegati. Item an Partes poſſint prorogare Dele-*

gato

gato Jurisdictionem ad tempus, locum, cauſam, perſonam, non expreſſa in mandato.

18. *Poteſtas Delegati finitur per mortem Delegantis, ſi res adhuc ſit integra: quid ſit, rem eſſe integram, & an deſinat eſſe per ſolam citationem.*

19. 20. 21. 22. 23. *An & quomodo finiatur per revocationem, mortem Delegati, lapſum temporis, confectionem negotii, & ſententiam invalidè latam.*

24. *Quis delegare poſſit.*

25. *Quæ cauſæ delegari, & an Imperium.*

26, 27. *Et quibus. An cauſæ Eccleſiaſticæ, vel temporales Clericorum etiam Laicis.*

28. *Quid Juris, ſi eadem cauſa delegetur pluribus.*

29. *A Delegato, vel Subdelegato, ad quem ſit appellandum.*

AB hoc titulo uſque ad finem lib. I. Decretalium traduntur Præparatoria *Judiciorum*, quæ in libro II. ordinantur. Et quamvis aliàs moris ſit, à genere ad ſpecies deſcendere, placuit tamen hic Juris noſtri Compilatori à ſpeciebus aſcendere ad genus, dum priùs tractat de Officio Judicis Delegati & Judicis Ordinarii, ac tum primùm de Officio Judicis in genere. Nos in reverentiam illius eodem ſervato ordine præmittemus ea, quæ his omnibus communia ſunt, vel ritè intelligendis inſerviunt, nempe naturam & varietatem Judicis & Jurisdictionis.

§. 1.

§. 1.

Quid & quotuplex ſit Judex: Jurisdictio: & Imperium.

1 Sciendum, Judicem & Jurisdictionem appellari à jure dicundo vel dicendo. *l. 1. 2. 10. ff. de jurisdict.* *Judex* igitur vocatur, qui aliis Jus dicit ſuper cauſa controverſa: *Jurisdictio* autem ſignificat facultatem jus dicendi. Cùm verò jus dici, ſeu ſecundùm leges Juſtitiæ pronuntiari de re nequeat ſine prævia cognitione cauſæ controverſæ, ideo officium Judicis præcipuè & eſſentialiter conſiſtit in duobus, videlicet in cognitione controverſiæ, & pronuntiatione ſententiæ. Siquis autem facultatem pronuntiandi non habeat, ſeu jurisdictionem; ſed ſolùm *notionem*, ſeu facultatem cognoſcendi, ac ſuam mentem dicendi, at non decidendi cauſam, non eſt propriè Judex, quamvis vocetur Judex *Notionalis*, vel *Pedaneus*. Licèt autem defacto Judices Pedanei, jurisdictione carentes, conſtitui non ampliùs ſoleant, iis tamen vicini ſunt, quos in Foro Civili *Commiſſarios* vocant, & *Conſulentes*; in Foro autem Eccleſiaſtico *Auditores*, quibus committitur examen cauſæ controverſæ, teſtium &c. eo tantùm fine, ut rem omnem deferant ad ſuos Principales, qui poſtea ferunt ſententiam, vel juxta relata cauſam decidi jubent. Cum jurisdictione quandoque confunditur *Imperium*. per *l. 3. 4. ff. de Off. Præſ.* ſtrictè tamen ſumptum juxta communiorem eſt ſpecies Jurisdictionis. per *l. 3. ff. de jurisd.* Nam jurisdictio Judicis alia eſt *ſimplex*, alia *Imperium*;

de

Digitized by Google

de quibus infrà. Cæterùm Judex dicitur procedere ex *Officio Nobili*, quando cognoſcit, & pronuntiat de cauſa motu proprio, & nemine petente: ex *Officio Mercenario* autem, quando id facit ad inſtantiam Actoris, per actionem poſtulantis, quod ſuâ intereſt; nam officium mercenarium Judicis non appellatur *à mercede*. quæ in Judice ſordes redolet, ſed indè, quia ſubſervit Actioni propoſitæ, & impenditur ex jure ſtricto ad inſtantiam Actoris.

Dico 1. Judex Jurisdictionalis eſt perſona publica, cui competit poteſtas, & incumbit officium, de controverſiis litigantium in judicium deductis cognoſcendi, & ſecundùm leges, locorúmque conſuetudines pronuntiandi Colligitur ex *c. forus 10. de V. S.* & ex dictis. 2

Dico 2. Judex alius eſt 1. *Summus*, cui competit poteſtas ſeu jurisdictio ſumma in judicando, qualis eſt in Summo Pontifice pro foro Eccleſiaſtico per totum mundum, & vocatur *Poteſtas Clavium*, in Imperatore & Regibus pro foro ſæculari & ſuis terris, ac appellatur *Majeſtas*, ſeu ſuprema poteſtas regendi Rempublicam; qualis etiam reperitur in ſummo ſupremi Principis, Superiorem non recognoſcentis, dicaſterio. Et alius *Subalternus*, cui competit jurisdictio ſubalterna, ſeu quæ ſummæ Poteſtati ſubordinata eſt, atque dicitur etiam jurisdictio *Territorialis*, qualem pro foro Eccleſiaſtico obtinent maximè Epiſcopi, qui in partem ſollicitudinis, & in levamen Summi Pontificis evocati ſunt, per certa territoria, provincias, & diœceſes: pro foro ſæculari autem Principes & Sta- 3

tus Imperii in ſuis ditionibus reſpectu perſonarum & rerum ibidem exiſtentium. Germanicè vocatur iſta die Lands-Fürſtliche Obrigkeit. *R. J. de anno 1548. §. 66.* 2. alius eſt *Ordinarius*, qui habet jurisdictionem Ordinariam & propriam, ſeu ratione proprii muneris competentem. Et alius *Delegatus*, qui exercet jurisdictionem delegatam, ſeu ex alterius (hominis vel Juris) commiſſione ſibi ſpecialiter conceſſam, & diſtinctam à jurisdictione illius, cujus nomine, vice, & auctoritate eam exercet: ſiquidem *delegare* nihil eſt aliud, quàm alteri vices ſuas committere, data poteſtate judicandi. Unde Judices Delegatos Jus Civile vocat *Datos l. 5. C. de Judic. l. unic. C. qui pro ſua jurisd.* Practici verò etiam *Commiſſarios*. Si Judex delegatus ſit à ſupremo Principe, Papa vel Imperatore, vocatur *Delegatus Principis*, ſi ab alio homine, *Delegatus inferioris*. Si alicui omnes cauſæ, vel univerſim, vel ſaltem in aliquo genere ſubalterno, v. g. omnes cauſæ Decimales, Matrimoniales &c. committantur, quamvis cum reſtrictione ad certum locum, vel tempus, appellatur *Delegatus ad Univerſitatem cauſarum*: ſi verò una tantùm, vel plures quidem cauſæ, ſed certo numero, vel inter certas perſonas motæ, v. g. cauſæ Decimales inter Parochum & Monaſterium, alicui demandentur, *Delegatus ſimpliciter & propriè*, vel *Delegatus ſpecialis*, ſeu *ad certas cauſas* dicitur. Qualiſcunque autem fuerit Delegatus, ſemper differt à *Vicario* per hoc, quòd Vicarius exerceat quidem jurisdictionem vice alterius, ſed eandem cum ſuo principali,

Digitized by Google

pali, ut vidimus de Vicario Epiſcopi: econtra Delegatus juriſdictionem diſtinctam ab illius juriſdictione, cujus vice eam exercet. In hoc Titulo tantùm ſermo erit de Judice Delegato; non de Ordinario, qualis eſt etiam Judex ſummus & ſubalternus, atque illi, quos hi in ſuis territoriis conſtituunt Judices, ac juriſdictionem tribuunt ipſorum officio annexam, adeóque ordinariam.

Dico 3. Epiſcopi, quibus Jus Commune, præſertim Tridentinum, ſæpius tribuit poteſtatem in Exemptos pro certis caſibus, non ſunt horum Judices Ordinarii, ſed tantùm Delegati, non quidem hominis, ſed Juris. Ita communior cum Barb. & Sanch. Ratio eſt, quia in his caſibus juriſdictio in Exemptos non competit Epiſcopis ratione muneris ſui Epiſcopalis, ſed ex ſpeciali commiſſione Juris, ut indicatur clarè *c. 13. §. cœterùm. de Offic. Ord. c. 9. in fine de hæret. c. un. de ſtatu Regul. in 6. Clem. un. de ſuppl. neglig.* Trid. in variis locis, nempe *S. 5. & 6. c. 2. de Ref. &c.* ubi Epiſcopis expreſsè tantùm ut *Delegatis* Papæ, & *Delegata Sedis Apoſtolicæ auctoritate*, contra Exemptos procedere permittitur. Oppones 1. Juriſdictio, quæ defertur ab ipſa lege, eſt ordinaria, ut colligitur à contrario ex *l. 6. ff. de Juriſd.* ſed &c. 2. Epiſcopi antecedenter ad exemptionem in Regulares, & alios, nunc exemptos, de Jure Communi habebant juriſdictionem ordinariam, ut nemo negat: ergo in iis, in quibus ſublata exemptione datur iterum Epiſcopis poteſtas contra eos procedendi, reſtituitur ipſis antiqua poteſtas: 4

ſicut, quando Parochus abſolvitur ab excommunicatione, reſtituitur ipſi jurisdictio antiqua, nimirum ordinaria, quam priùs habuit, in ordine ad ſuos Parochianos abſolvendos pro foro interno. 3. Jurisdictio, quæ conceditur Epiſcopis à Papa tanquam annexa Officio, tranſit in ordinariam: ſed &c. ℞. ad 1. Niſi lex tribuat jurisdictionem per modum ſpecialis commiſſionis & delegationis. *C. Ma.* ſecus. *N. Ma.* Ad 2. Diſt. *Conſ.* ſi exempti ſublata exemptione ſubjiciantur Epiſcopis ſimpliciter, vel ut Epiſcopis. *C. Conſ.* ſi tantùm ut Delegatis Sedis Apoſtolicæ, vel per modum ſpecialis commiſſionis. *N. Conſ.* Argumentum procedit, quando Epiſcopis datur poteſtas in exemptos ſimpliciter, vel cum hac clauſula, non obſtantibus privilegiis; vel quando Jus addit, *etiam* tanquam Delegati, uti facit Trid. *S. 6. c. 4. de Ref. & S. 22. c. 10. de Ref.* non verò, quando datur poteſtas tantùm ut Delegatis Papæ, vel auctoritate Papæ procedendi. Cum Parocho non eſt paritas, quia ipſi ſimpliciter conceditur & reſtituitur poteſtas per excommunicationem adempta. Ad 3. claret ex dictis *cc.* & Trid. quòd Epiſcopis plerumque concedatur jurisdictio in exemptos per modum Delegationis, & non ratione Epiſcopalis muneris. Exinde autem, quòd Epiſcopi tantùm ſint Judices Delegati, infertur 1. ab ipſis non ad Archiepiſcopum, ſed ad Pontificem, velut Delegantem, eſſe appellandum per *c. 27. §. porro h. t.* 2. hanc eorum jurisdictionem Sede vacante non tranſire ad Capitulum. 3. & Vicarium Generalem non poſſe
eam

eam uſurpare ſine ſpeciali mandato, & ſubdelegatione Epiſcopi.

Dico 4. Jurisdictio in genere eſt poteſtas publica de cauſis controverſis jus-dicendi, ordinata ad gubernationem Subditorum. Ita quoad ſenſum Molina *tr. 5. d. 2. n. 1.* & alii. Per vocem *publica* indicatur, partim quòd non privata, ſed publica tantùm auctoritate Reipublicæ, Magiſtratûs, aut Principis acquiratur, partim quòd perſonam, eâ præditam, faciat publicam, & ſuper cœteros eminentem, eiſque auctoritatem tribuat talis poteſtas: & hinc differt à poteſtate Patria, Dominica, & Oeconomica, quam habet pater in filium, dominus in ſervum, maritus in uxorem, magiſter in diſcipulum, quia hæ ſolùm privatæ ſunt, & propriè non jurisdictio, utpote non deſcendentes ab Auctoritate publica. Per voces, *ordinata ad gubernationem ſubditorum*, differt maximè à jure proprietatis, quæ utilitatem privatam obligantis; & à poteſtate Tutoris atque Curatoris, quæ præcisè bonum pupilli vel minoris reſpicit; jurisdictio autem ex ſe refertur ad utilitatem publicam, & in bonum ſubditorum, tanquam Communitatis, regendæ per homines hac poteſtate præditos. Per *cauſas* intellige omnes, tam Criminales quàm Civiles &c. Dixi autem, *Jurisdictio in genere;* nam jurisdictio in ſpecie, ſeu *Simplex*, prout opponitur *Imperio*, alteri diſtinctionis membro, in quod dividitur jurisdictio in genere, eſt poteſtas præcisè jus dicendi in cauſis Civilibus absque juſſione, coërcitione, & jure exequendi ſententiam; nam

 juſſio,

Digitized by Google

juſſio, coërcitio, & executio jam involvunt Imperium. Probatur autem diviſio jurisdictionis in jurisdictionem ſimplicem, & conjunctam cum Imperio, ex *l. 3. ff. de Jurisd. ex l. 1. & ult. ff. de Offic. ejus, cui mand. eſt jurisd.* Porrò reipſa non facilè conceditur jurisdictio, vel ordinaria vel delegata, ſine omni imperio, ſeu ſine poteſtate coërcendi & puniendi inobedientes, imò rarò etiam ſine poteſtate exequendi; cùm ſine tali poteſtate ferè inutilis foret jurisdictio. Et hinc, quando conceditur jurisdictio, hoc ipſo conceſſa intelliguntur omnia, ſine quibus jurisdictio expediri non poteſt. *l. ult. cit. l. 2. ff. de Jurisd. c. 1. h. t.* Sine aliquo autem imperio ferè inutilis foret jurisdictio.

6 Dico 5. Jurisdictio ulteriùs dividitur 1. in *ſummam* & *ſubalternam*, quas jam explicavimus *n. 3.* 2. in *Eccleſiaſticam*, quæ in perſonas ſacras, vel circa res ſacras, aut ſpirituales, & in *Sæcularem* ſeu *Politicam*, quæ in ſolos laicos & circa res profanas & politicas exercetur. Eccleſiaſtica alia eſt *fori interni*, quæ in ſacro Pœnitentiæ tribunali & conſcientiæ tantùm; alia *fori externi*, quæ extra Pœnitentiæ & conſcientiæ tribunal etiam locum habet. 3. in *Voluntariam*, quæ afficit volentes, verſatúrque circa ea publicæ poteſtatis exercitia, quæ ſine contentione & coërcitione fiunt, uti ſunt concedere privilegia, legitimare, diſpenſare, abſolvere à Cenſuris, adminiſtrare Sacramenta &c. & in *Contentioſam*, quæ exercetur per ſe in invitos & nolentes, vel etiam cum aliqua contentione par-

partium, aut coërcitione Judicis; cujus actus ſunt ferre leges & ſtatuta, præcipere & punire, cauſas Civiles & Criminales definire &c. Actus jurisdictionis voluntariæ tum validè tum licitè exercentur in ſubditos (non ſolenniter tamen) etiam extra territorium proprium per text. & DD. in *c. 7. de Off. Leg. & l 2. ff. de Off. Proconſ.* (excepta collatione Ordinum, & Sacramenti Confirmationis) non tamen actus jurisdictionis contentioſæ. per *c. 2. de Conſt. in 6.* nimirum ſine conſenſu Judicis territorialis illius loci, in quo exercentur, & ſine conſenſu Partium. 4. in *Realem*, ſeu Patrimonialem, quæ perpetuò inhæret rei vel loco cuidam. v. g. caſtro, pago, territorio, atque tranſit ad hæredes, vel ſucceſſores, etiam extraneos, ad quos devenit caſtrum, pagus, territorium: talem obtinent Principes, Comites, Barones, & Status Imperii ratione ſuarum ditionum. Et in *Perſonalem*, quæ principaliter conceditur perſonæ, dignitatem vel officium aut locum aliquem poſſidenti, deſinitque cum perſona: talẽ habent Rectores Academici, Conſules in civitatibus &c. 5. in *Separatam*, ſeu Privativam, quæ uni tantùm, excluſis aliis competit, vel quæ quidem duobus vel pluribus conceſſa eſt, ſed privativè, uni in hoc loco tantùm, vel in hac cauſa; alteri in alio loco, vel in alia cauſa. Et in *Concurrentem*, ſeu Cumulativam aut Communem, quæ competit pluribus cumulativè, h. e. ut vel omnes judicent pro indiviſo, vel ut quilibet judicare poſſit ſine aliis, eandem jurisdictionem in ſolidum obtinentibus, qui nempe

alios prævenerit: ubi tamen & apud quem aliquando cœptum eſt judicium, apud eundem & finiri debet. *l. 30. ff. de Judic.*

7 Demum 6. Dividitur jurisdictio in Ordinariam & Delegatam. *Ordinaria*, quam multi etiam *Propriam* vocant juxta *l. 4. ff. de Offic. ejus, cui mand. eſt juriſd.* competit ex jure proprio, ſcilicet ratione officii vel dignitatis, cui à Jure vel à Superiore annexa eſt: ſic Jus conceſſit Epiſcopis jurisdictionem & facultatem diſpenſandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus. Trid. *S. 24. c. 6. de Ref.* ſic iidē ratione Officii ſui exercent jurisdictionem in omnes ſuos diœceſanos, non exemptos, quoad curam animarum, controverſias circa res & negotia Eccleſiaſtica &c. *Delegata* (ſeu *Mandata*, ut eam vocat Jus Civile *t. t. ff. de Offic. ejus, cui mandata eſt juriſd. & l. 16. ff. de Juriſd.* imò etiam Jus Canon. *c. fin. h. t.*) eſt, quæ nomine & beneficiô alterius ſeu Juris ſeu hominis, ordinariam jurisdictionem habentis, exercetur, ſeu ex ſpeciali commiſſione, immediata vel mediata: unde quia penes delegantem ſeu mādantem remanet jurisdictionis proprietas & radix, ſolúmque exercitium & uſus exiſtit penes delegatum ſeu mandatarium Judicem, juxta *l. 1. §. 1 ff. de offic. ejus, cui.* à quibusdam vocatur jurisdictio *aliena*, *non propria*, *impropria*. Non deſunt tamen, qui jurisdictionem mandatam diſtinguant à delegata in ſpecie per hoc, quòd per delegatam committatur una tantùm vel altera cauſa expreſſa; per mandatam verò plures demandentur: item per hoc, quòd habens

bens jurisdictionem delegatam careat poteſtate exequendi, habens verò mandatam poſſit exequi ſententiam; adeóque confundunt Judicem Delegatum & Datum. Sed reclamant plerique Civiliſtæ cum Struv. *Exercit. 4. th.44.* & contendunt, Judicem *Delegatum* à *Dato* differre per hoc, quòd Datus, ſicut Pedaneus, nullam habeat jurisdictionem, ſed meram notionem, & falſum eſſe ajunt, quòd Delegatus nequeat exequi ſuam ſententiam, per *c.7.9. 28. h. t. & l. ult. ff. de Offic. ejus, cui.*

Dico 6. Jurisdictio *Ordinaria* obtinetur vel ab ipſa Lege, vel à ſupremo Principe, aut ab illo, cui ſupremus Princeps dedit poteſtatem erigendi tribunalia & conſtituendi Magiſtratus, vel ex Præſcriptione, vel ex Conſuetudine, vel etiam ex Succeſſione. Jurisdictio autem *Delegata* acquiritur vel à Jure, vel ab homine, poteſtatem delegandi habente, ſive ſit ſupremus Princeps, ſive inferior Judex. Jurisdictionis ordinariæ acquirendæ 5. modi allegati deſumuntur ex Trid. *S. 24. c. 6. de Ref. c.6. de Majorit. c. 18. de Præſcript. c. 13. de Off. Jud. Ord. lib. 1. Feud. c. 8. cum c. 6. de Voto.* Duo modi verò, quibus obtinetur jurisdictio Delegata, Trid. *S. 5. c. 2. & S. 6. c. 2. de Ref. & l. 5. ff. de Jurisd.* In dubio autem, an Lex, vel Princeps voluerit conferre jurisdictionem ordinariam vel delegatam, præſumitur contuliſſe ordinariam, niſi adjiciatur clauſula, delegationem denotans. v. g. *procedant auctoritate noſtra, auctoritate Apoſtolica, auctoritate delegata, nulla admiſſa exceptione, appellatione remota &c.* Dixi, *an* 8

Lex & Princeps, nam inferiores Magiſtratus nequeunt conferre jurisdictionem Ordinariam, eò quòd erigere Tribunalia, Officia, & Magiſtratus novos creare non poſſint ſine ſupremi Principis vel Legis conceſſione. Conceſſum autem in Statu Eccleſiaſtico eſt à Papa Majoribus Eccleſiæ Prælatis, nempe Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ut in ſuis Provinciis & Diœceſibus officia publica & Judices ſibi ſubordinatos cum ordinaria jurisdictione conſtituere poſſint: in Statu autem Politico idem ab Imperatore conceſſū eſt Statibus & Proceribus Imperii, ut nempe & illi valeant dicaſteria excitare, Magiſtratus conſtituere, & in ſuis territoriis Judices, quibus competat jurisdictio ratione officii ad id conſtituti, ac ordinare tribunalia, cujusmodi duo plerumq; ſunt, *Concellaria*, & *Camera*: die Cantzley / und das Hoff-oder Landt-Gericht.

9 Dico 7. Imperium eſt jurisdictio, quæ principaliter exercetur per juſſionem & coërcitionem. Eſt duplex, merum & mixtum. *Merum* Imperium eſt poteſtas gladii ad animadvertendum in facinoroſos. *l. 3. ff. de Jurid.* à Practicis *Jurisdictio Alta* vocatur, vel *Judicium Sanguinis*, Hoche Obrigkeit / Blut-Gericht. *Mixtum*, quod à Modernis appellatur *Jurisdictio Baſſa*, vel *Vogteia*, Nieder-Gerichtbarkeit / Vogteyliche/ oder Hoffmarchs-Gerechtigkeit / eſt imperium conjunctum cum jurisdictione ſimplici, conſiſtens principaliter vel in juſſione, vel in coërcitione, in ordine ad cauſas Civiles dirimendas. Actus *Meri Imperii* à Molin. *d. 6.* enume-

merantur ſex, ab aliis pauciores: in primo gradu conſtituunt poteſtatem ferendi leges Univerſales, congregandi Concilia & Comitia Generalia, indicendi & inferendi bellum, cognoſcendi cauſas remota appellatione, imponendi tributa, exigendi vectigalia, cudendi monetas, & faciendi ea, quæ vocari ſolent *Regalia*: atque iſte gradus vocatur Imperium Maximũ, ac per ſe ſolis ſupremis Principibus competit, quamvis aliqua ex iis per feudum, vel per privilegium ſoleant concedi etiam inferioribus. Reliqui gradus ſpectant ad Juſtitiam Vindicativam, & cauſas Criminales tantùm concernunt, quos recentiores Legiſtæ ſolent ad tres reducere. In 1. ponunt poteſtatem plectendi in vita naturali adimenda. In 2. poteſtatem adimendi vitam civilem per Bannum Imperialem, deportationem &c. In 3. poteſtatem puniendi in fama, bonis fortunæ, & corpore, citra mortem tamen. Actus *Imperii Mixti* verſantur circa cauſas Civiles, vel Criminales quidem, ſed Civiliter intentatas; ejus primum gradum conſtituit poteſtas transferendi Epiſcopos, uniendi & dividendi Epiſcopatus, unam Eccleſiam Cathedralem ſubjiciendi alteri, legitimandi illegitimè natos, reſtituendi famam infamibus infamiâ Juris, revocandi ſententiam, quæ tranſiit in rem judicatam, concedendi executionem ſententiæ poſthabita appellatione &c. Atque iſti actus reſervantur per ſe ſupremo Principi. In ſecundo gradu ponitur poteſtas coërcendi carcere, vel pœnâ pecuniariâ principaliter in bonum Partis, puniendi leviora delicta,

Digitized by Google

v. g. injurias verbales & reales, Schmäch-Wort / ſtoſſen / kratzen / Schlägerey / furta parva, alicubi etiam fornicationes &c. Attendenda eſt conſuetudo locorum (nam de Jure cauſæ, quæ tractantur Criminaliter, ſpectant ad jurisdictionem Altam) dein poteſtas inſpiciendi ac determinandi pondera, menſuras, viſitandi molendina, hoſpitia &c. ſed ex praxi potiùs, quàm de Jure, item reſtituendi in integrum, dandi Tutorem vel Curatorem &c. Ex dictis patet, Imperium Merum reſpicere utilitatem publicam, & Imperium Mixtum utilitatem privatorum.

§. 2.

De Poteſtate & Officio Judicis Delegati.

10 Sciendum, poteſtatem & officium, licèt ſubinde confundantur, diſcrepare inter ſe. 1. quòd per *poteſtatem* denotetur, quid poſſit, & per *officium*, quid debeat facere Judex Delegatus vi ſuæ commiſſionis, vel delegationis. 2. quòd poteſtas dicat actum primum ſeu potentiam, officium verô actum ſecundum ſeu exercitium actuale.

11 Dico 1. Poteſtas Delegati eſt tanta, quantam ſonat mandatum, quo conſtituitur. Ratio, quia Delegatus gerit vices Delegantis, qui non omnem ſuam poteſtatem committit alteri, ſed ampliorem & principalem ſibi reſervat, nec ſuam ei communicat, ſed diſtinctam, licèt ſuæ ſubordinatam. *l. ult. ff. de Jurisdict.* conſequenter tantum poterit Delegatus, quantum ei conceſſerit Delegans.

Dico

Dico 2. Delegatus vi ſuæ delegationis poteſt omnia, ſine quibus cauſa ſibi commiſſa expediri nequit, etiamſi in mandato delegationis expreſſa non ſint. *c. 5. 7. h. t.* Quod etiam verum eſt de Subdelegato. *c. 29. eod.* Concordat *l. 2. ff. de Jurisd. l. ult. ff. de Offic. ejus &c.* cui enim committitur executio finis, etiam acceſſoria cenſentur commiſſa, ne commiſſio ſit inefficax. Nec obſtat, quòd jurisdictio delegata aliàs ſit ſtricti juris, & ideo non extendenda ad non expreſſa in Mandato. *c. 32. & 40. h. t.* nam ea, ſine quibus commiſſio careret viribus, ſatis expreſſa creduntur. Unde in ſpecie poteſt 1. citare Partes litigantes, & contumaciter non comparentibus infligere pœnam à Jure definitam, vel, ſi definita non ſit, arbitrariam. 2. removere obſtacula, & impedientes coërcere, etiam per Cenſuras, ſi ſit Delegatus Papæ; quamquam ſi ſe opponat Epiſcopus, non ſtatim, nec facilè ad has deſcendere debeat, ſed priùs interdicere ab ingreſſu Eccleſiæ &c. *c. 11. h. t.* 3. admittere tranſactionem inter partes. 4. ſpoliatum mittere in poſſeſſionem bonorum. 5. aſſumere officiales neceſſarios &c. 12

Dico 3. Delegatus, etiam non ſupremi Principis, poteſt probabiliùs exequi ſuam ſententiam per ſuos Miniſtros, nec tenetur executionem relinquere deleganti, vel demandare, v. g. Judici Ordinario talis loci. Ita Molin. *d. 26. n. 5.* Abb. & alii contra Imol. Bartolum &c. quia in commiſſione abſoluta cenſentur omnia eſſe commiſſa, donec cauſa plenè expediatur uſque ad ultimum effectum. Textus *c. 4. de for. comp.* 13

& *l.*

& l. 15. ff. de Re Jud. qui allegantur in contrarium, accipiendi ſunt vel de arbitris, vel de iis Judicibus, quibus tantùm ſimplex committitur notio, uti Pedaneis, vel quibus ſpecialiter cum reſervatione executionis demandata eſt deciſio cauſæ. Dixi 1. *etiam non ſupremi Principis*, quòd enim hujus delegatus poſſit exequi, ſi velit, clarum eſt ex *c. 7. & 26. h. t.* ubi ad executionem integer annus ei conceditur. 2. *ſententiam*, ſaltem ſi ea non ſit irrita, vel notoriè injuſta; nam ſententiam certò nullam, aut notoriè injuſtam (præſertim ſi innocens fuiſſet condemnatus ad mortem vel mutilationem) nec ipſe poteſt exequi, nec ad id tenetur Judex Ordinarius, vel alius, cui demandat Delegatus executionem, per *c. 5. de ſent. & re jud.* quamvis penes hunc ſit obligatio exequendi ſententiam, certò quidem injuſtam, non tamen certò irritam, modò non agatur de vita & membris innocentis. *c. 28. §. quia verò h. t.* cùm inferioribus, qualis eſt reſpectu delegati Papalis etiam Epiſcopus, non permiſſum ſit judicare de ſententiis majorum. Cæterùm executor, cui committitur mera executio, non debet eſſe præditus ulla jurisdictione, cùm ſit purum inſtrumentum delegati.

14 Dico 4. Delegatus ad cauſam particularem, non ſummi Principis, regulariter non poteſt ſubdelegare, ſeu poteſtatem ſibi commiſſam iterum committere alteri. *c. 62. in fine de appell. l. 5. C. de Judic. l. 5. ff. de jurisd.* Ratio, quia delegatus non habet plus poteſtatis, quàm ipſi commiſſum ſit: ſed regulariter non poteſtas de-

Digitized by Google

delegandi iterum, ſed facultas exercendi juriſdictionem ei committitur: ergo. Dixi 1. *non ſummi Principis*: delegato enim Principis propter eminentiam delegantis utroque Jure conceſſum eſt ſubdelegare. *c. fin. h. t. c. 62. & l. 5. de Judic. citt.* niſi nimirum Princeps ſpecialiter elegiſſet perſonam delegati, aut niſi demandâſſet ſolam executionem vel certum miniſterium. *c. fin. cit.* aut niſi expreſsè prohiberet ulteriorem commiſſionem, addendo v. g. hanc clauſulam; *per te ipſum*, *vel: perſonaliter exequaris hoc mandatum.* 2. *ad cauſam particularem*, unam vel plures; nam Delegatus ad univerſitatem cauſarum ſubdelegare permittitur juxta communem cum *gl. in l. 12. ff. de Off. Proconſ.* quia ſaltem ex conſuetudine cenſetur habere juriſdictionem quaſi ordinariam; non tamen poteſt totam univerſitatem, ſeu omnem ſuam poteſtatem, ſine ſpeciali conſenſu delegantis in alterum transferre; id enim non eſſet ſubdelegare, ſed ſua poteſtate ac munere penitus ſe abdicare, quod nequidem Judex Ordinarius ſine conſenſu Principis vel Reipublicæ poteſt, per *l. 20. junct. gl. ff. de Off. Præſ.* Pariter ſuam poteſtatem abſolvendi à caſibus Papæ reſervatis generaliter ſibi ex ſpeciali privilegio conceſſam, aut ſimilem facultatem, aliis ex parte committere non poſſunt, quamvis tales ſint quaſi Delegati ad univerſitatem cauſarum; quia nec ex Jure, nec ex conſuetudine æquiparantur Judicibus Ordinariis, ſed habere cenſentur merum uſum & exercitium juriſdictionis ſibi indultæ. 3. *Regulariter*; nam omnis delegatus, etiam ad cauſam par-

particularem, poteſt aliquem talis cauſæ articulum, vel actum jurisdictionis, v. g. examen teſtium, & multò magis actum non jurisdictionalem, ut eſt nudum miniſterium, vel mera executio, alteri demandare. *c. 27. h. t.* & hoc eſt *dare Judicem* juxta modum loquendi Juris. *l. 12. ff. de Judic.* Dein poteſt omnis delegatus ſubdelegare, quando id ei à delegante vel expreſsè vel tacitè permittitur; tunc enim non tam ſuo, quàm delegantis nomine, delegat. Denique ſiquis ſit condelegatus cum aliis, vices ſuas vel alteri condelegato, vel aliis committere non prohibetur. *c. 6. h. t.* niſi in mandato reperiatur ſimilis clauſula: ſi omnes (delegati) *adeſſe nequiverint, vel noluerint, alter vel reliqui nihilominus procedant;* tunc enim videtur condelegato adempta poteſtas ſubdelegandi, vel ſaltem alter condelegatus non tenetur admittere ſubdelegatum extraneum.

15 Oppones 1. Judex incertus dari non poteſt. *c. 10. de Reſcr.* ſed ſi delegatus poſſet ſubdelegare, delegans daret Judicem incertum, quia neſciret, quem ſibi ſubſtituturus eſſet delegatus. 2. poteſtas delegandi ſpecialiter eſt conceſſa Judicibus Ordinariis. *l. 5. ff. de Jurisd.* ſed quæ ſpecialis conceſſionis ſunt, non poſſunt transferri in alios jurisdictione mandata. *l. 1. ff. de Offic. ejus, cui. pr.* ergo ℞. ad 1. retorquendo imprimis in delegato ſupremi Principis, in condelegato, & in delegato ad univerſitatem cauſarum, quos ſubdelegandi poteſtate præditos eſſe nemo negaverit propter claros textus. *c. 27. §. ſi verò. c. fin. h. t. l. 5. C. de Judic. &c.* dein

Judex

Judex ſubdelegatus fit certus per deſignationem delegati, factam non tam ſuo, quàm primi delegantis nomine. Ad 2. diſſimultata retorſione priori diſt. *Maj.* ita conceſſa eſt Judicibus Ordinariis, ut excludantur omnes delegati, & pro omni caſu, & circumſtantiis, in quibus vel ipſum Jus, vel conſuetudo, vel permiſſio ipſius delegantis ſubdelegationem concedit. N. *Maj.* ut non excludantur omnes delegati, & in omnibus circumſtantiis. C. *Ma.* Ordinarii quidem Judices delegant ſuo nomine & juriſdictionem propriam; delegati autem ſubdelegant nomine primi delegantis & juriſdictionem alienam; & hoc eſt diſcrimen inter utroſque delegantes. Porro ſubdelegatis iterum ſubdelegandi facultatem non concedo, quia nullum Jus ipſis hoc permittit.

Dico 5. Judex delegatus, ſi recuſetur tanquam ſuſpectus, poteſt totam cauſam (ſi aliàs ſit potens ſubdelegare) ſubdelegare ante recuſationem propoſitam; non verò, poſtquam ea propoſita eſt, & cauſa recuſandi fuit pronuntiata juſta; ſed tunc amittit omnem juriſdictionem. *c. 5. h. t. in 6.* ſi verò cauſa recuſandi fuit propoſita quidem ante litis, ad quam delegatus eſt, conteſtationem, de ea verò nondum pronuntiatum, poteſt quidem adhuc ſubdelegare ſuam juriſdictionem totam, ſed tantùm cum conſenſu recuſantis. *c. 5. cit.* Pronuntiare autem de juſtitia cauſæ recuſandi Judicem delegatum, uel delegatos, ſupremi Principis ſpectat ad arbitros, conſenſu Partium eligendos. *c. 39. h. t.* Si verò plures ſint delegati cum clauſula, *ſi om-* 16

Digitized by Google

nes non poſſint, procedat etiam unus eorum, pronuntiare pertinet ad condelegatum. *c. 4. eod. in 6.* Si autem recuſetur delegatus inferioris, v.g. Epiſcopi, vel alterius Judicis Ordinarii, non opus eſt arbitris, ſed de cauſa ſuſpicionis cognoſcit & pronuntiat delegans, & quando recuſatur Vicarius Generalis, ipſe Epiſcopus. *c. 4. cit.* Hæc procedunt, ſi delegatus recuſetur ut ſuſpectus; quia v. g. uni parti litigantium eſt nimiùm conjunctus familiaritate, amicitia, ſanguine &c. aut uni veriſimiliter eſt inimicus. Si enim non recuſetur tanquam *ſuſpectus*, ſed ſolùm impugnetur mandatum, & in dubium vocetur ipſius jurisdictio; tunc ad ipſum delegatum ſpectat cognoſcere, num ſua ſit jurisdictio, ac mandatum delegationis valeat, atque pronuntiare. *c. 14. de Reſcr. l. 2. C. ſi contra Jus vel utilit.* Interim verò ſuſpenditur ejus jurisdictio, ita ut ſine conſenſu recuſantis vel excipientis non poſſit procedere in cauſa delegata; donec cauſa ſuſpicionis fuerit declarata nulla, vel exceptio fruſtranea.

17 Dico 6. Officium Judicis delegati conſiſtit in ſequentibus. 1. tenetur, ſi una, vel utraque pars litigantium id petat ante litis conteſtationem, de ſua delegatione fidem authenticam facere, vel oſtenſis litteris Mandati, ſi ſit delegatus Principis. *l. 1. C. de Mandatis Principum*, vel ſaltem per teſtes &c. ſi ſit delegatus inferioris. *c. 24. de Reſcr.* aliàs acta ſunt nulla, neque partes citatæ tenentur comparere. 2. exſpectare, donec ſibi præſentatæ ſint literæ delegationis. *c. 12. in fine de appell.* etiamſi ſciat, eas jam

jam eſſe expeditas. 3. admittere probationes cauſæ & dilationem ad eas conquirendas neceſſariam, exceptiones rationabiles, deferre legitimæ appellationi (niſi delegans Princeps velit procedi remota appellatione) cùm cenſendus ſit delegans velle obſervari Juris ordinem. *c. 13. h. t.* Neque delegans credendus eſt velle præjudicare juri Partium, præſertim defenſioni Naturali. *c. 15. eod.* 4. obſervare formam in delegationis mandato præſcriptam. *c. 22. de Reſcr. & l. 5. ff. Mandati*, aliàs procedit nulliter; niſi ex ſubjecta materia, modo loquendi, ſtylo & praxi Curiæ colligi poſſit, formam præſcriptam non eſſe ſubſtantialem: vel niſi forma præſcripta ſit etiam Jure Communi non tanquam ſubſtantialis, ſed accidentalis. v. g. ſi alicui committatur, ut aſſiſtat Matrimonio præmiſſis de more denuntiationibus; tunc enim valida foret aſſiſtentia etiam omiſſis denuntiationibus; quia tunc non cenſeretur nova forma præſcripta, ſed ſolùm commonitio delegati, ut adhibeat illam, quæ & quo modo præſcripta eſt à Jure Communi. Unde ſi certus locus, vel certum tempus præſcribatur in litteris delegationis, delegatus verò illud non obſervet, acta ſunt nulla, niſi partes litigantes communi conſenſu prorogent Judici delegato juriſdictionem quoad ulterius tempus, vel remotiorem locum, uti poſſunt. *c. 11. §. in nullo de Reſcr. in 6. c. 4. h. t. l. 2. ff. de Judic.* niſi delegans prorogationem prohibeat ſpecialiter, vel niſi non in favorem Partium, ſed in bonum publicum aut Eccleſiæ, fuiſſet præſcri-

ptus certus terminus temporis, aut certus locus. A cauſa autem ad cauſam, in mandato non expreſſam, item à perſona delegati ad perſonam in mandato non expreſſam (niſi delegatus ſit ad univerſitatem cauſarum) etiam cum conſenſu Partium non poteſt fieri extenſio. *c. 32. & c. 40. h. t.* ſicut tamen communi earum conſenſu prorogatio quoad locum & tempus fieri poteſt. 5. gratis exercere judicium, & nullum munus à litigantibus acceptare, exceptis eſculentis & poculentis, ex mera liberalitate oblatis, ac in ea quantitate, ut intra paucos dies abſumi poſſint. *c. 11. cit. §. inſuper.* Siquid aliud acceperit, etiam ſponte oblatum, tenetur reſtituere (poſt ſententiam declaratoriam criminis, non ante) etiamſi donans obligationem reſtituendi remittat. *c. citt. §. ſiquid.* Excipe, niſi delegatus in gratiam Partium debuiſſet facere ſumptus. v. g in iter; tunc enim horum refuſionem accipere, imò exigere poteſt. 6. non aſſumere Aſſeſſorem vel Notarium ſine neceſſitate, ad parcendum ſumptibus: ſi tamen horũ aliquis eſſet neceſſarius, aſſumendus eſt neutri Parti ſuſpectus, & qui moderatô ſtipendiô, ab utraque Parte ſolvendô, contentus ſit. *c. cit. §. aſſeſſorem.*

18 Dico 7. Poteſtas & Officium delegati finitur 1. per mortem delegantis, & omnem modum, quo delegans amittit ſuam jurisdictionem, ſi res adhuc ſit integra, mors publicè nota, & delegans delegavit nomine propriæ perſonæ. *c. 20. & 30. h. t. l. 6. ff. de Jurisd. l. 58. ff. Mand.* quia delegatus totam ſuam poteſtatem habet à delegan-

legante, juriſdictionem ipſi communicante. Dixi 1. *ſi res adhuc ſit integra*, h. e. quando nondum cœpta eſt per actum juriſdictionis, pertinentis ad ſubſtantiam judicii, qualis cenſetur eſſe etiam ſola citatio Partium, probabiliùs quoque expedita tantùm, & mandata, licèt nondum intimata. *c. 20. cit.* Wieſtner *n. 88.* cum aliis à ſe citatis. Idque probabiliùs etiam procedit in foro Civili (quamvis non pauci Legiſtæ velint, primùm per litis conteſtationem rem deſinere eſſe integram) quia Jus Civile, ubi ipſum nihil ſtatuit clarè, ſequitur SS. Canones. Nec obſtat, quòd in *c. 19. eod.* dicatur cauſa eſſe cœpta per *litis conteſtationem;* quia ibi Pontifex ſe accommodavit ad caſum ſibi propoſitum, in quo lis jam fuit conteſtata ante mortem delegantis, adeóque per hoc non negavit, juriſdictionem delegatam perpetuari per ſolam citationem. Unde nō placet reſponſio P. Wieſter *n. 87.* aſſerentis, diſpoſitionem *c. 19. cit.* fuiſſe correctam per *c. 20. cit.* cùm non ſit veriſimile, Compilatorem Decretalium voluiſſe afferre textus immediatè ſe ſubſequentes & inter ſe pugnantes; correctio Juris quoque omni modo evitanda ſit. Ex quibus fit, quòd non deſinat res eſſe integra per conſtitutionem Notarii, vocationem teſtium, deſignationem loci pro judicio, mandatum de ſcribēda citatione datum, neque per ſubdelegationem, ſeu conſtitutionem ſubdelegati; quia iſti actus non ſunt ſubſtantiales judicii, imò nec ſunt judiciales. Dixi 2. *mors publicè nota*, ſive naturalis mors ſit, ſive civilis, qua amittitur

juriſdictio à delegante; ſi enim in loco, ubi juriſdictionem exercet delegatus, publicè ignoratur mors delegantis, valent acta delegati ob publicum errorem & titulum coloratum. per *l. 3. ff. de Off. Prætoris.* Dixi 3. *& delegavit nomine propriæ perſonæ*, non dignitatis, vel auctoritate Legis: quippe ſi delegatio facta eſſet proximè non à perſona delegantis, ſed vel à Lege, vel à dignitate Principis delegantis, v. g. nomine *Sedis Apoſtolicæ*, per mortem delegantis non amitteretur juriſdictio delegati, per *c. 5. de Reſcr. in 6.* quia dignitas non moritur. *c. 5. cit.* uti nec Lex. Cæterùm ſi delegatus inferioris, & non ſummi Principis, ſubdelegavit, juriſdictio ſubdelegati non exſpirat per mortem ſubdelegantis, ſed primi delegantis; quia provenisse cenſetur potiùs à delegante, quàm ſubdelegante.

19 2. Finitur per revocationem delegantis, tacitam vel expreſſam, re adhuc integra facta. *c. 30. de Elect. §. 9. Inſt. de Mand. l. 58. ff. de Judic.* Imò etiamſi res non ampliùs ſit integra. Laym. *in c. 37. h. t. n. 4.* Wieſtner *n. 76.* Excipitur tamen caſus ſubdelegationis; nam ſubdelegans non poteſt validè revocare poteſtatem alteri ex toto commiſſam, ſi ſubdelegatus negotium jam cœpit per citationem, ſeu ſi res nō ampliùs eſt integra. *c. 37. cit. & c. 6. eod. in 6.* Revocatio autem debet fuiſſe intimata delegato, vel ſubdelegato, in eum modum, ut dictum de *Officio Vicarii. n. 9. ad tit. 28.*

20 3. Per mortem delegati, etiam re non ampliùs integra. per *c. 14. h. t.* ita ut non tranſeat offi-

officium delegati ad hæredes. *c. 42. eod. l. 27. §. 3. l. 57. ff. Mand.* ſi nimirum delegatio fuerit perſonalis, ſeu principaliter intuitu perſonæ facta, uti fieri cenſetur, quando ipſius delegati nomen proprium exprimitur in Reſcripto: ſi verò delegatio ſit realis, ſeu facta intuitu & ſub nomine certæ dignitatis aut officii. v. g. hoc modo: *tibi, Epiſcope Diœceſis Auguſtanæ, committimus hanc cauſam;* cum morte delegati non extinguitur delegatio, ſed tranſit ad ſucceſſorem. *c. 14. h. t.* Pariter non extinguitur delegatio per mortem civilem delegati quamlibet, ſed tantùm per illam, qua propter delictum privatur officio vel dignitate ſua, vel qua transfertur ad ſtatum, in quo inhabilis efficitur ad exercendam jurisdictionem. Manet itaque delegatus, ſi ſponte renuntiet dignitati, vel ſine delicto deponatur, ipſa verò delegatio intuitu perſonæ facta ſit. *arg. l. 2. ff. de Senator.*

4. Per lapſum temporis à delegante præfixi, etiam re non ampliùs integra, niſi Partes ſuo conſenſu prorogent tempus. *c. 4. & 24. h. t.* Terminus delegationis incipit à die, quo delegatus recepit litteras. *c. 12. de Appellat.* ſi nimirum ſtatutus ſit per numerum dierum, menſium, annorum: ſi autem decretus ſit ad certum diem vel menſem, v. g. ad Calendas Maij, attenditur dies dati, non recepti Reſcripti. 21

5. Per confectionem negotii quomodocunque factam, videlicet per compoſitionem, transactionem, pactum de non petendo &c. & vel maximè per ſententiam latam, & executioni datam, vel ſaltem ſi executio jam alteri demandata, atque jam cœpta ſit. *c. 9. h. t.* quia 22

 tunc

Digitized by Google

tunc cenſetur delegatus functus eſſe ſuo officio, ſi fuit delegatus tantùm ad iſtam cauſam in particulari. Excipe eum, qui delegatus eſt tanquam executor gratiæ, v. g. Beneficialis, qui, etſi ſemel per errorem feciſſet proviſionem irritam, non amittit per hoc poteſtatem exequendi, ſed poteſt facere aliam.

23 Quæres, an Delegati poteſtas exſpiret per ſententiam invalidè latam, ita ut eam revocare nequeat & aliam ferre? ℞. cum diſtinctione: ſi ſententia fuit irrita propter non ſervatá formam Mandati, non exſpirat, *arg. l. 5. ff. Mand.* quia delegatus ſic ferendo ſententiam non eſt functus ſuo officio. *l. cit.* ſi verò ſententia fuit nulla ex alio capite, quia v. g. eſt lata die feſto, vel contra abſentem non contumacem &c. exſpirat; quia tunc ſuô officiô functus eſt, quamvis malè. per text. & DD. *in l. 4. C. quomodo & quando Judex. arg. c. 37. §. ſi verò de Elect. in 6.* Oppones: quod nullum eſt, nullum ſortitur effectum: ergo etiam ſententia, ex alio capite, quàm propter non ſervatam formam mandati, nulla nullum parit effectum; ergo nō terminat poteſtatem Judicis delegati. ℞. *Diſt. Conſ.* nullum parit effectum reſpectu Partis, contra quam lata eſt. *C. Conſ.* reſpectu delegati, in quo extinguit juriſdictionem. *N. Conſ.*

§. 3.

Reliqua de Judice Delegato.

Sciendum, ſupereſſe adhuc decîdendum 1. quis delegare. 2. quid. 3. cui delegari poſſit. 4. quid Juris, ſi pluribus delegetur eadé cauſa expedi-

pedienda. 5. ad quem à Judice delegato appellandum.

Dico 1. Delegare poteſt 1. Jus. 2. regulariter omnes Judices ordinariam jurisdictionem habentes. 3. & delegati Principis ſupremi. 4. atque delegati ad Univerſitatem cauſarum, quamvis non totam Univerſitatem. 5. non verò delegati inferiorum ad unam vel plures cauſas particulares, quamvis & iſti dare poſſint Judicem, aliquem cauſæ articulum committendo alteri. Pars 1. conſtat ex *c.13. §. cœterum de off. Ord.* Trid. *S. 5. & 6. utrobique c. 2. de Ref.* Pars 2. ex *l. 5. 16. 17. ff. de Juriſd.* Lex 5. ſic ſonat: *more Majorum ita comparatum eſt, ut is demum juriſdictionem mandare poſſit, qui eam ſuo jure, non alieno beneficio haberet;* niſi nempe & huic delegationem vetet Jus vel Princeps. Pars 3. ex *c. 27. & fin. h. t.* niſi Princeps delegando cognoſcatur delegiſſe ſpecialiter induſtriam perſonæ. *c. fin. cit. §. is autem.* aut commiſiſſe nudum miniſterium, v. g. excommunicare aliquem, abſolvere, diſpenſare cum aliquo. *c. cit. §. fin.* Aliud eſt, ſi ipſa poteſtas diſpenſandi concedatur alicui perpetuò. Pars 4. ex communi ſenſu DD. cum *gl. in l. 1. ff. quis & à quo appell. l. 12. ff. de Off. Proconſ.* atque ex univerſali conſuetudine, ut docet Petrus Barboſa *in l. 12. ff. de Judic. n. 281.* Ex hoc autem non ſequitur, quòd Cooperatores Parochorum, qui ſunt delegati ad Univerſitatem cauſarum, ſubdelegare poſſint, quia ipſis quoad jurisdictionem fori interni ſubdelegandam, nec Jus, nec Conſuetudo, nec Auctorum ſenſus patro- 24

cinatur. Wieſtner *h. n. 22.* Pars 5. ex *c. 62. in fine de Appellat. l. ult. ff. de Offic. ejus, cui &c.* item ex *c. 27 cit. & l. 12. ff. de Judic. cit.*

25 Dico 2. Delegari regulariter poſſunt omnes cauſæ, quæ delegantis jurisdictioni ſubjiciuntur, etiamſi in Judice ſupponant Imperium Mixtum, imò & Merum. *c. 2. de Offic. Vicar. in 6. c. 7. de Off. Ordin. in 6. l. un. C. qui pro ſua jurisd. l. ult. C. ubi & apud quem.* Accedit *c. 68. de R. J. in 6. poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum.* Dixi 1. *regulariter*, nam aliquæ cauſæ ſunt reſervatæ ſummo Principi ita, ut nec à ſummo Principe aliis delegari valeant, vel certè non ſoleant. Sic ſummo Pontifici reſervantur cauſæ Eccleſiaſticæ *Majores*. Concil. Nicæn. circa an. 325 uti ſunt controverſias fidei authenticè definire, Concilium Generale cogere, impedimenta Matrimonii dirimentia ſtatuere, laicis concedere jura Spiritualia &c. Imperatori autem de Jure Civili reſervatur Merum Imperium, ſaltem quoad primum gradum. *l. 6. ff. de Offic. Proconſ. l. 1. & ult. ff. de offic. ejus, cui.* Excipitur tamen caſus quo ſupremus Princeps eſſet abſens, vel infirmus. *l. 1. cit. & Conſtit. Criminal. Caroli V. a. 2.* Imò vi conſuetudinis videmus delegari actus Meri Imperii Præfectis ſuis à Dominis habentibus Merum Imperium, annexum ſuis caſtris, & ex privilegio vel feudo Imperiali obtentum. Dixi 2. *etiamſi Imperium Mixtum & Merum &c.* non diſtinguendo inter actus jurisdictionis voluntariæ & contentioſæ, ad utrumque Imperium pertinentes, quia nec Jura diſtinguunt. Quòd Imperium Mixtum etiam

iam de Jure Civili delegari poſſit, patet ex *l.1. & ult.citt.de Offic.ejus &c.* Quòd Imperium Merum ſaltem de Jure Canonico, liquet ex *c.2.& 7. citt.* ubi Epiſcopo indiſtinctè conceditur, per ſe, vel per alium, cognoſcere & decidere cauſas criminales, adeóque cenſuras ferre, deponere, degradare Clericos, item capere, & incarcerare eosdem: quæ haud dubiè ad Imperium Merum Eccleſiaſticum pertinent, & quidem ad primum ejus gradum, cùm aliqui ſaltem ex illis involvant jus gladii Spiritualis. An & quando delegari Merum Imperium vetet Jus Civile, pauló antè audivimus.

Dico 3. Delegari cuilibet poteſt, qui non 26
prohibetur eſſe Judex Ordinarius, etiamſi ſubditus non ſit. Text. & DD. in *c.11. de Reſcr.in 6.* Ubi tamen ſpeciale aliquid ſtatuitur circa delegatos Sedis Apoſtolicæ, quòd nimirum à dicta Sede non alteri delegentur cauſæ, quàm habentibus Dignitatē, vel Perſonatum vel Canonicis Cathedralibus, ut adeò, quamvis Pontifex non adſtringatur ad hos viros, ſed etiam ſimplici Clerico, uti Epiſcopus ac alius Judex inferior. *c.7. citt.* delegare valeat expediendas, tamen pro nulla & ſubreptitia habeatur delegatio, ſi Pontifex in litteris non exprimat, ſe diſpenſare in *c.11. cit.* Unde & Trid. quod *S.25. c.10.* innovat diſpoſitionem. *c.11. cit.* vult in qualibet diœceſi ſaltem quatuor viros conſtitui prædictis qualitatibus præditos, probatos, ac Jurium peritos, quibus præter locorum Ordinarios delegari poſſint cauſæ Eccleſiaſticæ à ſummo Pontifice, vel ejus Legato. Dixi 1. *qui*

non

non prohibetur eſſe Judex Ordinarius, , quia quoad qualitates æquiparantur Judex Ordinarius & Delegatus, excepta ſola ætate; nam Ordinarius debet eſſe 25. annorum. *l. 41. ff. de receptis.* Delegatus autem tantùm 20. annorum completorum. *c. 41. h. t.* Prohibentur autem eſſe Judices Ordinarii mente capti, ſurdi, muti, Senatu moti, infames, excommunicati, fœminæ, ſervi &c. de quibus infrà. Dixi 2. *etiamſi ſubditus non ſit;* ſufficit enim, cauſá eſſe ſub juriſdictione delegantis, licèt delegatus non ſubſit. Si tamen delegatus non ſit deleganti ſubjectus, cogi nequit ad acceptandam delegationem. per *c. 2. de Conſtit. in 6.* ſicut tamen cogi poteſt ſubditus. *c. 28. h. t.*

27 Quæres, an cauſæ Eccleſiaſticæ, item cauſæ temporales perſonarum Eccleſiaſticarum, poſſint delegari laicis? ℞. ad 1. Negativè, etiamſi Clericus cum laico delegaretur. Sumitur ex *c. 2. de Judic.* Nec obſtat, quòd Laici poſſint eſſe Conſiliarii Eccleſiaſtici, & unà cum Clerico eſſe Arbitri compromiſſarii in cauſis ſpiritualibus cum conſenſu Epiſcopi. *c. 9. de Arbit. in fin.* Nam in Conſiliariis & Arbitris non requiritur juriſdictio, bene tamen in Judice delegato, & quidem ſpiritualis, cujus laici capaces non ſunt dempto privilegio Apoſtolico. ℞. ad 2. contra Dian. & alios pariter negativè propter *c. 12. de for. compet.* ibi: *manifeſtè patet, quòd Clerici non ſolùm inviti, ſed etiam voluntarii, paciſci non poſſint, ut ſæcularia judicia ſubeant*, etiam *in temporalibus cauſis*, ut præmittitur. Item propter *c. 18. eod.* ubi ſic habetur: *Clerici in Judicem non ſuum*

(*niſi*

(*niſi fortè ſit perſona Eccleſiaſtica, & Epiſcopi Diœceſani voluntas accedat*) *conſentire non poſſunt*. Ergo Laicus etiam in temporalibus rebus Clericorum (ſive Actoris ſive Rei perſonam ſuſtinent) Judex eſſe nequit, ne quidem volentium, & cum conſenſu Epiſcopi; cùm nequeant renuntiare privilegio fori à Jure Communi in favorem publicum totius Statûs Eccleſiaſtici introducto: nec Epiſcopis autem conceſſum eſt immutare Jus Commune. Oppones. In *c. 2. cit.* Prælati Eccleſiaſtici prohibentur diſponere *de negotiis Eccleſiaſticis, laicorum judició*: ergo negotia *temporalia* Clericorum poſſunt judiciô Laicorum diſponi. ℞. N. *Conſ.* quia etiam hoc poſterius eſt expreſsè prohibitum. *c. 12. & 18. citt.*

Dico 4. Si pluribus eadem cauſa delegetur 28
ſimpliciter, vel cumulativè, omnes in ea expedienda concurrere debent, ita ut, ſi unicus non concurrit, proceſſus ſit nullus. *c. 16. & c. 21. h. t. l. 39. ff. de re jud.* etiamſi aliquis, morte vel aliâ causâ impeditus, non concurrat. *c. 30. & 42. h. t.* Nec poteſt unus eorum renuntiare juri ſuo, quia non in ejus favorem, ſed ob bonum publicum & ad vitanda corruptionis pericula delegatio fit pluribus. *c. 21. cit.* Neque proceſſus convaleſcit, ſi, qui non concurrit, poſtea ratum habeat judicium reliquorum, quia *non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non ſubſiſtit. Reg. 18. in 6.* Ratio autem eſt, quia, ſi non omnes concurrunt, non obſervatur mandatum delegantis; cùm omnibus indiviſim, & non aliter, conceſſa ſit jurisdictio. Dixi 1. *ſimpliciter*, ſine adjecta conditione, vel ſimili clau-

ſula:

ſula: *ſi nequeant, aut nolint omnes intereſſe, judicent reliqui, vel duo, vel etiam unus;* tunc enim neceſſe non eſt concurrere omnes, vel nolentis aut non potentis intereſſe ſubdelegatum recipere. *c. 21. & 34. h. t.* Dixi 2. *vel cumulativè & indiviſim*, ut ordinariè contingit: ſi autem pluribus, *in ſolidum, vel diviſim*, delegaretur eadem jurisdictio (quod nunquam cenſetur contingere, niſi in Reſcripto exprimatur. per *c. 21. cit.*) tunc locus eſt præventioni, ita ut, ſi unus cauſam cœperit, reliqui nec licitè nec validè ſeſe intromittere poſſint ampliùs, niſi is, qui cœperat, propter infirmitatem vel aliam juſtam cauſam non poſſet, vel ex malitia nollet progredi. *c. 8. eod. in 6. l. unic. ff. de Off. Conſulis.* Jurisdictioñe in ſolidũ delegatam eſſe denotat hæc vel ſimilis clauſula: *ut omnes, aut duo, vel unus eorum, procedant. c. 8. cit.* Cæterùm quando plures delegati cõcurrunt, ille litigãtiũ obtinet cauſam, in quem major pars conſpirat. *l. 39. cit.* Si verò diſcrepantium vota ſint paria numero, recurrendum eſt ad delegantem, & interim ſententia manet ſuſpenſa. *c. fin. de ſent. & re jud. l. 28. ff. de re jud.* Aliud eſt, ſi plures Judices Ordinarii, concurrentem jurisdictionem habentes, æquali numero diverſas ſententias pronuntiant; tunc enim prævalet ſententia, quæ ſtat pro Reo, niſi ſententia pro Actore fuerit in cauſa favorabili, puta matrimonio, libertate, dote, teſtamento. *c. fin. cit.* Quo pacto conciliantur etiam *ll. 28. & 38. ff. de re jud.*

29 Dico 5. Caſu quo appelletur à Judice delegato, appellandum eſt ad delegantem, niſi iſte

(ut

(ut in ſubdelegante facilè poteſt contingere) omnem ſuam poteſtatem demandâſſet delegato. Idem eſt de appellatione à ſubdelegato ad ſubdelegantem. *l. 1. & ult. ff. quis & à quo appelletur. l. un. C qui pro ſua jurisd. c. 27. §. porro h. t.* Dixi 1. *ad delegantem*, vel ad ejus in Officio ſucceſſorem. *l. 1. cit.* Dixi 2. *niſi iſte omnem &c.* nihil circa talem cauſam ſibi reſervando de jurisdictione quoad judicandum & exequendum : ſi enim delegans (vel ſubdelegans) nullum actum jurisdictionis circa cauſam ſibi reſervavit, non ad delegantem (vel ſubdelegantem) ſed ad Superiorem delegantis appellandum eſt. per *c. 27. cit. & c. 19. eod.*

TITULUS XXX.

De Officio Legati.

SUMMARIUM.

1. 2. Quid ſit Legatus; præſertim Apoſtolicus: nempe Legatus à Latere: Legatus Miſſus: & Legatus Natus.

3. Quæ ſit Legatis his omnibus poteſtas & officium commune.

4. Quæ ſit poteſtas Legati à Latere.

5. Quæ Legati Miſſi ſimpliciter,

6. Et Miſſi cum poteſtate Legati à Latere.

7. Quæ denique Legati Nati.

8. 9. Quomodo finiatur poteſtas & officium Legatorum.

10. Legatus Miſſus docere debet ſuam Legationem.

SCiendum 1. quamquam *Legatus* in genere 1
dicatur omnis, qui à Principe vel Magiſtratu

tu quodam mittitur ad tractandum aliquod negotium, *Legatum Apoſtolicum* verò, qui etiam vocatur *Nuntius Apoſtolicus*, eſſe eum, qui à Papa mittitur in aliquam provinciam vel cum jurisdictione ad expedienda negotia, vel ſine jurisdictione ad nudum aliquod miniſterium, v. g. ad excipiendum Imperatorem, ad gratulandum Principibus, ad ineundum fœdus &c. Et hi poſteriores ſunt meri Nuntii: priores verò Judices ſimul: atque de his Legatis *Judicibus*, cum jurisdictione ſpirituali miſſis, ſermo hic eſt. Quamvis autem eorum jurisdictio ſit Ordinaria, & eatenus ad Judices Ordinarios pertineant Legati, de quibus *tit. ſeq.* eam tamen exercent non tam ſuo, quàm Pontificis nomine, cujus vices gerunt, & ſic aliquid participant de Officio Judicis delegati: quare non incongruè *Legatus* ponitur medius inter Judicem *Delegatum* & *Ordinarium*.

2 Sc. 2. Legatos Apoſtolicæ Sedis eſſe in triplici claſſe, nimirum Legatos à Latere: Legatos Miſſos, quos vocant Nuntios Apoſtolicos: & Legatos Natos. *Legati à latere* ſunt illi ſoli, qui Cardinalitia Dignitate præfulgent; quia quaſi de latere ſummi Pontificis, cui in arduis negotiis Romæ ſolent aſſiſtere, aſſumuntur ad Legationes. *Nuntii Apoſtolici* dicuntur illi, qui non ſunt Cardinales; quamvis ſæpe mittantur *cum poteſtate Legati à latere*: quales plerumque ſunt Nuntii in Germania, nimirum Viennæ, Coloniæ & Lucernæ commorantes, item Nuntii Hiſpaniæ, Galliæ, Poloniæ, Venetiarum &c. *Legati Nati* denique appellantur, qui non mit-

mittuntur, neque conſtituuntur de novo à ſummo Pontifice, ſed hoc munus Legati habent ab antiquo, Auctoritate Apoſtolica ſuæ Dignitati annexum, & quaſi adnatum: qualis in Germania eſt Archiepiſcopus Salisburgenſis: in Gallia Rhemenſis: in Bohemia Pragenſis, & olim in Anglia Cantuarienſis; qui ordinariè apud has Nationes ſunt ſimul *Primates*. Horum omnium Poteſtas & Officium nunc indagandum eſt.

3 Dico 1. Poteſtas & Officium omnibus Legatis Apoſtolicis commune conſiſtit in eo, ut loco Pontificis exerceant jurisdictionem ordinariã in diœceſibus & provinciis ſibi comiſſis; adeóque generaliter poſſunt omnia, quæ Epiſcopus ut Ordinarius in ſua diœceſi, vel Archiepiſcopus in ſua provincia; imò omnia, quæ poteſt ipſe Pontifex, exceptis iis, quæ Pontifici ſpecialiter ſunt reſervata, vel in ſignum præeminéntiæ, vel ex ſpeciali reſtrictione, vel quæ ipſe Pontifex ordinariè non ſolet facere, vel quæ ordinariè non ſolet aliis committere per mandatum generale. Ita ferè communis ex *c. 1. 2. 3. 4. fin. h. t. c. 2. eod. in 6.* Dixi 1. *generaliter omnia;* unde in ſpecie poſſunt & debent habere inſpectionem in Epiſcopos, Principes, & populos, in ordine ad negotia Eccleſiaſtica & Spiritualia, ad corrigenda vitia & reformandos mores: eosdem Principes & populos in fide & affectione erga Sedem Apoſtolicam conſervare, conſtitutiones Pontificias in uſum deducere, aut, ſi deduci nequeant, informare Pontificem: poſſunt condere ſtatuta, tam diu dura-

mus. Ac univerſim in Germania nihil poſſunt circa collationes Beneficiorum propter *Concordata Germaniæ*, ubi per contractum oneroſum Nicolaus V. promiſit, quòd in menſibus Ordinariorum nolit eorum collationes impedire, niſi beneficia ſint reſervata ſummo Pontifici, & extra caſum negligentiæ, quam utique etiam in Germania ſupplere competit Legatis. Trid. *S. 24. c. 20. de Ref.* Præterea idem Trid. *lo. cit.* Epiſcopis aliquid conceſſit, quod negavit Legatis omnibus, nimirum ut cauſæ Eccleſiaſticæ omnes, etiam beneficiales, in prima inſtantia cognoſcantur ac terminentur coram Ordinariis locorum, nimirum Epiſcopis & Archiepiſcopis, non verò coram Legatis: ut adeò ſubditi Epiſcoporum vel Archiepiſcoporum non poſſint in prima inſtantia adire Legatos, niſi dicti Ordinarii per biennium à die motæ litis cauſam terminare negligant; vel niſi in ſecunda inſtantia per viam appellationis agere velint ſubditi. Idem eruitur ex *c. 9. de hæret. in fin.* circa hæreticos, ut nimirum Epiſcopi (ubi non viget ſacra Inquiſitio in hæreticam pravitatem) tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati procedant in crimine hæreſis, etiam in exemptos: Legatus autem non habet, quod judicet in cauſa alicui ſpecialiter delegata à Pontifice, ut dictum.

Dico 2. Poteſtas Legati à latere eſt amplior quàm reliquorum; ſe enim inſuper extendit ad ſequentia. 1. habet juriſdictionem ordinariam in exemptos. *gl. in c. 1. h. t. v. univerſas.* & alii DD. 2. confirmat electiones Archiepiſco- 4

porum, Epiſcoporum, & Abbatum exemptorum. *c.36. §. fin. de Elect. in 6.* non tamen in Germania, ubi ſpecialiter hæc confirmatio reſervatur Pontifici, uti deducunt ex *Concord. Germ.* 3. à die egreſsûs ex Urbe (Româ) abſolvit quoscunque, ob percuſſionem Clerici etiam enormem excommunicatos, ex quocunque loco advenientes. *c. 9. h. t. c. 20. de ſent. Excomm.* An verò quoscunque ex alia cauſa excommunicatos, excommunicatione Papæ reſervata, abſolvere valeat, dubium eſt: affirmat Azor & Barb. in *c. 20. cit.* ob textûs generalitatem: negat Molin. cum Panormit. in *c. 9. cit. n. 4.* eò quòd Jure ſpecialiter expreſſum non ſit. 4. concurrit cum Ordinariis in collatione beneficiorum, etiamſi ſint Juris Patronatûs Eccleſiaſtici. *c. 6. h. t.* non tamen in Germania ſecundùm dicta, quia abſurdum foret, Legatis ampliorem competere poteſtatem circa beneficia, quàm ipſi Pontifici, à quo mittuntur. 5. præſente Legato à latere ceſſat & ſuſpenditur aliorum Legatorum poteſtas & jurisdictio. *c. 8. eod.* præterquam quòd ei competant ſplendidiora inſignia. v. g. equus albus phaleratus, frœnum & calcaria deaurata, veſtes rubræ.

5 Dico 3. Poteſtas Nuntii Apoſtolici, ſeu Legati non-Cardinalis, ſimpliciter miſſi, ferè tota pendet ex litteris Legationis; nam Jure Communi plus non poteſt, quàm Ordinarius provinciæ, ad quam mittitur, per *c. 2. h. t. in 6.* & ea, quæ omnibus Legatis communia eſſe diximus. Hoc tamen habet ſpeciale, quòd excommunicatos propter percuſſionem Clerici, etiam

etiam enormem, poſſit abſolvere intra ſuam provinciam, ſed tantùm ſubditos ſuæ provinciæ, non verò advenas ad eum aliunde accedentes. *c. 9. cit.*

6 Dico 4. Nuntius tamen Apoſtolicus, miſſus cum hac clauſula, *cum poteſtate Legati à latere*, probabiliter poteſt omnia, quæ Legatus à latere, niſi quoad aliqua ſpecialiter limitetur ipſius poteſtas. Ita Garc. Laym. Zœſ. ad *h. t. n.* 15. contra Barb. Engel, Wieſtner *h. n.* 33. & multos alios. Probatur: Verba privilegiorum debent accipi cum effectu, & operari id, quod ſignificant. *c. 10. de Privil. in 6.* ſed verba prædictæ clauſulæ ſignificant, generaliter omnem poteſtatem eſſe conceſſam, quæ de Jure competit Legatis à latere: ergo eandem operari & conferrre debent in effectu. Oppones 1. Illa verba haberent tamen effectum, nimirum relatè ad litteras Legationis, utpote in quibus, ſi Legatus mittatur cum poteſtate Legati à latere, amplior poteſtas ſolet ei tribui, quàm aliis Nuntiis ſine tali clauſula miſſis. 2. Nuntius cum poteſtate Legati à latere habet ſe ad Legatum à latere, ſicut ſe habet Vicarius Generalis ad Epiſcopum: ſed Vicarius Generalis, conſtitutus cum hac clauſula, ut *poſſit omnia, quæ poteſt Epiſcopus*, non poteſt abſolutè omnia, quæ ipſe Epiſcopus, ſed ſolùm ea, quæ non requirunt mandatum ſpeciale. 3. in *c. 1. h. t. in 6.* diſertè traditur poteſtatem conferendi beneficia Legatis, qui Cardinales non ſunt, non conferri, *quantumcunque plenam legationem obtineant*; niſi alicui ſpecialiter indulgeatur: ergo

 ne-

neque per prædictam clauſulam confertur poteſtas ad ea omnia, ad quæ ſe extendit poteſtas Legati à latere.

℞. Ad 1. In literis, in quibus declaratur poteſtas Nuntii miſſi *cum poteſtate Legati à latere*, non extendi poteſtas debet aut ſolet, cùm ſit generaliter jam conceſſa, quæ de Jure concedi ſolent Legatis Eminentiſſimis, adeóque ſi aliqua ibi in ſpecie exprimuntur, reſtringunt potiùs, quàm ampliant poteſtatem jam conceſſam. Si itaque aliqua in ſpecie exprimantur, per hoc non auferrur clauſulæ ſua generalitas, quam ſignificat. Ad 2. *N. Ma.* Deinde Vicario Generali per mandatum generale non conferri omnem omnino poteſtatem Epiſcopi, conſtat aliunde ex Jure: non verò conſtat ex Jure, Nuntio cum memorata clauſula miſſo non conferri omnem poteſtatem Legati à latere, imò ex *c. 10. cit.* colligitur, conferri omné. Ad 3. Illud *cap.* loquitur de Legatis Natis, & Nuntiis ſimpliciter, & ſine illa clauſula miſſis; nam de Nuntiis *cum poteſtate Legati à Latere miſſis* Jus ſcriptum nihil novit, ut fatentur Adverſarii. Ex verbis adjectis, *niſi alicui ſpecialiter indulgeatur*, duci poteſt argumentum pro nobis; quia per dictam ſæpius clauſulam ſpecialiter indulgetur id omne, quod competit aliàs Legatis à Latere.

7 Dico 5. Poteſtas Legati Nati de Jure Communi non eſt alia, quàm Archiepiſcopi, cujus officio annexa eſt Legatio perpetua. per *c. 9. cit.* Ex privilegio tamen aliqua ſubin ipſis conceduntur: ſic Archiepiſcopo Salisburgenſi ſpecia-

cia-

Digitized by Google

cialiter conceſſum eſt, teſte Engel *hic n. 10.* abſolvere ab hæreſi, conferre beneficia in menſibus Papalibus, ordinare extra tempora, diſpenſare in tertio & quarto gradu conſanguinitatis ad Matrimonium cum illis, qui labore manuum victum quærunt. Hoc tamen ſpeciale habet Legatus Natus, quòd ejus Officium ſit perpetuum, & duret, quamdiu durat Dignitas, cui annexum eſt. De reliquis autem

Dico 6. Poteſtas & Officium Legati finitur 8
1. revocatione expreſſa Pontificis, ac intimata Legato: ſed probabiliter primùm poſt egreſſum è provincia, ad quam fuit miſſus, ut notant DD. & inſinuat *l. 3. ff. de Off. Præſ.* Per hoc autem, quòd Pontifex in eandem provinciam mittat novum Legatum, non cenſetur prior tacitè revocatus eſſe; cùm non repugnet, plures ad eandem provinciam mitti Legatos. 2. egreſſu ſpontaneo ex provincia, animô non revertendi, *c. fin. h. t. & arg. l. 3. cit. l. 16. ff. de Off. Proconſulis*, cui *c. 2. h. t. in 6.* æquiparatur Legatus. 3. morte ipſius Legati; nec propriè tranſit ad ſucceſſorem, etiamſi ratione Dignitatis, v. g. Archiepiſcopalis, conceſſa ſit Legatio, cùm juxta communem cenſeatur eſſe perſonalis, non realis; adeóque ſucceſſor creatur quaſi de novo. 4 Lapſu temporis præfixi (uti & finitâ cauſâ ſive negotiô, ad quod expediendum miſſus eſt) *arg. c. 4. de Off. Deleg.*

Quæres, an poteſtas & officiú Legati extinguatur per mortem Pontificis, ſi iſta contingat, antequam Legatus cœperit uti ſua juriſdictione, ſicut extinguitur poteſtas Delegati 9

9. *Quid huic doctrinæ opponatur. Ubi etiam de donatione Conſtantini M.*
10. *Quæ ſit poteſtas Cardinalium.*
11. *Patriarcharum, & Primatum.*
12. *Atque Archiepiſcoporum.*
13. *Quis dicatur Epiſcopus: quod ejus officium.*
14. *Poteſtas in ipſo alia eſt Ordinis, alia Jurisdictionis: huic opponitur poteſtas, quam vocant Legem Diœceſanam.*
15. *Poteſtas Jurisdictionalis Epiſcoporum eſt immediatè a Papa.*
16. *Vi illius poteſt Epiſcopus generaliter omnia in ſua diœceſi, quæ Papa in tota Eccleſia.*
17. *Adducuntur quædam in ſpecie.*
18. *Vi Legis Diœceſanæ exigit de Jure Synodaticum: Cathedraticum: Quartam Mortuariorum: Subſidium Charitativum: procurationes Viſitales.*
19. *An & quibus in caſibus habeat jurisdictionem in Exemptos tam Jure Novo quàm Antiquo.*
20. *Protonotarii, Abbates, Parochi, quinam vocentur.*
21. *Prælatis Regularibus quæ competat poteſtas in ſuos ſubditos:*
22. *Quæ Abbatiſſis in Moniales.*
23. *Quæ ſint prærogativæ Proto-Notariorum.*
24. *Quæ poteſtas Parochorum: ipſi, utì & alii Sacerdotes Sæculares, poſſunt conſiteri cuilibet Sacerdoti approbato.*
25. *Quid requirat officium Parochi. Parochiani non tenentur audire Miſſam in Eccleſia Parochiali.*

Digitized by Google

1 JUdicem Ordinarium diximus eſſe, qui juriſdictioné ordinariam & propriam, ſeu competentem ex munere proprio exercet, v. g. jure Prælaturæ, Magiſtratûs &c. quo fungitur. Procedit nomine ſuo, nec præcisè agit vices alterius, uti Delegatus, & Legatus; & quia ordinariè in omnibus controverſiis adiri debet à ſubditis, nomen *Ordinarii* tam in Jure quàm in praxi gerit. Judices Ordinarii tam ſummi quàm ſubalterni in utroque foro, Eccleſiaſtico & Politico, reperiuntur complures: & in foro quidem Eccleſiaſtico, de quo ſolo ad nos pertinet agere, ſummus omnium per totam Eccleſiam Chriſtianam Judex, à Chriſto *Jo. 21.* per verba, *paſce oves meas*, conſtitutus, eſt Epiſcopus Romanus ſeu Papa, tum veniunt Cardinales, Legati Apoſtolici, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi ſeu Metropolitani; & hi vocantur *Epiſcopo ſuperiores.* Dein *Epiſcopi*, quibus perampla in Jure poteſtas conceditur. Demum *Epiſcopo inferiores*, Vicarii Generales, Archidiaconi, Archipresbyteri, Prælati Regulares, Parochi. De triplici hac claſſe per 3. §§. diſſeremus, omiſſis iis, de quibus jam in ſpecie tractatum. Prius tamen adhuc obſerva, juriſdictionem Ordinariam Eccleſiaſticam acquiri vel à ſummo Pontifice immediatè, vel ab Epiſcopis dicaſteria & publica officia conſtituentibus, vel ex diſpoſitione Juris Canonici, vel ex electione per confirmationem ſubſequentem perfecta, vel ex ſucceſſione, vel ex conſuetudine, vel ex præſcriptione, ut communiter tenent DD.

§. 1.

§. 1.

De Poteſtate Summi Pontificis, Cardinalium, Patriarcharum, Primatum, & Archiepiſcoporum, qui ſunt Prælati Epiſcopis ſuperiores.

Sciendum 1. *Summum Pontificem* conſiderari ſub quadruplici ratione. 1. prout eſt perſona privata, & eatenus nihil habet ſpeciale à reliquis hominibus. 2. ut eſt Princeps ſæcularis ſuarum provinciarum & territorii temporalis, ac eatenus poteſt omnia, quæ alius Princeps ſæcularis in ſuo territorio, poteſtatem politicam exercens. 3. ut eſt Princeps Eccleſiaſticus particularis, nimirum Patriarcha Lateranenſis, & Epiſcopus diœceſeos Romanæ, atque eatenus ſe habet reſpectu diſtrictûs Romani, ſicut ſe habent alii Epiſcopi reſpectu ſuarum diœceſium, ibique per Vicarium Generalem; ut alii Epiſcopi ſolent, ſuam jurisdictionem exercet. 4. demum & maximè ut eſt Princeps Eccleſiaſticus Univerſalis, ſeu Caput totius Eccleſiæ, & Paſtor omnium fidelium à Chriſto conſtitutus, vocatúrque *Papa* à Græco *papos*, quod patrem ſignificat; nam Pontifex Romanus, ſub hac ratione conſideratus, eſt *Pater Patrum*, *Epiſcopus Epiſcoporum*, *Ordinarius Ordinariorum &c.* Ejúsque ſuprema poteſtas alia vocatur *Ordinaria*, qua utitur, quando procedit ſecundùm Canones, vel etiam contra illos, ex urgente cauſa in iis diſpenſando; alia autem *Abſoluta*, vel *plenitudo poteſtatis*, qua utitur, quando non attentis ſacris Canonibus, quorum ipſe eſt Auctor, 2

ctor,

ctor, juxta ſuum arbitrium procedit, vel diſpenſat: validè quidem ſemper procedit, non tamen licitè, ubi nulla ſuppetit juſta cauſa. Eadem plenitudine poteſtatis dicitur uti, quando ex juſta quidem cauſa diſpenſat, ſed in caſibus extraordinariis, in quibus aliàs diſpenſare non ſolet.

3 Sc. 2. per *Cardinales*, ſic dictos à cardinibus, ſuper quos oſtium Eccleſiæ velut ſuſtentatur & volvitur, intelligi illos Clericos & Eccleſiæ Prælatos, qui ſunt præcipui Papæ Conſiliarii, atque unum cum ipſo Corpus & Conſiſtorium efficiunt, eique aſſiſtunt. Horum officium fuit quidem ſemper in Eccleſia, nomen verò cæpit ſub tempora Sylveſtri I. & Conſtantini M. per *can. 5. d. 39.* Dignitas olim erat minor Epiſcopali, ſed circa Sæculi XIV. initium vel à Bonifacio VIII. vel à Clemente V. ſupra Epiſcopos & omnes alios Prælatos evecti ſunt; quia Pontificem juvant in gubernanda Eccleſia Univerſali. Circa quæ tempora etiam rubrô galerô & purpurâ ornari cæperunt, ut hoc colore admoneantur & animentur ad ſanguinis etiam effuſionem, ſi opus foret, pro fide Catholica, & Eccleſiæ Romanæ ſtatu. Urbanus VIII. adjecit ipſis titulum *Eminentiſſimi*, quem præter ipſos nemo uſurpare poteſt, niſi Eccleſiaſtici Electores Romani Imperii, & Magiſter Equitum Militenſium. Aſſumuntur à ſolo Papa, relictô tamen Imperatori & variarum Nationum Regibus Chriſtianis privilegiô aliquos nominandi & præſentandi, ut ſingulæ Nationes unum ſaltem vel plures in Romana Curia quaſi Tutelares habeant

beant

beant in ſuis Cardinalibus. Diſtinguuntur in tres ordines, Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum. *Cardinales Epiſcopi* habent hodie 6. Titulos, ſuntque Hoſtienſis, Portuenſis, Tuſculanus, Sabinenſis, Præneſtinus, Albanus, omnes Romæ vicini. *Cardinales Presbyteri* obtinent 51. Titulos, & *Cardinales Diaconi* 15. In arbitrio tamen Pontificis eſt hunc numerum vel minuere vel augere. Vid. Barb *J. E. U. lib.* 1. *c.* 3. *&* 4.

Sc. 3. *Patriarchas* dici illos Prælatos, qui præſunt Epiſcopis non unius tantùm provinciæ, ſed etiam Epiſcopis & Archiepiſcopis totius Imperii, vel integri alicujus Regni, aut partis Mundi; idque indicat ipſum nomen; nam Patriarcha ſonat ſummum patrem, vel Epiſcoporum Principem. Alii ſunt *Majores*, nimirùm *Romanus* (qui eſt ipſe Papa, & ſimul Patriarcha Baſilicæ Lateranenſis) per totum Occidentem; *Conſtantinopolitanus*, *Alexandrinus*, *Antiochenus*, *&* *Hieroſolymitanus* per Orientem: ſed hi quatuor poſteriores, quamvis olim fuerit valde ampla eorum poteſtas, hodie tamen ſunt titulares tantùm, cùm eorum provincias & Eccleſias occupent Pagani. Alii verò ſunt *Minores*, utì Patriarcha Aquileenſis, Venetus, Æthiopiæ, & Indiarum. Verùm iſti non niſi nomine & titulo diſcrepant à Primatibus. *can.* 2. *d.* 99. Quæ in Jure occurrunt de Patriarchis, ferè de illis Majoribus intelligenda ſunt. Barb. *c.* 6. *n.* 10. *&* 50. de Patriarchis *Minoribus* verò, quæ diceemus de Primatibus. 4

Sc. 4. *Primates* eſſe illos Archiepiſcopos, qui con- 5

conſtituti ſunt ad regendas Metropoles, ſeu qui in alios Archiepiſcopos, & Epiſcopos non exemptos, aliquam juriſdictionem exercent, per *c. 9. h. t.* qualis in Germania olim erat Archiepiſcopus Magdeburgenſis, nunc autem Saliſburgenſis, in Italia Piſanus, in Gallia Bituricenſis, Lugdunenſis &c. in Hiſpania Toletanus & Bracharenſis, in Hungaria Strigonienſis &c.

6 Sc. 5. *Archiepiſcopos* (aliàs *Metropolitanos* à Metropoli, ſeu civitate, aliarum civitatum ſeu diœceſium quaſi matre dictos) vocari illos Ordinis Epiſcopalis Prælatos, qui ſupra Epiſcopos alios in officio & juriſdictione eminent. Eorum diſtrictus nominatur *Provincia*, Epiſcoporum verò *Diœceſis* vel *Civitas*, vel etiam *Parochia Epiſcopi.* Ipſi autem Epiſcopi, qui Archiepiſcopo ſubſunt, appellantur in Jure *Suffraganei*, eò quòd Archiepiſcopo in Conciliis Provincialibus, Conſecrationibus &c. ſuffragari jubeantur.

7 Dico 1. Summus Pontifex, loquens ex Cathedra, eſt infallibilis in decîdendis fidei controverſiis, & definiendis dogmatis, etiam extra Concilium Generale. Prob. 1. ex Scriptura S. *Luc. 22.* dixit Chriſtus ad Petrum (& in hoc ad omnes in Officio Paſtorali & Primatu ſucceſſores) *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Item *Jo. 21. Paſce oves meas:* ergo Chriſtus oves ſuas indefinitè omnes omnino, ſive ſeorſim, ſive congregatim in Concilio ſumptas, cujuscunque ſtatûs & conditionis, commiſit Petro paſcendas pabulô doctrinæ & veritatis, quo paſcuntur oves rationales. Prob. 2. hoc argumen-

mento: Papæ loquenti ex Cathedra, ut Paſtori, Patri, Capiti fideles omnes aſſentiri & obedire debent. per *c. 13. ad Hebr. &c.* ergo Papa neceſſariò eſt infallibilis; aliàs enim tota Eccleſia Chriſti induceretur in errorem, & deſineret eſſe vera Eccleſia; quod eſt impoſſibile, & contra promiſſiones Chriſti: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Matt. 16. &c.* Dixi 1. *loquens ex Cathedra*, hoc eſt, intendens aliquid definire, & declarare pro fidei articulo, tanquam Rector Eccleſiæ Univerſalis, & quidem re priùs diligenter diſcuſſa, ac implorató Divinô auxiliô. Dixi 2. *etiam extra Concilium Generale*; cùm etiam Prælati Eccleſiarum particularium, in Concilio congregati, ſint & maneant oves Chriſti paſcendæ à Petri ſucceſſore, ſummo Paſtore, conſtituto à Chriſto, utpote cujus unius, quà Papæ Eccleſiam docentis, fides nunquam deficiet, nec deficere poteſt. Nec unquam Chriſtus Eccleſiam regendam commiſit Apoſtolis omnibus, aut aſſiſtentiam promiſit, ac preces ſuas applicavit pro ſtabilitate in fide earum Eccleſiarum, quas ipſi fundârunt, ſed ſoli ſemper Petro *in ſingulari*, præſentibus licèt aliis Apoſtolis, ut patet ex locis *citt.* Scripturæ. Et ſanè niſi Papa, etiam extra Concilium Generale, eſſet infallibilis circa res fidei declarandas, non ſatis fuiſſet proviſum Eccleſiæ à Chriſto; cùm Concilia Generalia difficillimè congregentur, ut evidenter conſtat ex Hiſtoria Conc. Trid. à Card. Pallav. conſcripta, imò ſæpe omnino cogi nequeant, ut patet ex primis trecentis annis. Adde, quòd ipſa Concilia

cilia nunquam pro Authenticis habita ſint & pro infallibili regula fidei, niſi approbatio & auctoritas Romani Pontificis acceſſerit, ut docet Eccleſiaſtica Hiſtoria. Unde mihi omnino improbabilis eſt ſententia illorum Catholicorum (ſi tamen adhuc aliqui ita ſentiant) qui quidem Pontificem pro infallibili habent definientem cum Generali Concilio (quod ſine hæreſi aperta negari nequit) non tamen extra illud: vel qui Concilium ſupra Papam eſſe volunt, & Papam ſupra Concilium eſſe negant: quam opinionem à temeritate excuſari non poſſe magnus Bellarminus exiſtimat, alii verò omnino pro hæretica habent, vel ſaltem hæreſi proximam appellant. Plura huc pertinentia videre potes in meo *Curſu Theol. Polem. p. 1. Controv. General. 3. c. 4. a. 2. 3.*

8 Dico 2. Summus Pontifex ſumma pollet poteſtate & jurisdictione Spirituali in omnes Chriſti fideles, etiam extra Concilium Generale. Prob. 1. ex Scriptura S. *Matt. 16.* Chriſtus ad ſolum Petrum (& in hoc ad omnes in Pontificatu ſucceſſores) dixit illimitatè: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum: quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolveveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Item *Joan. 21. Paſce agnos meos: paſce oves meas.* Notent, ſoli Petro, licèt præſentes fuerint & alii Diſcipuli ac Apoſtoli, adeóque & ſoli in Cathedra Petri ſucceſſori, independenter ab aliis Prælatis, illimitatam prorſus & ad nullum determinatum vinculum reſtrictam ſolvendi & ligandi poteſtatem eſſe conceſſam, proin & ligandi juſtis,

juſtis legibus totam Eccleſiam, notent, inquam, Sectarii, indéque concludant, ſe non eſſe de Chriſti Eccleſia, quia non obediunt Capiti, nec eſſe de grege ovium Chriſti, quia non parent, & adhærent Paſtori, quem conſtituit Chriſtus. Prob. 2. Optimum cenſetur eſſe in aliqua Republica regimen Monarchicum, in quo unus præeſt, & imperat omnibus: ergo Chriſtus, dum deſiit eſſe Caput Eccleſiæ viſibile, debuit ſibi ſubſtituere Caput viſibile, ac ſui Vicarium, quod præſit & imperet omnibus Chriſtianæ Reipublicæ membris; id enim exigebat Providentia & Sapientia Chriſti. Ferè ſicut Rex terrenus, ſi aliò ad longius diſcedat tempus, conſtituit Vicarium ſui & Pro-Regem, cui omnes interea parére jubet ſubditos totius Regni, ſi iis conſultum velit. Dixi 1. *in omnes Chriſti fideles*, nullo excepto, ſive omnes ſimul ſive ſeorſim conſiderentur, ſive ſint Principes Eccleſiaſtici, ſive Sæculares, Imperator, Rex &c. quantùm enim Sol ſuperat Lunam, tantùm Poteſtas Pontificia eminet dignitate ſupra Poteſtatem Politicam Regum, ut ait *c. 6. de Majorit. & obed.* ubi etiam hæc habet: *Fecit DEUS duo magna luminaria in firmamento cœli, luminare majus, ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti, utrumque magnum, ſed alterum majus: ad firmamentum igitur Cœli, h. e. Univerſalis Eccleſiæ, fecit DEUS duo magna luminaria, id eſt, duas inſtituit Dignitates, quæ ſunt Pontificalis Auctoritas & Regalis Poteſtas, ſed illa, quæ præeſt diebus, id eſt, Spiritualibus, Major eſt, quæ verò carnalibus, Minor.* Sic interpretatur Eccleſia Scripturam Divinam.

Gen. 1. v. 16. Dixi 2. *Spirituali*, ut me non immiſceam illi controverſiæ, an & quomodo Pontifex jurisdictionem in temporalibus exercere poſſit in Imperatores & Reges, eos etiam deponendo, ſi noxii ſint animarum, & Eccleſiæ ſaluti, de qua tractant Bellarm. Azor, & fusè Eminentiſſimus Sfondrati *in Regali Sacerdotio.* Quòd Papæ competat jurisdictio temporalis & in temporalibus pro iis provinciis, quæ ſunt ejus Dominio politico ſubjectæ, nec alium dominum recognoſcunt, quàm Papam, nemo ſanus inficias iverit. Dixi 3. *etiam extra Concilium Generale*: id enim ſatis probant argumenta allata.

9 Oppones 1. Papa eſt pars Eccleſiæ: ergo eſt minor Eccleſiâ totâ, in Concilio Generali repræſentatâ. 2. Si infallibilitas in decretis fidei & morum, item tota Chriſti Vicaria Poteſtas quoad ferendas leges, eſt penes ſolum Pontificem, fruſtra hucusque convocata ſunt tot Concilia cum tanto molimine tantisque expenſis. 3. Papæ non debet tribui ulla jurisdictio temporalis etiam in ſuo, quod ipſi tribuitur, territorio temporali, partim quia Chriſtus conſtituit Petrum pro cauſis tantùm Spiritualibus Judicem, partim quia poteſtas gubernandi Rempublicam humanam in temporalibus data eſt Cæſari & aliis Prinipibus politicis, partim quia nullum territorium temporale poſſidet legitimè; ſiquidem donatio Conſtantini M. & aliorum Imperatorum, à quibus ditiones temporales obtinuiſſe fertur, fuit invalida eò quòd Imperatores invalidè alienent ab Imperio

rio integras provincias. Adde, quòd *can.* 13. *d.* 96. ex quo probatur donatio Conſtantini, ſit meritò ſuſpectus, utpote incerti Auctoris, & *Palea.* Ita plerumque Hæretici, & invidi, hæreſique faventes alii, non ſatis Catholici.

℞. ad 1. Tranſ. *Ant. Diſt. Conſ.* eſt minor *extenſivè*, h. e. in Concilio Generali ſunt plures Prælati & homines, nimirum præter Caput etiam membra nobiliora. *C. Conſ.* eſt minor *intenſivè*, h. e. auctoritate, infallibilitate, poteſtate, præſertim reſpectu Concilii ſine Papa aſſociato ſumpti. *N. Conſ.* pro qua reſponſione notandum eſt diligenter, ſtatum quæſtionis, utrùm Papa ſit ſupra vel infra Concilium Generale, verſari in hoc, num Papa *ſolus* ſit majoris auctoritatis, quàm Concilium *ſolum*, ſeu dempto Papa conſideratum; nam Concilium cum Papa unitum, ſeu cui præſidet vel conſentit Papa (ſine qua unione nec legitimum eſt ullum Concilium, utpote non repræſentans totam Chriſti Eccleſiam, quæ non eſt Acephala ſeu ſine Capite) utique majus eſt Conciliô, à Papa ſejunctô, ſed extenſivè tantùm, non auctoritate & infallibilitate, niſi ſolùm humanâ. Dein ſtatus quæſtionis non eſt de Concilio comparato ad Papam dubium, incertum, notoriè & contumaciter hæreticum, cùm tales non ſint Pontifices, quibus Eccleſia obedire teneatur; vel Jure Divino deſiere eſſe Pontifices: quod diligenter notâſſe prodeſt ad alias quoque objectiones ſolvendas, quæ hìc formantur, præſertim ex Conc. Conſtantienſi; quia iſtud congregatum principaliter eſt ad

Digitized by Google

tollendum Schiſma, & eligendum *certum* Pontificem, cùm tres illo tempore pro Pontificibus ſe geſſerint, & de Pontificatu certârint. Ad 2. quamvis non fuerit abſolutè neceſſarium tot congregare Concilia, id tamen fuit ad melius eſſe, ut videlicet magis convincerentur protervi, accedente tanta auctoritate & induſtriâ *humanâ*, item ut dogmata fidei vel morum decreta magis hoc pacto innoteſcerent Orbi, ſuos undique Præſules ad Concilium ableganti, ac leges univerſales ſuaviùs efficaciúſque darentur ubique executioni. Ad 3. etſi Chriſtus non dederit expreſsè D. Petro poteſtatem terrenam, nec tamen prohibuit: quòd autem elegerit Petrum pauperem, ideo fecit, ut in fundanda Eccleſia magis eniteret Divina Virtus; ſicut ob hanc quoque cauſam crebriora initio fecit miracula, ſucceſſu temporis verò voluit etiam uti adminiculis humanis ad Eccleſiam conſervandam, ac fideles defendendos contra hoſtes, maximè hæreticos, quos magis terrenæ poteſtatis, quàm Divini Judicii metus abſterret ab injuriis Eccleſiæ inferendis. Quod ſpectat ad donationes Imperatorias, ſtultum eſt, illarum valorem negare, vel obtentum à Pontifice in donatas ditiones dominium revocare in dubium, poſtquam tanto tempore in inconcuſſa poſſeſſione exſtiterunt Romani Pontifices; quæ tot ſæculorum poſſeſſio non modò *Præſumptionem violentam* factæ donationis, ſed pleniſſimam quoque ſecuritatem & *Præſcriptionem* certiſſimam parit; præſertim cùm illæ donationes non ſolùm fundentur in *c. 13 cit.*

qui

qui propterea non deſtituitur ſua auctoritate, quia inter *Paleas* numeratur, juxta dicta in *Prolegomenis*, ſed etiam in *tom. 1. Concc.* apud S. Ivonem *l. 4. de Dignit. Rom. Eccleſ. can. 30. d. 63. Clem. un. de Jurejur. in fine.* Adde, quòd Caſtaldus in *Tract. de Imperio q. 5.* teſtetur, decretum donationis Conſtantinianæ, quam fecit etiam cum conſenſu Satraparum, univerſi Senatûs, ac Populi Romani, eam donationem utilem eſſe judicantium ad inſolentiam hæreticorum reprimendam & Eccleſiæ ſecuritatem firmandam, Græcè & Latinè ſcriptum, fuiſſe repertum in Bibliotheca Conſtantinopolitana, & Vaticana. Dein Imperium Romanum fuit olim verè & perfectè Monarchicum (quale hodie non ampliùs eſt, ſed mixtum, & Ariſtocratico-Monarchicum) populúſque omnem ſuá poteſtatem in ſolos Imperatores transtulit. *l. 1. ff. de Conſtitutionibus Principum*, atque ſic abſque aliorum conſenſu potuerunt de ſuis territoriis, tanquam propriis, pro libitu diſponere, ac validas facere donationes.

Ex dictis infertur 1. Papam nulli hominum eſſe ſubjectum, nec ab ullo, etiam integro Concilio Generali, judicari, puniri, deponi poſſe. *can. 14. cauſ. 9. q. 3.* nec in Judiciis ut ſuſpectum recuſari, aut ab eo ad futurum Concilium appellari; quam appellationem attentantes excommunicationi latæ ſententiæ ſubjicit Bulla *Cœnæ.* Imò nec à Papa ad Chriſtum appellatio conceditur; cùm ſit Chriſti in terris Vicarius, adeóque idem cum Chriſto tribunal habeat, & eandem jurisdictionem, ſicut de Vicario

Generali reſpectu Epiſcopi diximus ſuprà. 2. Papam eſſe inſtructum poteſtate ferendi leges totam Eccleſiam obligantes, eásque, prout videbitur, iterum tollere poſſe vel relaxare, totóque Jure Eccleſiaſtico ſuperiorem eſſe, cujus eſt & Conditor. 3. Univerſalem ejus poteſtatem Spiritualem ſe extendere ad ligandum & ſolvendum in utroque foro, interno & externo, ac ad omne vinculum peccatorum, cenſurarum, votorum, juramentorum &c. quo fideles ligari vel ſolvi profuturum judicat. 4. habere concurrentem jurisdictionem cum quovis Ordinario Judice, etiam in prima inſtantia; atque ad eum appellari poſſe à quovis Judice, etiam à Synodo absque Pontifice celebrata, & in quacunque cauſa Eccleſiaſtica. *can. 17. & fin. q 3. cit.*

10 Dico 3. Cardinales in Eccleſiis ſui Tituli obtinent jurisdictionem quaſi Epiſcopalem, ita ut circa ſubditos Eccleſiarum ſuarũ quoad actus jurisdictionis omnia poſſint, quæ poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi, etiamſi tantùm Diaconi ſint. per *c. 11. de Majorit.* ſi verò ſint Sacerdotes, poſſunt iis etiam conferre Minores Ordines, ſicut Abbates quaſi Epiſcopalem jurisdictionem obtinentes. Idem affirmat Barboſa *c. 4. n. 40.* de Cardinalibus *Diaconis*. Dixi, *in Eccleſiis ſui Tituli*; nam reſpectu Eccleſiæ Univerſalis aſſiſtunt Pontifici conſiliô & auxiliô in regenda Eccleſia: hodie eligunt novum Pontificem, eáque facere poſſunt, quæ Sede vacante ſunt neceſſaria ad defenſionem Eccleſiæ. per *c. 3. de Poſtul. Præl. c. 3. de Elect. in 6. Clem. 2. eod.*

Item

Item in caſu Schiſmatis, ubi duo vel plures in diſcordia electi contendunt de Pontificatu, neſcitúrque quisnam ſit verus Pontifex, cogere poſſunt Concilium, cujus auctoritate provideatur de Capite & Pontifiee certo, ut conſtat exemplo Concilii Conſtantienſis. Aliud non legitur ipſis conceſſum, imò nec Sede Papali vacante ſuccedunt in jurisdictionem Papæ, ſicut tamen Capitulum Cathedrale Sede Epiſcopali vacante ſuccedit in jurisdictionem Epiſcopi. *Clem. cit.* eò quòd jurisdictio Papalis à Chriſto ſolo concedatur, neminíque, niſi Petro, ac ejus Succeſſoribus promiſſa aut data ſit unquam.

Dico 4. Patriarchæ Minores, uti & Prima- 11 tes, præter jurisdictionem Epiſcopalem in ſuas diœceſes, quam habent ut alii Epiſcopi, de Jure Antiquo ſunt etiam Judices Ordinarii Archiepiſcoporum & Epiſcoporum ſui Diſtrictûs, etiam in Criminalibus, per *c. 9. h. t.* De Jure Novo autem Tridentini *S. 24. c. 5. de Ref.* cauſæ Criminales Archiepiſcoporum & Epiſcoporum majores, quæ ſcilicet depoſitionem vel privationem merentur, à ſolo Papa, minores verò à Concilio Provinciali, vel à deputatis ab illo, cognoſcendæ ac terminandæ ſunt. In cauſis autem Civilibus, de quibus nihil immutavit Trid. ſalvum Primatibus manet jus ſuũ, ſcilicet 1. confirmandi Epiſcopos & Archiepiſcopos, Sedi Apoſtolicæ non immediatè ſubjectos ſed ſibi. 2. admittendi appellationem (etiam in Criminalibus) ab Archiepiſcopis ad ſe factam. 3. conferendi beneficia ad ſe devoluta

ta propter negligentiam Archi Epiſcoporum. 4. recipiendi querelas adversùs Archiepiſcopos non exemptos. Quamvis autem ipſis competat juriſdictio in ipſos Archiepiſcopos & Epiſcopos eorúmque Vicarios Generales, in ſubditos tamen horum Epiſcoporum & Archiepiſcoporum non aliter competit, quàm Archiepiſcopis in ſubditos ſuorum ſuffraganeorum, quod ſtatim exponam *n. ſeq.*

12 Dico 5. Archiepiſcopi præter jurisdictionem Epiſcopalem, quam habent in ſuas diœceſes cum aliis Epiſcopis communem, ſunt Judices Ordinarii ſuorum Coëpiſcoporum, ſeu ſuæ Provinciæ Epiſcoporum, quos vocari diximus Suffraganeos, *can. 6. cauſ. 10. q. 3. c. 11. h. t. c. 54. de Appellat. c. 1. de Off. Vicar. in 6.* Exceptis tamen hodie iterum cauſis Criminalibus ſecundùm dicta *n. præced.* ex Conc. Trid. Unde poſſunt Archiepiſcopi 1. confirmare electionem ſuorum Suffraganeorum, non ſpecialiter reſervatam Papæ 2. eosdem conſecrare, vel hoc munus alteri demandare, niſi conſecratio ſit Pontifici reſervata, vel conſtitutio Conſecratoris. 3. ipſis, uti & eorum Vicariis, præcipere illa, quæ pertinent ad ipſorum officium. 4. ſupplere negligentiam in collatione beneficiorum, executione ultimarum voluntatum, abſolutione excommunicatorum &c. illos vocare ad Concilium Provinciale. 6. eorum cauſas Civiles cognoſcere ac terminare; cùm Trid. *loc. cit.* ſolummodò cauſas Criminales Papæ, vel Concilio Provinciali tribuat. Dixi autem, *ſuorum Coëpiſcoporum*, ſeu Suffraganeorum, nem-

pe

pe quoad perſonas ipſorum; nam in ſubditos horum Suffraganeorum Archiepiſcopi habent quidem jurisdictionem (ſive ordinariam vocaveris, ſive extraordinariam) ſed immediatè eam exercere prohibentur extra caſus Jure permiſſos. *can. 7. cauſ. 9. q. 3. c. 11. cit.* & *c. 1. eod. in 6.* Caſus autem permiſſi ſunt 1. quando actualiter viſitant diœceſes Suffraganeorum, quod poſſunt. *c. fin. de Cenſ. in 6.* cum certis tamen limitationibus. *c. 1. eod.* & non niſi ex cauſa priùs in Concil. Provinciali approbata. Trid. *S. 24. c. 3. de Ref.* In actuali autem viſitatione exercere poſſunt non ſolùm jurisdictionem pro foro interno. *c. fin. cit.* ſed etiam pro foro externo, ſed cum reſtrictione ad notorios criminoſos. *c. 1. de pœnis in 6.* item inquirere in vitam ac mores miniſtrantium Eccleſiis. *c. 1. de Cenſ. in 6. §. ſanè*, ſed ſine coactione, & exactione juramenti. 2. quando ad ipſos appellant ſubditi à ſuis Epiſcopis vel Vicariis. *c. 3. de appellat. in 6.* ſive dein appellent in cauſa criminali ſive civili, ſpirituali vel temporali. 3. Quando Suffraganei ſunt negligentes in collatione beneficiorum. *c. 3. de Inſtit. c. 3. de ſuppl. negl.* An verò in caſu, quo Suffraganeus eſt negligens in adminiſtranda juſtitia ſuis ſubditis, vel in officio Paſtorali, ſuppleat Archiepiſcopus, vide dicta *tit. 10. n. 6.* 4. Poſſunt Archiepiſcopi, per diœceſes ſuorum Suffraganeorum iter agentes, curare ſibi præferri crucem ubique, etiam in locis exemptis, celebrare in Pontificalibus, populo benedicere &c. *Clem. 2. de privil.* 5. concedere Indulgentias. *c. 15. de Pœnis.* cum limitatione tamen,

c. 14. eod. præſcripta, & infrà *n. 17.* afferendâ.

§. 2.

De Poteſtate Epiſcopi, etiam in Exemptos.

13 Sciendum 1. *Epiſcopi* nomine intelligi Prælatum Eccleſiaſticum, in aliqua diœceſi ſummum, qui cum ordinaria jurisdictione præeſt Clero & populo, imò Principibus & Regibus quoad curam animarum & diſciplinam Eccleſiaſticam, ſpeciali charactere Ordinis inſignitus. *c. 16. h. t. c. 7. eod. in 6. c. 4 de Majorit.* Ejus nomen derivatum eſt à Græco, idémque ſignificat, ac *Superintendens*, vel *Speculator*. In Eccleſia naſcente Epiſcopi ſubinde confundebantur cum Presbyteris quoad vocem, quamquam ſemper unus ex presbyteris præfuerit reliquis, quem ſucceſſu temporis vocare cœperunt *Epiſcopum*, Jus autem Commune crebrò appellat *Ordinarium loci*, ſeu certi diſtrictûs, quem *diœceſim* nominant. Officium illius eſt partiales Eccleſias regere. *Act. 20.* & Univerſalem Paſtorem, ſummum Pontificem, juvare juxta menſuram poteſtatis ab eo conceſſæ; nam Epiſcopi vocati ſunt *in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. can. 12. cauſ. 2. q. 6.* Item Diœceſanos inſtruere in rebus fidei, verbô Divinô paſcere, Sacramenta, præſertim Pœnitentiæ, adminiſtrare vel per ſe, vel alios idoneos. &c. *c. 15. h. t. Trid. S. 5. c. 2. de Ref.*

14 Sc. 2. Poteſtatem Epiſcopi eſſe duplicem, Ordinis & Juriſdictionis. *Poteſtas Ordinis* eſt, quam

Digitized by Google

quam habet ratione Characteris & Ordinis Epiſcopalis, videlicet ad conſecrandum, ad cōferenda Ordinis & Confirmationis Sacramenta &c. *Poteſtas Jurisdictionis*, quam habet ut Judex Ordinarius & Paſtor Eccleſiæ, ſcilicet ad ferendas leges, ad cognoſcendas & decidendas lites, ad ferendas cenſuras, ad puniendos malefactores, ad diſpenſandum, ad conferenda beneficia &c. Priorem obtinet per *Conſecrationem*, at poſteriorem per *Confirmationem.* Ex *c. 16. & 18. h.t.* Interpretes cum *gloſſ.* poteſtatem Epiſcopi dividunt in eam, quam vocant *legem Jurisdictionis*, & in eam, quam dicunt *legem Diœceſanam.* Ad legem Jurisdictionis referunt omnia, quæ ex parte Epiſcopi conſiſtunt in dando & faciendo, ſive ſint actus Ordinis ſive Jurisdictionis, uti conferre Ordines, conſecrare templa, ferre ſententias &c. Ad legem Diœceſanam verò, quæ ex parte Epiſcopi conſiſtunt in recipiendo uti eſt Cathedraticum, ſubſidium Charitativum, portio Canonica, & ſimilia, quæ Epiſcopus à ſubditis exigere poteſt. Atque hac duplici lege putant comprehendi omnem poteſtatem & jura Epiſcopi. Disquirendum nunc, quid Epiſcopus poſſit vi *Legis Jurisdictionalis*: quid vi *Legis Diœceſanæ*: quid in *Exemptos Regulares*, qui ejus Ordinariæ jurisdictioni non ſubſunt ex privilegio: priùs tamen, an Epiſcopis ſua poteſtas Jurisdictionis conveniat Jure Divino immediatè, vel tantùm mediatè, mediante Romano Pontifice.

Dico 1. Poteſtas Jurisdictionis Epiſcopalis, 15

quam-

quamvis immediatè à Chriſto inſtituta ſit in ſe ac in theſi, tamen quatenus eſt in hoc vel illo homine, ad hos vel illos ſubditos, immediatè deſcendit à ſummo Pontifice, diœceſes erigente, & Epiſcopos conſtituente, vel per ſe vel per ſuos ſubordinatos. Theologi & Canoniſtæ communiter contra Petrum Sotum, Caſtro, Victoria, Gonz. *ad c.1. de off. Jud. Ord. n. 6.* Prob. 1. ex *can. 12. cit. can. 18. cauſ. 24. q. 1. can. 1. d. 22.* ibi: *omnes Epiſcopatuum Cathedras, vel Eccleſiarum cujuslibet ordinis Dignitates inſtituit Romana Eccleſia.* Prob. 2. maximè à poſteriori: Conſtat, Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchis, poteſtatem Jurisdictionis ſæpius fuiſſe ademptam per ſuſpenſionem, excommunicationem, degradationem, depoſitionem &c. & adhuc quandoque auferri à Pontifice Romano: ſed poteſtas immediatè deſcendens à Chriſto non eſt auferibilis per Pontificem, ut patet in poteſtate Ordinis Epiſcopalis: ergo. Oppones 1. Sicut Pontifex Romanus ſuccedit Petro in Cathedra Romana & poteſtate ſuprema, ita Epiſcopi ſuccedunt reliquis Apoſtolis in aliis Cathedris inferioribus, & in poteſtate ſubordinata: ſed Romanus Pontifex propter hanc ſucceſſionem noſcitur habere ſuam poteſtatem immediatè à Chriſto: ergo & reliqui Epiſcopi. 2. Poteſtas Ordinis Epiſcopalis juxta omnes eſt immediatè à Deo, etiamſi DEUS nullũ immediatè ordinet: ergo etiam poteſtas Jurisdictionis Epiſcopalis eſt immediatè à Deo, etiamſi DEUS non immediatè conſtituat Epiſcopos, ſed per Papam. ℞. ad 1. Epiſcopi ſuccedunt

dunt reliquis Apoſtolis, ſed ſic, ut poteſtas Juriſdictionis non immediatè ipſis communicetur à Chriſto, ſicut Apoſtolis fuit immediatè à Chriſto communicata. *Jo. 20.* ſed immediatè à Pontifice, & ſic mediatè tantùm à Chriſto. Quòd ipſis immediatè communicetur à Pontifice, probant adducta argumenta. Pontifex ſuam poteſtatem Univerſalem in totam Eccleſiam non accipit immediatè à Chriſto præcisè propter ſucceſſionem in Cathedra Petri, ſed quia nulli hominum, à quo communicari poſſet Romano Pontifici, D. Petri ſucceſſori, promiſſa & data eſt poteſtas univerſalis à Chriſto: igitur homines eligendo Pontificem tantùm deſignant perſonam, cui poſtea ipſe Chriſtus confert ſupremam & univerſalem poteſtatem. Adde, quòd aliqui cum Turrecrem. doceant, etiam reliquos Apoſtolos, quibus dicuntur ſuccedere Epiſcopi, ſuam poteſtatem Juriſdictionis non accepiſſe immediatè à Chriſto, ſed à Petro. Ad 2. *N. Conſ.* & paritatem; nam poteſtas Ordinis confertur ab ordinante tanquã *Miniſtro* Chriſti, poteſtas autem Juriſdictionis à Pontifice tanquam *Vicario* Chriſti: quod autem quis facit per Miniſtrum, cenſetur facere per ſe ipſum, quia Miniſtro utitur velut *inſtrumento*, per quod operatur: quod fieri non cenſetur in operante per Vicarium, ut patet in Phyſicis: ſic artifex immediatè cenſetur producere artefactum, licèt utatur inſtrumento, non tamen, ſi utatur ſubſtituto, & alium ſibi ſubſtituat tanquam Vicarium.

Dico 2. Epiſcopus vi legis Juriſdictionalis 16 ge-

generaliter poteſt omnia in ſua diœceſi, quæ Pontifex per totam Eccleſiam, exceptis tamen iis, quæ Pontifex ſibi reſervat ſpecialiter, & quæ ſunt Juris Communis. Sumitur ex communi DD. brocardico, item ex *c. 1. & fin. de Off. Archipresbyt. ex c. 16. h. t. &c.* Limitavi 1. *exceptis iis, quæ Pontifex ſibi ſpecialiter reſervat*, quænam autem ſint illa, proditur in Titulis particularibus, item à Barboſ. *de Off. & Poteſt. Epiſc.* & ab aliis. Limitavi 2. *& quæ ſunt Juris Communis*, cui ſubſunt omnes Epiſcopi; *lex enim Superioris per inferiorem tolli non poteſt. Clem. 2. pr. de Elect.* Hoc autem procedit regulariter & per ſe; nam per accidens vel ex conſuetudine, vel per epiſkiam & tacitum Papæ conſenſum, etiam in Jure Communi aliquid quandoque poſſunt Epiſcopi, & multò magis, ſi ipſum Jus vel tacitè vel expreſsè id ipſis concedit. Sic *ex conſuetudine* diſpenſant in lege jejunii & feſtorum. *Per Epiikiam*, quando ex una parte eſt urgens diſpenſandi neceſſitas. v. g. periculum animarum, ſcandalum &c. quod moram non patitur; ex altera verò difficilis ad Papam recurſus, vel notoria ſupplicantis paupertas ſubeſt; uti ſubinde contingit in Matrimoniis cum occulto impedimento dirimente bona fide cõtractis, cùm ſeparatio ſine ſcandalo fieri nequeat, & apud non ſeparatos periculum incontinentiæ ſit. Item quando dubium eſt, num opus ſit diſpenſatione Papali; tunc enim vel diſpenſare, vel ſaltem declarare, quòd caſus non ſit Papalis, permittitur Epiſcopis. *Tacite* concedit ipſum Jus, quando impersonaliter dicit v. g. *diſpen-*

diſpenſetur: diſpenſari poſſit: diſpenſativè fieri poterit &c. cùm enim per ſe clarum ſit, Pontificem in Jure ſuo diſpenſare poſſe, per hujusmodi verba, ne nihil operentur, cenſetur conceſſa poteſtas diſpenſandi Epiſcopis. *Expreſsè* autem, quando diſertis verbis permittit Jus Commune: Sic Trid. *S. 24. c. 6. de Ref.* poteſtatem dat Epiſcopis generalem diſpenſandi in omnibus *irregularitatibus* ex delicto occulto (juxta me etiam defectu occulto. ad *tit. 17. n. 8.*) provenientibus; modò non proveniant ex homicidio voluntario, aut aliis delictis ad forum contentioſum deductis. Iisdem dat ſimilem poteſtatem abſolvendi à *ſuſpenſionibus*, imò ab omnibus *caſibus occultis*, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, per ſe vel per Vicarium, ſed tantùm pro foro conſcientiæ; quin & à *crimine hæreſis*, ſed per ſe ipſos, non per Vicarium. At in Germania videtur mihi Epiſcopis tacitè conceſſum eſſe abſolvere ab hæreſi etiam notoria, & per Vicarios, propter nimiam frequentiam hujus criminis (quæ ex caſu Papali poteſt facere Epiſcopalem) vel propter difficilem aditum Romam, vel ex conſuetudine.

Quæres, quænam in ſpecie poſſit Epiſcopus? 17
℞. ſequentia: inſtituere & deſtituere Clericos Beneficiatos: delinquentes punire, etiam cenſuris Eccleſiaſticis (hodie tamen non ampliùs permittitur excommunicare ullo caſu Imperatores & Reges. Laym. *de Sacram. Pœnit. c. 10. n. 3.*) cognoſcere & decîdere omnes cauſas, etiam laicorum, ad forum Eccleſiaſticum pertinentes: abſolvere pœnitentes, & pœnitentias

tam

tam externas propter delicta publica, quàm Sacramentales in tribunali pœnitentiæ imponere: Sacramenta Ordinis & Confirmationis conferre. Et hæc ſpecificantur *c. 16. h. t.* latam à ſe ſententiam exequi, invocatô etiam, ſi opus ſit, brachiô ſæculari. *c. 14. eod.* quod commodare ſi indebitè recuſent Sæculares, eos per cenſuras compellendi jus habet. 3. turbantes ſuam jurisdictionem excommunicare etiam ſine monitione prævia, ſi faciat in continenti. *c. 6. de Sent. Excom. in 6.* 4. abſolvere à cenſuris non reſervatis Papæ, imò ab omnibus, quæ non ſunt latæ ſententiæ, ſed tantùm ferendæ. 5. concedere indulgentias, etiam pro Exemptis, nem pe unius anni in Dedicatione Eccleſiæ, & 40. dierum in ejus Anniverſario. c. 14. *de pœnit. & remiß.* 6. viſitare diœceſim, ſcilicet omnes Eccleſias, beneficia curata & non curata, ſæcularia & regularia, imò etiam Monaſteriis exemptis unita, modò populus non ſit exemptus quoad ſpiritualia; itē Monaſteria non exempta, hoſpitalia, collegia, confraternitates laicorum, & omnia loca pia, modò non ſint ſub immediata protectione vel poteſtate Regum, aut Principum, jura Imperii habentium, & Superiorem non recognoſcentium. Trid. *S. 22. c. 8. & S. 24. c. 3. de Ref.* ubi etiam jubentur Epiſcopi per ſe vel per Vicarios viſitationem totius diœceſis inſtruere ſingulis annis, vel ſaltem, ſi diœceſis ſit nimis ampla, eam ita ordinent, ut ſingulis bienniis abſolvant, & totam diœceſim viſitent. Neque Epiſcopus diœceſim viſitans poteſt

poteſt recuſari ut ſuſpectus; nec ab ejus Decretis viſitalibus datur appellatio quoad effectum ſuſpenſivum, ſi ea fecit ſine proceſſu. 7. prædicare Verbum Divinum vel per ſe vel per alios. *c.15.h.t.* Trid. *S.5.c.2.* & *S.24.c.4.de Ref.* ubi datur ipſi poteſtas deputandi omnes Concionatores per totam diœceſim, niſi hoc jus per conſuetudinem immemorialem alii acquiſierint, ut Trid. *cit.* limitat *ſubjuncta declarat. Cardin.* Unde falluntur Mendicantes, qui ab aliquo Epiſcopo obtinent poteſtatem prædicandi Verbum Divinum in Cathedrali vel aliis Eccleſiis, putantes, eam dari in perpetuum, ut revocari nequeat.

Dico 3. Epiſcopus vi legis Diœceſanæ ab Eccleſiis & Clericis ſibi ſubjectis exigere poteſt 1. *Synodaticum*, à Synodo dictum, quam Trid. *S.24. c.2. de Ref.* celebrari vult ſingulis annis; in hac autem Synodo à qualibet Eccleſia ſuæ diœceſis jus exigendi Synodaticum habet. 2. *Cathedraticum*, à Cathedra appellatum, quia illud tenentur Eccleſiæ per diœceſim ſolvere in reverentiam Cathedræ, ſeu Dignitatis Epiſcopalis. Sed tam Synodaticum, quàm Cathedraticum, non debet excedere duos ſolidos annuatim, ſeu duos aureos. 3 *Quartam Decimationum* ab Eccleſiis Parochialibus, quia ad iſtas ſpectare ſolent decimæ. 4. *Quartam Mortuariorum*, ſeu quartam partem legatorum in genere relictorum & oblationum funeralium, quas Eccleſiæ vel alia loca pia percipiunt. Alio nomine vocatur *Portio Canonica.* 5. *Subſidium Charitativum*; ſeu moderatum auxilium, quod 18

quamvis ab initio cum charitate poſtulandum ſit, quando adeſt rationabilis & manifeſta cauſa, compellere tamen ad illud poteſt Beneficiatos & Penſionem habentes, item Eccleſias, pro ratione facultatum, quas habent. Cauſa autem exigendi poſſet eſſe vel ſolutio debitorum, quæ citra culpam Epiſcopi contracta ſunt, v. g. in conſecratione Eccleſiæ, in fabricam &c. vel magnæ expenſæ in Eccleſiæ negotiis factæ vel faciendæ, v. g. pro conſervatione jurium Eccleſiæ, pro itinere ad Concilium Provinciale, vel ad Imperatorem, vel ad Papam, in bonum Eccleſiæ. 6. *Procurationes in viſitationibus*, ſeu moderata victualia unius diei ſolvenda ab Eccleſiis, quas actualiter viſitat illa die; nihil tamen exigere poteſt in veſtes, famulos, equos. Textus & DD. in *c.16.cit.* Trid. *S. 24.c.3.de Ref.* Quamquam ferè omnes iſtæ exactiones in deſuetudinem abierint hodie, excepto ſubſidio Charitativo, & Procurationibus Viſitationum; quia Epiſcopis aliunde per fundationes ſufficienter proviſum eſt de ſuſtentatione congrua. 7. Huc revocant multi *convocationem ad Synodum* diœceſanam, in quantum eſt convocatio; nam in quantum Epiſcopus ibi agit perſonam Judicis aliquid ſtatuentis cum cœteris, clarè ad legem Juriſdictionalem pertinet. Dixi in aſſertione, *à Clericis*, intellige Sæcularibus; Regulares enim & Monaſteria, etiam aliàs non exempta, à lege tamen diœceſana eximuntur. *can. 1. q. 1. & can. 8. q. 3. cauſ. 10.* Exceptis tamen Procurationibus, dum viſitantur, item obligatione compa-

ren-

Digitized by Google

rendi in Synodo diœceſana: Præterea legi diœceſanæ ſubjiciuntur Regularium capellæ & parochiæ ſæculares, unitæ Monaſteriis, etiam exemptis; modò ipſæ non ſint exemptæ, & , antequam unitæ fuerint Monaſteriis exemptis; ad legem diœceſanam fuerint adſtrictæ. per *Clem: 1. de Cenſ:*

Dico 4: Epiſcopus jure extraordinario & delegato in multis caſibus juriſdictionem obtinet in Regulares; alias à juriſdictione per generale privilegium exemptos. Conſtat ex Trid. *S: 4. 5: 6. 7: 21: 22: 23: 24: de Reform.* ac præcipuè *S. 25: de Regularibus*, ubi Sancta Synodus in variis caſibus dat Epiſcopis tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis poteſtatem procedendi contra exemptos. In ſpecie ipſis ſubjicit exemptos. 1. quoad editionem librorum ſine approbatione Ordinarii: 2. quoad Lectionem Scripturæ S. imperandam. 3. quoad viſitationem & correctionem Regularium, extra Monaſterium vel Conventualem reſidentiam habitantium: quoad cauſas mercedum & miſerabilium perſonarum; ad has enim ſolvendas cogi poſſunt ab Epiſcopo extra Monaſterium (non intra illud) degentes. 4: quoad promulgationem Indulgentiarum à Papa promulgatarum non ſine conſenſu Ordinarii faciendam. Item quoad licentiam petendam, ſi in alienis, benedictionem verò, ſi in propriis Eccleſiis concionari velint præſente Epiſcopo Regulares, etiam exempti. 5. quoad prædicationem Verbi Divini, ad quam eos cogere poteſt in Eccleſiis curatis, ſi quas obtinent: quo caſu viſitare etiam, & in munere 19

re paſtorali negligentes punire poteſt. 6. quoad reparationem Eccleſiarum, etiam Parochialium, vel Juris Patronatûs, quas, ſi reparari nequeant, unire poteſt alteri viciniori. 7. quoad celebrationem Miſſæ, quam ſi non debitis horis, vel in privatis domibus, vel extra Eccleſiam (dempto privilegio Apoſtolico) celebrent, etiam cenſuris contra illos procedere valet. 8. quoad Ordinationem, & prævium examen Ordinandorum, niſi ſpeciale habeant privilegium. 9. quoad approbationem in ordine ad confeſſiones Sæcularium audiendas. 10. quoad deciſionem cauſarum Matrimonialium inter illos ortarum, qui Monaſteriis exemptis ſubjecti ſunt. 11. quoad erectionem novorum Monaſteriorum, ad quam requiritur conſenſus Epiſcopi. 12. quoad publicandas in ſuis Eccleſiis cenſuras, quas tulit & publicari petit Epiſcopus. 13. quoad obſervationem feſtorum diœceſis. 14. quoad vocationem ad Proceſſiones publicas, niſi ſpecialiter ſint privilegiati: quoad deciſionem controverſiarum in iis, vel in deductione funerum ortis. 15. quoad renuntiationem bonorum à Novitiis cum licentia Ordinarii faciendam ultimo bimeſtri ante Profeſſionem actualiter ſecuturam, & quoad reſtitutionem omnium bonorum, ſi à Novitiatu diſcedant. 16. quoad Religioſos extra Monaſteria verſantes in ſtudiorum Univerſitatibus. 17. quoad illos, qui ſine licentia Superioris à Conventu recedunt, etiam ſub prætextu accedendi ad Superiores ſuos. 18. quoad clauſuram Monialium, & quoad guberna-

nationem earundem in Spiritualibus, ſi ſint immediatè ſubjectæ Sedi Apoſtolicæ. 19. quoad eleemoſynas nimis importunè exigi ſolitas. 20. quoad punitionem notoriè & cum ſcandalo delinquentium extra Monaſteriũ; tunc enim poteſt Epiſcopus urgere Superiorem, ut intra præfixum à ſe tempus ſeverè tales puniat &c. ipſe tamen punire nequit, vel etiam capere, niſi poſt enorme crimen fugam adornent. Hos caſus expreſſit Tridentinum.

Spectato autem Jure antiquiori Epiſcopis ſubſunt Exempti in ſequentibus. 1. in cauſa hæreſis, & criminum ad *S. Inquiſitionis* tribunal pertinentium, ubi hoc tribunal non eſt introductum (ut in Germania) *c. 9. §. fin. de hæret.* 2. in executione ultimarum voluntatum, exemptis commiſſa *Clem. un. de Teſtam.* 3. quoad excommunicationem in eos ferendam, qui Sacramentum Extremæ Unctionis, vel Euchariſtiæ, ſine extrema neceſſitate adminiſtrant Parochianis absque licentia Parochi, vel Matrimonia ſolemnizant. *Clem. 1. de Privil.* 4. quoad Confeſſarios Monialium, & adminiſtratores bonorum earundem: item quoad electionem Abbatiſſæ vel Præpoſitæ, cui per ſe vel per alium præeſſe poteſt cum Superioribus Regularibus. Bulla Greg. XV. quæ incipit, *Inſcrutabili.* 1623. edita. 5. in petitione Chriſmatis, conſecratione Eccleſiarum, & in omnibus, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis. *c. 19. de Præſcr.* 6. quoad denuntiationem excommunicationis, ſi ſint notoriè excommunicati, in ordine ad eos vitandos: per *Clem. cit.* 7. in defectu adminiſtra-

tæ juſtitiæ datur recurſus ad Epiſcopum. Hos & plures alios caſus vide apud Barbos. qui *allegat. 105. à n. 14.* refert quinquaginta duos, & apud Chokier, qui *de Jurisdict. Ordinar. in Exemptos. p. 2. q. 45.* recenſet omnino centum & ſedecim.

§. 3.

De Poteſtate Prælatorum, Epiſcopis inferiorum, præſertim Regularium. Ubi etiam de Proto-Notariis & Parochis.

20 Sciendum, *Proto-Notarios* Apoſtolicos (quaſi primos Notarios) hodie in duplici claſſe conſtitui: aliqui dicuntur *Participantes*, qui ſcilicet Romæ in Curia officium obtinent cum Dignitate, erántque olim numerô ſeptem per ſeptem Urbis Romanæ partes diviſi, ut perquirerent, conſcriberéntque SS. Martyrum geſta; hodie autem à Sixto V. in Bulla *Romanus Pontifex.* & Bull. *Laudabilis.* ad numerum duodecim ampliati varia privilegia conſecuti ſunt, eorúmque officium conſiſtit in annotandis iis, quæ in publicis Conſiſtoriis geruntur: & in conficiendis, cùm rogantur, authenticis inſtrumentis, ac expediendis Bullis. Dufreſne in *gloſſario v. Notarius*; quamvis in diſpoſitionibus & Bullis Pontificiis non ſubſcribant nomen Proto-Notarii, ſed *Notarii* tantùm. Barb. *J. E. U. l. 1. c. 13.* Alii autem ſunt & vocantur *non-Participantes*, ſeu *Titulares*, vel *Honorarii*, qui nullum ſpeciale officium obtinent in Curia Romana, nec Dignitatem habent, niſi eatenus, ut ipſis cauſæ Papales delegari poſſint. Ampliori hi gaudet nomine,

mine, quàm privilegiis, & vix non vileſcunt numerô. Participantes in ſola Curia Romana præcedunt *Abbates*, cœteri autem nullibi. Per *Abbates* veniunt Prælati inferiores Epiſcopô; & alii ſunt *Sæculares*, alii *Regulares*. Ad Regulares reducuntur varii variarum Religionum Præpoſiti, nempe *Generales*, *Provinciales*, *Locales*, prout nimirum vel toti Ordini Religioſo, vel integræ provinciæ, vel alicui loco particulari præſunt. Poſt hos veniunt *Parochi*, ſeu (ut etiam appellantur) *Plebani*, *Curiones*, *Proprii Sacerdotes*, qui & ipſi jurisdictionem aliquam Ordinariam & curam animarum exercent in particularibus locis tanquam Rectores immediati, quibus etiam æquiparantur *Vicarii perpetui* in ſpiritualibus. De Archidiaconis, Archipresbyteris & Decanis, Vicario Generali, quibus etiam competit jurisdictio Ordinaria, jam actum eſt ſuis locis, de Capitulo autem Cathedrali Sede vacante agetur *tit. 9. lib. 3.* De Capitulis verò Eccleſiarum Collegiatarum, uti & Regularium non-exemptarum, cùm ad illa non tranſeat jurisdictio Ordinaria, Sede vacante, ſed devolvatur ad Epiſcopum; nihil occurrit explanandum.

Dico 1. Prælati Regulares in ſuos ſubditos Religioſos non ſolùm habent poteſtatem dominativam, ſed etiam jurisdictionem Eccleſiaſticam Ordinariam quaſi Epiſcopalem in foro tam externo quàm interno. Sumitur ex *c. 2. de Sent. Excom.* & communi DD. quia Prælati Regulares reſpectu ſuorum ſunt loco Epiſcopi, eóſque ſibi devinctos habent votô obedi- 21

entiæ. Dixi 1. *Prælati Regulares*, etiam non-exempti à juriſdictione Epiſcopali. 2. *in ſubditos Religioſos*, quibus accenſentur etiam Novitii ex privilegiis à Sixto IV. Clemente IV. & Paulo V. conceſſis. In ſubditos autem Sæculares non ſe extendit poteſtas dominativa; imò nec juriſdictio Eccleſiaſtica, niſi tales Prælati habeant etiam territorium aliquod, quaſi parvulam diœceſim, à juriſdictione Epiſcopali exemptum etiam quoad populum, uti habere perhibetur Abbas Princeps ad S. Gallum in Helvetia. 3. *poteſtatem dominativam*, quæ eſt jus quoddam Prælatis ratione voti obedientiæ & traditionis ſui in Religionem radicaliter ortum, ad imperandum Religioſis ea, quæ ſunt conformia Inſtituto Regulari, & ad utendum illorum operibus, prout ad obſervantiam & diſciplinam Regularem convenire judicaverint Prælati. Vocatur hæc poteſtas etiam *Oeconomica*, quia vi hujus adminiſtrare & defendere debent Prælati bona Monaſterii: item *Domeſtica*, quia ſimilis eſt illi poteſtati, quam pater habet in filium. Differt autem à poteſtate juriſdictionis, quia ſpiritualis non eſt, nec publica, ſed privata, & ſolùm ſe extendens ad moderatam coërcitionem; quamvis quandoque poſſit utraque concurrere, dominativa nimirum, ſi Superior præcipiat in virtute obedientiæ, & ſimul juriſdictionalis, ſi ſimul præcipiat ſub pœna cenſuræ. 4. *juriſdictionem Eccleſiaſticam Ordinariam*, quam proin delegare poſſunt aliis, ut cœteri Judices Ordinarii. 5. *in foro externo*, ſcilicet in ordine ad corrigendum,

Digitized by Google

dum, puniendum, etiam per cenſuras, & ejiciendum incorrigibiles. *arg. c. 10. de Majorit.* ad diſpenſandum in votis, juramentis, & aliis, in quibus nempe Epiſcopus diſpenſat cum ſuis diœceſanis, item in obſervatione regulæ, exceptis tamen iis, quæ ad habitum, tria vota, & ſubſtantiam Religionis pertinent. Et hæc poteſt Prælatus etiam in abſentes, quia ſubditi Religioſi ſunt ei perſonaliter obligati per votum obedientiæ. Ut adeò Epiſcopus quoad ea, quæ ſpectant ad diſciplinam domeſticam, obſervationem regularum, votorum, modum vivendi, officia, promotiones, coërcitiones Religioſorum, ſe immiſcere non poſſit. per *c. 5. de tempor. Ordin.* niſi fortè diſcretio Abbatis non ſufficiat. per *c. 2. cit.* vel niſi Prælatus Regularis negligens ſit, aut niſi Religioſus extra clauſtra ſine licentia degens ſcandalosè delinquat. Trid. *S. 6. c. 3. de Ref.* Imò *can. 17. cauſ. 18. q. 2.* datur Epiſcopis poteſtas in Monaſteriis non-exemptis diſciplinam quoque domeſticam procurandi, Religioſis & Clericis Sæcularibus communem; quoad hujusmodi enim Prælati non exempti plenam & quaſi Epiſcopalem nec in ſuos ſubditos Regulares jurisdictionem obtinent. 6. *in foro interno*, & hinc poſſunt ſuos abſolvere vel per ſe, vel alios, à quibusvis peccatis, ante vel poſt ingreſſum Religionis commiſſis, & à Cenſuris, à Jure, vel homine latis, non ſpecialiter reſervatis Superiori, ut deſumunt ex *c. 29. de Sent. Excomm.* ſi tamen Cenſura eſſet lata ab homine, præſertim à Superiore, & in aliquem nominatim, de-

bet Superior moneri de abſolutione impertita & ſatisfactione præſtita à cenſurato. Prætereà integrum eſt ipſis aliquos caſus, & graviora peccata ſuæ abſolutioni reſervare, ſed poſt Conſtit. Clementis VIII. quæ incipit, *Ad futuram rei memoriam*, ſine conſenſu Capituli non plures quàm 11. nec alios, quàm ibi expreſſos caſus, exceptis tamen Superioribus Societatis JESU, in qua ferè omnia peccata mortalia, in actum externum prodeuntia, reſervantur.

22 Quæres, qua poteſtate polleant Abbatiſſæ, & aliæ Præfectæ Monialium? ℟. 1. Dominativâ, ſeu gubernativâ, œconomicâ, & Maternâ, vi cujus poſſunt ſuis Monialibus præcipere, delinquētes corrigere, officia dividere, bona temporalia adminiſtrare, & alia agere, quæ poteſt quævis Materfamilias. Item obtinent aliquo modo iuriſdictionem ſpiritualem in ordine ad præcipiendum ea, quæ ad ſalutem animæ, & regularum obſervationem pertinent; quia hujusmodi poteſtatem requirit utilitas tum temporalis tum ſpiritualis, ac ſalutare regimen Monialium. Quin ex delegatione ſummi Pontificis poſſunt conferre beneficia, & in iis pleno jure ſibi ſubjectis inſtituere Clericos, atque ſic aliquem actum juriſdictionis propriè ſpiritualis exercere; quæ tamen inſtitutio non eſt *authorizabilis* ſeu collativa curæ animarum, utpote cujus incapaces ipſæ ſunt, ſed tantùm eſt collatio tituli, & poſſeſſionis. Unde ℟. 2. Fœminæ, adeóque & Abbatiſſæ, nec privilegio Papæ habilitari poſſunt ad juriſdictionem propriè ſpiritualem, quæ ſupponat poteſtatem

Cla-

Clavium & Ordinem Sacramentalem; quia Jure Divino ſunt incapaces Ordinum. Nihil tamen prohibet, eis ex privilegio Apoſtolico conferri jurisdictionem propriè ſpiritualem aliam, v.g. ad ferendas cenſuras, ad diſpenſandum in votis &c. quia non apparet ſufficiens ratio id negandi.

Dico 2. Proto-Notarii *Participantes* non ſolùm ſunt exempti à jurisdictione quorumcunque Ordinariorum, ſed etiam habent privilegium creandi Doctores & Notarios publicos, legitimandi ſpurios ad ſucceſſionem hæreditariam, deferendi arma, teſtandi de bis mille ducatis, acquiſitis ex proventibus Eccleſiaſticis &c. Bull. *Laudabilis* Sixti V. *Titulares* autem & non Participantes, præterquam quòd aliis Clericis nullam Dignitatem habentibus præferantur, habent privilegium geſtandi Rochetum & Mantelletum coloris vel nigri vel violacei, adeóque aliquem habitum Prælatorum, itêm utendi pileô ſuper ſuis inſignibus gentilitiis &c. Barb. *loc. cit. Rochetum* vocant veſtem lineam, Epiſcoporum & Abbatum propriam, cum manicis ſtrictioribus, quaſi parvum *roccum.* Dufreſne *Lit. R.* 23

Dico 3. Parochi habent jurisdictionem Ordinariam, non in externo, ſed interno foro conſcientiæ. Communis cum *gl. in can. 38. cauſ. 11. q. 1.* Colligitur etiam ex Trid. *S. 23. c. 15. de Ref.* Unde ſuos parochianos, item vagos, & peregrinos ex conſenſu tacito ſuorum parochorum, bona fide ad ſuam parochiam accedentes & confitentes, abſolvere poſſunt ab omni 24

mnibus peccatis & cenſuris nō reſervatis Papæ vel Epiſcopo. Ipſi verò Parochi, imò quilibet Sacerdotes Sæculares, vi conſuetudinis poſſunt confiteri cuilibet approbato Sacerdoti. Laym. *de Sacram. Pœnit. c. 10. n. 4.*

25 Dico 4. Officium Parochi maximè requirit 1. ut intra duos menſes poſt adeptam primitus Parochiā emittat Profeſſionem Fidei in manibus Epiſcopi vel Vicarii Generalis. Trid. *S. 24. c. 12. de Ref.* 2. ut ſingulis diebus Dominicis & feſtis ſolennibus vel per ſe vel per alios idoneos inſtruat ſuos ſubditos verbô DEI & rebus ad ſalutem neceſſariis tum in Catecheſi, tum pro concione dicendo. Trid. *S. 5. c. 2. de Ref.* 3. ut ſuis parochianis adminiſtret vel per ſe vel per alios Sacramentum Baptiſmi. per *can. 8. cauſ. 16. q. 1.* & alia Sacramenta, nimirum Extremæ Unctionis, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſuis temporibus, nimirum in agone, & poſteriora duo etiam in Paſchate, imò quoties Parochiani ex juſta cauſa petierint. Azor, Laym. Barbos. *de Off. & Poteſt. Paroch. p. 2. c. 19. n. 8. & c. 20. n. 11. 15.* Item per ſe vel per alium tenetur aſſiſtere eorum Matrimoniis. Trid. *S. 24. c. 1. de Reform. Matrim.* 4. ut habeat certas Matriculas, videlicet librum, in quo annotati ſint, qui ex ſuis Parochianis contraxerunt Matrimonium, cum teſtibus, die, & loco, quo contraxerunt. Trid. *loc. cit.* Dein librum, in quo deſcripti ſint omnes Baptizati cum eorum parentibus, patrinis, anno & die. Trid. *c. 2.* Deberet inſuper habere librum Confirmatorum cum patrinis, ut poſſit ſuo tempore ſciri, cum quibus per-

perſonis contractum ſit impedimentum Cognationis Spiritualis. Aliqui etiam requirunt librum Mortuorum, ſeu in parochia ſepultorum. 5. ut Dominicis & feſtis diebus, quibus populus tenetur audire Sacrum, per ſe vel per alium, ſi ipſe ſit impeditus, celebret Miſſam hora competenti. *c. 2. de Parochiis. Extrav. 2. de Treuga & Pace*, quibus textibus quantumvis aſſeratur, parochianos obligari audire Sacrum in ſua parochia, per contrariam tamen conſuetudinem derogatum eſt, cui haud obſcurè favet Trid. *S. 22. in Decreto de obſervand. & evit. in celebr. Miſ.* ubi populum quidem *monet*, ut ad Eccleſiam parochialem accedat diebus Dominicis & feſtis, cogendum tamen non dicit. Adde, quòd Ordines Mendicantes habeant privilegium, vi cujus omnes Chriſti fideles poſſint apud ſe etiam iſtis diebus audire Miſſas, & ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, uti & ſumere Euchariſtiam, ſaltem extra tempus Paſchale atque articulum mortis; Sacramentum Pœnitentiæ verò apud eosdem ſuſcipere, & ſua peccata confiteri, etiam tempore Paſchali, & in articulo mortis, uti conceſſit noſtræ Societati Paulus III. *in Conſtit. edita 15. Kalend. Novemb. 1549.* Salvâ tamen diſpoſitione *Clem. 1. de privil.* ubi Religioſis, etiam Mendicantibus, prohibetur ſub excommunicatione latæ ſententiæ, ne Sacramentum Euchariſtiæ & Extremæ Unctionis (extra caſum extremæ neceſſitatis) miniſtrent moribundis ſine ſpeciali licentia Parochi vel Epiſcopi.

TITU-

TITULUS XXXII.

De Officio Judicis.

SUMMARIUM.

1. *Quis dicatur Judex: quando procedat ex officio Nobili, & quando ex Mercenario.*
2. *Quis poſſit eſſe Judex.*
3. *Quod ſit Officium Judicis.*
4. *Judex inferior debet ordinariè ſecundùm Leges ſtrictè procedere.*
5. *Pronuntiare ſententiam ſecundùm majora merita cauſæ.*
6. 7. *Non poteſt condemnare, quem privatâ notitiâ ſcit eſſe innocentem, licèt probetur Juridicè eſſe reus, in quacunque cauſa.*
8. *Quid ergo Judici in tali caſu faciendum?*
9. *Quæ Juris, non quæ Facti ſunt, ſupplere tenetur Judex, ſi omittantur à Partibus.*
10. 11. *An & qua ratione poſſit Judex accipere munera, & accepta teneatur reſtituere.*
12. *An in cauſa propria judicare.*

1 SCiendum, Judicem, qui ex *c. 10. de V. S. & l. 78. ff. de Judic.* ſic deſcribitur, *eſt perſona publica* (h. e. authoritate Juris, vel Conſuetudinis, vel Principis, vel alterius, cui compe-tit dare Judicem, vel conſtituere) *ad id ordinata, ut ſecundùm leges, & conſuetudines locorum, populo jus dicat*, ſcilicet cauſas rectè cognoſcendo, & juſtè decidendo duplici modo procedere poſſe, ex officio Nobili & ex officio Mercenario. *Ex officio Nobili* procedit, quando vel motu

tu proprio, vel ad inſtantiam quidem Partis, actionem tamen non habentis, vel non proponentis, ſed officium Judicis ſolummodo implorantis, procedit; ut ſi inquirit in crimina & criminoſos, ſi dat Tutores vel Curatores, ſi dat Advocatum vel defenſorem Parti, ob paupertatem &c. habere non valenti, ſi ſequeſtrat bona, de quibus litigatur, ſi terminatâ per ſententiam lite, executionem facit, ſi reſtituit natalibus, aut famæ, ſi reſtituit Minorem in integrum, vel aliquem infrà dimidium juſti pretii læſum, ſi cavet damnum, ſi abſolvit à cenſuris &c. *Ex Officio Mercenario* autem, quando ad inſtantiam Partis, actionem propriè dictam proponentis, facit ea, quæ Jus præſcribit; ut ſi poſt intentatam actionem citat Partes, audit teſtes, concedit dilationes, vel aliquid aliud præcipit, prohibet, permittit Partibus, ſi fert ſententiam vel Interlocutoriam vel Definitivam. Cæterùm etiam quando imploratur Judicis officium, v.g. reſtitutio in integrum, principaliter & contra certam perſonam, opus eſt conteſtatione litis, ſecus, ſi imploratur ſolùm incidenter. *c.2.h.t.* Ex definitione verò Judicis formantur ſequentes quæſtiones. 1. quis poſſit eſſe Judex. 2. quod ſit officium Judicis. 3. an ſemper teneatur ſequi præſcriptum Legis. 4. item probabiliora. 5. & ſcientiam publicam, quæ habetur per allegata & Juridicè probata. 6. an nunquam ſupplere omiſſa à Partibus. 7. nunquam accipere munera. 8. & nunquam judicare in cauſa propria poſſit. An & quomodo valeant acta Judicis exiſtimati,

ti, & putatitii tantùm, examinatur ad *tit.* 1. *de Judiciis lib. II.*

2 Dico 1. Non quilibet poteſt eſſe Judex, ſed ab hoc officio removentur aliqui *Naturâ*, ut ſurdi, muti, perpetuò furioſi, impuberes: alii *Moribus*, ut ſervi, fœminæ: alii *Lege*, ut Senatu moti ob turpem cauſam, infames. *l. 12. §. 2. ff. de Judic. l. 2. 32. ff. de R. J. l. 2. C. de Dignit.* Alii *Canone*, ut publicè excommunicati, hæretici (niſi ſint tolerati, & non recuſentur) *c. 24. de Sent. & re jud. arg. c. 13. §. moneantur de hæret.* Quòd Judex Ordinarius debet eſſe 25. & delegatus 20. annorum, dictum eſt *tit. 29. n. 26.* Circa impuberes & fœminas adverte, quòd in Germania maximè, ubi jurisdictio politica tranſit ad hæredes per ſucceſſionem apud illos, qui integras provincias & territoria pro ſe & familiis ſuis acceperunt in feudum, ea etiã derivetur in pupillos & minorennes, exercenda tamen per Tutores, Curatores, Adminiſtratores, imò quandoque etiam in fœminas Principes ſecundùm peculiaria ſtatuta aut conſuetudinem.

3 Dico 2. Officium Judicis principaliter eſt *jus dicere*, hoc eſt, partes litigantes, ſi componere non poſſit, audire, rationes & momenta, quæ pro ſe afferunt, ponderare & penſare diligenter, ut ſecundùm æquitatem & Jura ſententiam proferat, & prolatam exequatur, atque ſic ſuum cuique jus tribuat. Unde nulla odii vel iræ, amoris vel amicitiæ paſſione, nullis precibus aut muneribus ſe flecti patiatur; ſed ſine ulla perſonarum acceptione ſecundùm leges,

leges, & ſecundùm merita cauſæ indifferenter procedat. Ita jubent SS. Litteræ, ita SS. Canones, ita Leges Civiles, ita ratio Naturalis.

4 Dico 3. Judex, non ſupremus ſaltem, tenetur ordinariè ſecundùm leges publicas, ſtatuta particularia, conſuetudines locorum procedere, adeòque non pro arbitrio ſuo. *c. 1. de Conſtit. pr. Inſt. h. t. Nov. 82. c. 13.* Dixi 1. *non ſupremus ſaltem;* nam ſupremus, & qui habet jura Regalia, inter quæ eſt etiam Bannus ſanguinis, ex rationabili cauſa rigorem Legis temperare, & ſtatutas pœnas relaxare valet; modò id non cedat in damnum tertii, vel Reipublicæ, aut indè timenda ſit major peccandi libertas. 2. *ordinariè;* nam propter circumſtantias graves etiam Inferiori Judici recedere licet à cortice & littera Legis (non à mente Legislatoris) & per epiikiam ſic interpretari mentem Legislatoris, quòd hîc & nunc nolit ſecundùm rigorem procedi; cùm in omnibus ratio magis æquitatis quàm ſtricti Juris habenda ſit. *l. 8. C. de Judic.* Et hoc maximè obſervandum eſt in pœnis infligendis, quas, ſi à Lege jam ſunt determinatæ, inferior quidem Judex condonare vel mitigare nequit. *l. 1. C. ad S. C. Turpill.* non modica tamen arbitrandi facultas ipſi relicta eſt vel ad augendas, vel ad minuendas, propter varias delictorum & delinquentium qualitates & circumſtantias. 3. *ſecùndum ſtatuta & conſuetudines;* ſiquidem ſemper Jus noviſſimum ſequi oportet, per *l. 1. ff. ad L. Aquil.* Statuta autem & conſuetudines lo-

Digitized by Google

locorum faciunt ſæpe Jus recentius, & derogant Legibus publicis & ſcriptis.

5 Dico 4. Judex in cauſis Civilibus tenetur pronuntiare pro illa Parte, quæ diſcuſſis & pēſatis diligenter omnibus, ipſi videtur habere cauſam probabiliorem: ſi verò æqualis ex utraque Parte apparet probabilitas, neutri favere magis, nec poteſt pro libitu cauſam adjudicare uni, neglectâ alterâ, ſaltem cœteris paribus. Primum membrum eſt deciſum ab Innoc. XI, oppoſitam propoſitionem damnante, ſic ſonātem: *probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem, etiam minùs probabilem.* Alterum, quamvis in oppoſitum citetur Arriag. Ledes. &c. mihi certum eſt; quia Judex, utpote non Dominus rei controverſæ, tenetur eam illi tribuere, cui majus & certius ad eam jus competit: ergo ſi ſpectatis cauſæ meritis deprehendat, neutri majus aut certius jus competere, ſed æqualem eſſe probabilitatem pro utraque Parte, neutri poteſt rem totam adjudicare ſine injuſta perſonarum acceptione, ſed debet cuique tribuere jus ſuum; ac proin vel inducere Partes ad transactionem, vel ad compromittendum in arbitros, ſi res ſit indiviſibilis; vel, ſi ipſa vel pretium ejus diviſibile ſit, cuilibet partem æqualem dare; niſi ipſæ Partes velint rem committere ſorti. Dixi 1. *In cauſis Civilibus;* in Criminalibus enim, ſi reus habeat cauſam æquè probabilem, vel etiam minùs, verè tamen probabilem, ipſi magis favendum eſt quàm Accuſatori. per *c. 11. de R. J. in 6. & l. fin. C. de Prob.* ubi ad pœnam, ordinariam ſaltem, reo

reo infligendam requiruntur probationes luce meridiana clariores; cùm *ſatius ſit impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentiam damnare. l. 5. ff. de pœnis.* 2. *ſaltem cœteris paribus*; ſi enim alterutra Pars eſſet in poſſeſſione, vel haberet cauſam de Jure favorabilem, uti eſt cauſa dotis, Matrimonii, & quoties agitur de valore actûs, pro quo de Jure ſtat præſumptio, pronuntiandum foret pro poſſidente, vel cauſam favorabilem habente, licèt aliàs utrimque ſit æqualis probabilitas, & dubium facti æquale. *c. 65. de R. J. in 6. c. fin. de Sent. & re jud. l. 10. ff. de inoffic. Teſtam.*

Dico 5. Non tenetur, imò non poteſt Judex condemnare illum, qui ſecundùm allegata Juridicè probatus eſt reus, quem tamen ipſe privatim certò ſcit eſſe innocentem, non tantùm in Criminalibus, ſed etiam in Civilibus cauſis. Ita Abb. *in c. 28. §. quia verò n. 8. de Off. Deleg.* Beſoldus *de Proceſſu c. 3. th. 1. l. 6.* König *ad tit. de Probat. n. 38.* Saà, Gormaz &c. contra S. Thomam. *2. 2. q. 64. a. 6. ad 3.* Covarruv. Valent. & contra pleroſque Theologos antiquiores, qui nobis ex toto contradicunt. Item contra Leſſ. *l. 2. de J. & J. c. 29. à n. 78.* Laym. *tr. 6. c. 2. n. 8.* Lug. Haun. Pirh. &c. qui nobis ex parte adverſantur, dum quoad cauſas *Criminales Majores*, ubi agitur de pœna mortis vel mutilationis, ſentiunt nobiſcum, non verò quoad cauſas Criminales *Minores*, ubi agitur de pœna exilii tantùm, vel corporis afflictiva, vel de privatione officii, beneficii, aut bonorum temporalium; nec quoad cauſas *Civiles*, 6

 ubi

ubi ſolùm agitur de intereſſe Actoris. His quidem & ego non ita pridem acceſſeram, ſed nunc re meliùs conſiderata mutavi mentem, & ſubſcribo primis, ac in diſcrimi atim tam quoad cauſas Civiles quàm quoad Criminales omnes nego poteſtatem Judici condemnandi innocentem, &

Probo ſic. Neque Jus Naturale, neque Divinum, neque Humanum permittit Judici condemnare innocentem cognitum ut talem, imò prohibent ſingula: ergo. Ant. prob. eundo per ſingula Jura. *Jus Naturale*, & eſſentia Juſtitiæ, tam Commutativæ quàm Vindicativæ, exigit æqualitatem & proportionem inter ſolutionem & obligationem, inter pœnam & culpam: ſed inter ſolutionem veram & obligationem nullam, inter pœnam veram & culpam falſam, nulla datur æqualitas vel proportio: ergo Jus Naturale, & Juſtitia tam Commutativa quàm Vindicativa, non permittit, imò prohibet à Judice ſolutionem præcipi, quando ipſi certum eſt, obligationem revera dari nullam, & infligi pœnam, quando eidem certum eſt, non præceſſiſſe culpam: ergo. Certè rectæ rationi repugnat, eum condemnari ad ſolvendũ, qui nihil debet, & puniri, qui non deliquit. *Jus Divinum* Exod. 23. ſic inter alia præcipit Judici: *non ſuſcipies vocem mendacii: nec in Judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies. - - - Inſontem & juſtum non occides:* ergo Judicem obligat, ut in condemnando ſolam veritatem cognitam, non verò multitudinem teſtium, quibus aliquis Juridicè probatur

tur reus, contra veritatem attendat. *Jus Humanum* utrumque à Jure Naturali & Divino nō facit divortium; nam Jus *Canonicum c. 1. de Sent. & re jud. in 6.* iubet Judices Eccleſiaſticos procedere *ſecundùm conſcientiam & juſtitiam, cùm æterni tribunal Judicis illum reum non habeat, quem injuſtè Judex condemnat*, ac in ferendis generaliter eos vult *præ oculis habere ſolum Deum*: ſed quem Judex condemnat, ſciens eſſe innocentem, licèt Juridicè convictum, tribunal æterni Judicis reum non habet, nec Judex condemnando ſolùm DEUM, ſed teſtimonia falſa hominum, præ oculis habet. *Jus Civile*, quo maximè nituntur Adverſarii, quando vult Judicem procedere ſecundùm allegata & probata in Judicio, unicè vult ideo, ut Judici certiùs innoteſcat veritas, & ut minùs fallatur circa merita cauſæ, ut conſtat ex *l. 6. ff. de Off. Præſ.* ibi. *Præſes provinciæ id ſequatur, quod convenit eum ex fide eorum, quæ probabuntur, ne veritas vitietur erroribus*: at, quod falſum eſt, *probari* non poteſt Judici, falſùm eſſe ſcienti; quia probare aliquid Judici eſt fidem ei facere, & movere, ut credat; quomodo autem *credere* poterit verum, quod ſcit eſſe falſum? Idem patet ex *l. 2. 3. ff. & Novell. 90. de teſtibus*, ubi jubet Judicem diligenter excutere fidem teſtium, teſtem ſuſpectum repellere, vel minus fidei tribuere &c. ſi ergo Jus Civile prohibet Judici, ne cæco modo fidat teſtibus ſuſpectis, utique non volet eum ſequi fidem teſtium, quos ſcit eſſe perfidos & falſum teſtari. Si ergo Judici aliunde conſtat de veritate, tanquam fine unico,

Digitized by Google

co, quem Leges intendunt, dum jubent audiri teſtes &c. non ampliùs attendi debent teſtes tanquam media ad finem, ne, dum in favorem innocentis cautelas præſcripſerunt, per easdem opprimant innocentem, contra *reg. Jur. 61. in 6. quod in gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.* Confirmatur 1. non licet alicui ſententiam exequi, quam certò ſcit eſſe injuſtam, & Juri Naturali ac Divino repugnantem. per *c. 13. de reſtit. ſpoliat. & c. 44. de ſent. excom.* ergo nec Judici licet pronuntiare ſententiam, quam ſcit eſſe revera injuſtam. Confirm. 2. Judex non poteſt ferre ſententiam juxta opinionem minùs probabilem, ut conſtat ex damnata propoſitione cit. ergo à fortiori non poteſt ferre juxta opinionem certò falſam. Adde, quòd Judex teneatur procedere ſecundùm ſuam, non aliorum, etiam plurimorum (licèt non conſtet, eos decipi vel decipere) ſententiam & judicium. per *l. 1. §. 6. C. de Vet. jur. enucl.*

Speciale argumentum quoad cauſas Criminales majores pugnat pro noſtra ſententia, ſcilicet hoc: directè occîdere innocentem eſt intrinſecè malum, non minùs, ac ſi homo privatus, nulla jurisdictione in alios præditus, occideret aliquem, quem ſcit propter ſcelera fuiſſe mortem promeritum, nec minùs, quàm copula carnalis extra conjugium; quia contra Jus Naturale eſt occîdere aliquem extra caſum, pro quo DEUS, qui ſolus eſt dominus vitæ humanæ, poteſtatem non dedit occîdendi: ſed nullibi dedit DEUS poteſtatem Judici inſon-

ſontem occîdendi, quem ſcit eſſe talem, imò expreſsè prohibuit *c. 23. Exod. cit.* Neque ipſa Reſpublica voluit dare hanc poteſtatem, ut colliges ex dictis, imò nec potuit; quia ipſa Reſpublica non accepit hanc poteſtatem à DEO.

Oppones 1. Judex eſt perſona publica: ergo in omnibus cauſis controverſis definiendis debet ſequi ſcientiam publicam, quæ habetur ex allegatis & probatis, non verò ſuam privatam. 2. tenetur ſequi ſcientiam publicam *Juris*, h. e. judicare ſecundùm Jura & Leges, non juxta privatam opinionem, etſi putet ſuam eſſe certam: ergo etiam ſemper tenetur ſequi ſcientiam publicam *Facti*, quæ habetur per probationes Juridicas, & non ſecundùm ſcientiam privatam, quam ipſe habet de re vel facto controverſo. 3. non debet plus credi uni, quàm pluribus: ſed hoc fieret, ſi Judex ſuam ſcientiam, & non teſtium aſſertionem, poſſet, vel deberet attendere. 4. qui Juridicè per teſtes probatur eſſe nocens, non eſt innocens: ergo Judex talem condemnando non condemnat innocentem. 5 Judex condemnans, quem ſcit privatim eſſe innocentem, non intendit directè ipſum, v. g. occîdere, ſed ſolùm indirectè; directè enim vult obſervare præſcriptam Juris viam, & ſic procurare bonum publicum: ſicut qui obſidet urbem, & dejicit turrim, in qua ſunt innocentes, ſolùm indirectè vult iſtos occîdere, & propterea non peccat dejiciendo, licèt ſciat, ibi etiam innocentes reperiri, & ſimul occîdi. 6. *In ore duorum vel trium ſtabit om-* 7

ne Verbum. Matth. 18. Item: *In ore duorum vel trium peribit, qui interficietur. Deut.* 17. ergo duobus vel tribus teſtibus convictum poteſt, & debet Judex condemnare. 7. Jura volunt cauſas decidi ſecundùm probationes & actitata. *l.* 6. *ff. de off. Præſ. Clem. fin.* §. *ſententiam de V. S.* Item in *c.* 28. §. *quia verò de off. deleg.* præcipitur Judici, cui demandatur executio ſententiæ, ut hanc exequatur, licèt *ſciat eſſe injuſtam*, niſi impetret liberationem ab hoc onere: ergo etiam Judex tenetur ferre ſententiam, licèt ſciat eſſe injuſtam, ſi alio modo declinare non poſſit prolationem ſententiæ. 8. noſtra doctrina præbet Judicibus anſam, ut ſe ſinant corrumpi pecuniis, & malefactores non puniant ſub prætextu, quòd privatim ſciant, eos eſſe innocentes: ergo.

℞. ad 1. & 2. tenetur ſequi ſcientiam, non tamen errorem publicũ, vel calumniam alienã, certè ſibi cognitam. Eſt quidem perſona publica ratione officii, non verò ab obligatione ſequendi teſtimonia falſa & errorem publicum. Ad 3. ſiquis habet certam rei ſcientiam, prudenter eam præfert mille teſtibus, oppoſitum aſſerentibus: nec talis ſibi *credit*, ſed *ſcit* veritatem. Ad 4. Diſt. *Ant.* non eſt innocens apparenter. C. verè. N. *Ant.* aliàs Chriſtum oportebit dicere nocentem, quia plures teſtificati ſunt, eum eſſe reum mortis. Ad 5. N. quòd ſolùm indirectè intendat occidere; quia eodem modo tendit condemnans ad mortem, qui ſcit innocentem eſſe, quem condemnat, quo modo tendit condemnans, qui ſcit nocentem

eſſe,

Digitized by Google

eſſe, quem condemnat; nec obſtat, quòd condemnet invitus: nec aliud objectum ab occiſione diſtinctum aſſignari poteſt, quod immediatè & directè velit ſententia Judicis condemnatoria ad mortem, quàm occiſio. Aliud eſt in dejiciente turrim; apud hunc enim facilè aſſignatur objectum immediatè intentum, quod ſit diſtinctum & ſeparabile ab occiſione innocentum, ſcilicet ipſa dejectio turris, quæ impedit expugnationem urbis, quam juſtè intendit obſidens urbem. Dein hoc modo facilè excuſaveris hominem privatum, qui occîdit ſceleratum, dicendo, talem directè intendere bonum publicum per occiſionem ſcelerati promovendum, occiſionem verò ſolùm indirectè. Item excuſaveris Pilatum, dicendo, quòd Christum indirectè ſolùm, adeóque juſtè occîderit, directè autem intenderit redimere vexam, & impedire tumultum populi.

Ad 6. Illis textibus probatur quidem, quòd ſine plena probatione & absque teſtimonio duorum vel trium nullus ſit condemnandus, præſertim ad mortem (niſi id exigat urgens Reipublicæ periculum, & Judex Supremus aliunde habeat ſufficientem notitiam delicti) & quòd poſſint duo vel tres teſtes ſufficere, non verò probatur, quòd ſufficiant duo vel tres teſtes ſemper & in omni caſu, præſertim quando ſcitur, teſtes deponere falſum. Sic de Jure Civili non ſufficiunt duo vel tres teſtes ad valorem Teſtamenti, nec de Jure Canonico ad valorem Matrimonii duo vel tres qualescunque, ſed in-

ſuper Parochus. Ad 7. Illa Jura procedunt ex ſuppoſito, quòd aliunde non conſtet Judici veritas, & ex præſumptione, quòd probationes & allegationes ſint aptæ facere fidem Judici, ut patet ex dictis, cùm Jura velint adhiberi teſtes & probationes ſolùm ideo, ut detegatur veritas, & non condemnetur innocens: ſi ergo aliunde conſtet de veritate, inutiliter afferuntur probationes in contrarium; vel ſi conſtet Judici, teſtes falli & fallere, fidem eis habere nequit; cùm præſumptio cedat veritati. per *l.* 29. *ff. de probat.* Ad *c.* 28. *cit.* de Executore dico, neque hunc poſſe licitè exequi ſententiam notoriè injuſtam, cùm talis ſententia ſit nulla, aut ſi ſententia contineat intolerabilem errorem, ut vocat S. Th. *loc. cit.* aliàs enim excuſare poſſes etiam carnifices, qui Martyres occiderunt. Si autem non eſt notoriè injuſta, poteſt executor ſuum judicium ſubmittere judicio demandantis executionem, & credere, quòd is juſtè & licitè hanc executionem demandaverit; cùm talis mandatarius *teneatur obſequi* mandanti, ut loquitur textus, & non examinare ſententiam. Ad 8. Retorq. imprimis argum. Adverſariorum doctrina præbet malevolis hominibus anſam, ut perfidè conſpirent falſis teſtimoniis in inimicum, quem bonis emungi, vel è medio tolli cupiunt, ſi nempe ſciant, ſemper neceſſariò deferendum à Judice duobus teſtibus. Dein N. *Ant.* raro enim & prorſus per accidens fiet, ut Judex ſe velit exponere tantis incommodis & periculis, quanta ipſum manerent, ſi malefactorem verè talem

con-

contra depoſitionem teſtium liberare niteretur ſub prætextu cognitæ privatim innocentiæ; totis enim viribus contra talem Judicem inſurgerent cum Actore & Accuſatore teſtes, veritatis conſcii. Demum ex abuſu doctrinæ, ex malitia hominum fortè ſecuturo, non debet omitti illius propugnatio.

Quæres, quid ergo Judex facere debeat, ſi ſciat privatim innocentem, quem teſtes vel aliæ probationes reum vel debitorem faciunt? ℞. debet (etiam juxta Adverſarios, antequam condemnet) tentare omnia, ut liberet innocentem, videlicet repellere actorem vel accuſatorem, deterrere teſtes, ſignificando, ſibi de rei veritate certò aliunde conſtare: ſi hæc non proficiant, tenetur exactiùs & per intervalla examinare teſtes, an non vacillent &c. differre ſententiam, ut interim veritas detegatur magis, vel negotium deferre ad Superiorem, ibique ipſemet agere teſtem pro innocente: ſi denique nec iſta ſufficerent (quod vix unquam continget) & ipſe Judex periclitaretur de officio ſuo, ſi non condemnaret, poſſet quidem in cauſis Civilibus ferre ſententiam contra innocentem; cùm non teneatur cum tanto ſuo incommodo alienam utilitatem procurare, & condemnatus (utpote in conſcientia non obligatus hac ſententia) poſſit occulta compenſatione ſibi damnum reſarcire, vel alio tempore novum Proceſſum inſtituere &c. In cauſis autem Criminalibus majoribus deberet potiùs ſuſtinere privationem officii ſui, quàm condemnare innocentem, niſi mallet in praxi ſequi oppo- 8

po-

poſitam ſententiam, utpote verè probabilem: id quod poſſet juxta principia Theologica de Probabiliſmo.

9 Dico 6 Judex poteſt, imò ex officio debet ſupplere ea, quæ Juris ſunt, & à Partibus vel earum Advocatis omiſſa; non verò, quæ ſunt Facti, ſaltem regulariter. Text. & DD. in *l. un. C. ut, quæ deſunt Advocatis. gl. in c. 3. de Poſtul. Præl.* Pirh. *n. ult. h. t.* Dixi 1. *quæ Juris ſunt*, v. g. examinare, vel rejicere libellum ineptum Actoris, deferre juramentum calumniæ, dilationes concedere, repellere teſtes non legales, ſuggerere exceptionem Præſcriptionis, Senatus-Conſulti Velleiani, rejicere præſcriptionem illegitimam, inſtrumentum falſum &c. allegare Legem, Canonem, Statutum, Conſuetudinem. 2. *non verò, quæ ſunt Facti*, ſeu quæ conſiſtunt in facto, & ad proprium privatumque litigantium ſpectant commodum, uti ſunt producere teſtes, inſtrumenta, vel alias probationes, opponere exceptiones, quæ non ſunt Juris, uti privilegio ſpeciali, conceſſis dilationibus &c. petere ſatisfactionem pro injuria &c. Ut enim hæc faciat Pars, non tenetur Judex monere, imò nec poteſt, quin ſe faciat ſuſpectum de ſtudio Partium, vel ſine præjudicio alterius Partis: neque Judex tenetur agere Advocatum Partium. 3. *ſaltem regulariter*; ſi enim factum eſt notorium, ut ſi aliquis notoriè ſit inhabilis ratione delicti, vel excommunicationis &c. ad ſtandum in judicio: ſi factum reluceat ex actis, v. g. quòd reus jam præſcripſerit, quòd habeat privilegium &c. ſi vertatur

peri-

Digitized by Google

periculum animæ, ut contingit quandoque in Matrimonialibus cauſis: ſi agatur de bono publico, de cauſa pia, miſerabilium perſonarum, pupillorum &c. poteſt, imò ex officio tenetur Judex ſupplere ea, quæ facti ſunt, & attendere, etſi omittat, vel ſe in illis non fundet Pars.

Dico 7. Judex, quamvis non peccet acci- 10
piendo ſportulas, vel etiam xenia, peccat tamen accipiendo munera; ad reſtitutionem verò acceptorum probabiliùs non tenetur ante ſententiam Superioris, niſi accepiſſet per modum pretii pro executione muneris ſui, aut dans non offerat ſponte, ſed ad redimendam vexam. Aſſertio, quæ plura habet membra, probatur explicando ſingula. Dixi 1. *ſportulas*, quæ nimirum habent rationem ſtipendii pro ſuſtentatione, vel mercedis pro labore in cognitione & diſcuſſione cauſæ impenſo, ac exiguntur ab utraque Parte litigante æqualiter, & ideo exactio & datio ſportularum non inducit periculum, ut Judex magis faveat uni, quàm alteri Parti. Hæc ſportularum receptio locum habet, ubi Judex ſalarium vel nullum, vel non ſufficiens, laborique reſpondens habet: atque potiùs in conſuetudine fundatur, quàm in Jure, ſaltem Canonico. 2. *vel etiam xenia*: ſic vocantur munera liberaliter oblata, ſed in modica quantitate, ac ferè conſiſtunt in eſculentis vel poculentis, quæ intra paucos dies abſumi poſſunt. Horum receptio permittitur *l. 18. ff. de Off. Præſ. c. 11. §. inſuper de Reſcr. in 6.* quia, ut ait *gl. in c. cit. v. conſumi*, non eſt veriſimile, quòd propter munera tam tenuia

tenuia moveatur animus judicantis; munerum enim acceptio & datio prohibetur maximè propter periculum, ne indè moveatur, ſeu corrumpatur animus Judicis, atque inclinetur ad ferendam ſententiam iniquam. *arg. l.2.ff. de condict. ob turpem cauſ.* Et quamvis *in Nov. 8. in fine* videatur prohiberi omnis munerum, etiam tenuium, acceptio per verba, *nihil penitus ab eis accipientes*, ac propterea Jus antiquũ *l.18.cit.* eſſe correctũ autument graves DD. cum Molina *to.1.tr.2.d.84.* qui proin docent, nulli Judici (exceptô delegatô Pontificis propter *c.11. cit.*) permiſſum eſſe etiam xenia accipere. Verùm conſuetudo, & communis Confeſſariorum perſuaſio, vel derogavit iterum *Nov. 8. cit.* vel etiã explicat, quòd loquatur de muneribus propriè dictis & in notabili quantitate. Interim, quamvìs probabiliter non peccet xenia accipiens Judex, tamen longè magis ſuæ famæ & integritati conſulet, Deúmque ſibi valde propitium reddet, ſi etiam iſta reſpuat. 3. *peccat tamen accipiendo munera*, ſcilicet ſponte & liberaliter oblata dona. Et quidem peccat graviter, ſi ſcilicet in magna quantitate accipiat, præſertim ſi ſit notabile periculum, ne inclinetur indè ad perverſionem juſtitiæ, vel ne oriatur grave ſcandalum. Sumitur ex *c.11. cit. c.10. de vita & honeſt. Cler. l. 18. cit. l.3. ff. de L. Jul. Repetundarum. Auth. Novo Jure C. de pœna Judicis.* Ratio autem prohibendi fuit periculum pervertendæ juſtitiæ, quod ordinariè datur. Unde, licèt liberaliter dentur, & Judex firmiter apud ſe ſtatuat propterea nullo modo recedere à juſtitia,

ad ó-

adeóque contra Jus Naturale non peccet; peccat tamen adhuc contra Jus Poſitivum humanum, quia, cùm Leges citatæ fundentur in periculo univerſali corrumpendi animos Judicum per munera, non ceſſant, ceſſante periculo in aliquo caſu particulari. Mira certè, inſenſibilis quaſi, & periculoſa vis ineſt muneribus, ut ſaltem ex motivo gratitudinis reddant animum propenſum danti, & intellectum excæcent. *Deut.* 16. & ſubvertant verba juſtorum. 4. *ad Reſtitutionem verò non tenetur ante ſententiam*, licèt à donante data ſint cum aliqua ſpe obtinendi exinde victoriam. Ratio eſt, quia non ſufficienter probatur ex Jure, quòd obliget in foro interno ad reſtitutionem faciendam ante ſententiam. Vid. dicta *de Electione à n. 27.* ſicut non probatur, electionem indigni, qui talis eſt tantùm Jure Humano, in foro interno irritá eſſe, & electum obligari ad Dignitatem non acceptandam vel dimittendam, nemine quidquam movente contra ipſum. Caſu quo autem per ſententiam condemnatur Judex ad reſtituenda munera accepta (& juxta *Aut. cit.* etiam ad triplum in pœnam) reſtitutio non fit danti, quia etiam ex parte hujus fuit turpitudo, & delictum in dando, ſed Fiſco. *arg. L. 9. ff. de Jure Fiſci.* Non deſunt tamen multi AA. qui tenent, reſtitutionem munerum etiam ante ſententiam eſſe faciendam. 5. *niſi accepiſſet per modum pretii &c.* nam munera, quæ dantur & accipiuntur tanquam pretium pro adminiſtranda juſtitia, pro ipſa ſententia ferenda, & exercendo à Judice officio, reſtituenda ſunt ante omnem ſententiam,

tiam,

tiam, etſi data fuiſſent pro juſtiſſima aliàs ſententia. *can. 15. cauſ. 14. q. 5.* quia per ſe & Jure Naturali ſunt prohibita, & nulliter acceptata; cùm Judex ſine ullo titulo juſto acceperit, utpote aliunde obligatus ad faciendum ſuum officium. 6. *aut dans non offerat ſponte &c.* ſi enim data ſint munera præcisè ad redimendam vexam, h. e. quia aliàs apparet ingens periculum, ne feratur injuſta ſententia, vel, ut notat Molin. *lo. cit. d. 88* quia, niſi detur pecunia &c. Judex notabiliter ſegnis eſt in expedienda cauſa, in protrahenda lite finem non facit &c. vel quia ſatis inſinuatur Parti, muneribus opus eſſe, ſi velit habere ſpem victoriæ; hujusmodi munera debent ante omnem ſententiam reſtitui juxta communem, utpote injuſtè accepta; quia in donante defuit animus, ſufficienter liber ab injuſta coactione, donandi & transferendi dominium.

11 Oppones. Sententiæ vœnales, ſeu latæ à corruptis Judicibus, ſunt ipſo Jure nullæ, per *l. Vœnales C. quando provocare. can. ei, qui. 2. q. 6.* ergo & donatio munerum, facta cum ſpe obtinendi exinde faciliùs & citiùs victoriam, erit nulla, utpote quæ eſt tacita emptio ſententiæ: ergo talia munera reſtitui debent ante omnem ſententiam. ℞. N. ſuppoſitum, quòd tali caſu ſententia ſit propriè vœnalis; cùm munera non dentur per contractum oneroſum, tanquam pretium ipſius actûs Judicialis, ſed verè donentur, ut ſuppono, licèt cum aliquali ſpe faciliùs obtinendi favorabilem ſententiam, aut celeriorem expeditionem.

Dico

Dico 8. Judex (niſi ſit ſupremus Princeps, 12
alium ſupra ſe non recognoſcens) non poteſt regulariter cognoſcere, & ferre ſententiam in cauſa propria, requirente contentioſam juriſdictionem. *L. un. C. ne quis in ſua cauſa. can. 27. cauſ. 23. q. 4.* ſic non poteſt eſſe judex in lite, quæ ipſi movetur de dominio juriſdictionis: ſi à Patre ſit inſtitutus hæres: ſi agatur de reditibus ad ipſum pertinentibus. per *c. 5. de Off. deleg. l. 17. de Judic. Clem. 2. de rebus Eccl. alien.* Vid. dicta *tit. 29. n. 16. Per cauſam propriam* intelligo illam, in qua vertitur commodum vel detrimentum ipſius Judicis; & quæ requirit juriſdictionem contentioſam; nam licitum eſt exercere juriſdictionem voluntariam in cauſa propria. per *l. 2. ff. de off. Præſ.* Dixi, *regulariter*, nam ſi Judici quà tali fiat injuria, & quidem notoriè, poteſt eam in continenti punire. *l. 1. ff. ſiquis jus dicenti.*

Plura de Judice dabit *tit. 1. 2. de Judic. & foro compet. & tit. 27. de ſent. & re jud.* in libro II. Decretalium.

TITULUS XXXIII.

De Majoritate & Obedientia.

SUMMARIUM.

1. 2. Quid ſit Majoritas & Obedientia.
3. Quinam præcedant in Clero Sæculari.
4. Quinam in Regulari.
5. Quinam in concurſu utriusque Cleri, Sæcularis & Regularis.
6. Judex in controverſiis de præcedentia quis?

7. *Quinam Clerici debeant Epiſcopo jurare obedientiam.*

8. *Quibus in rebus obediendum Superiori.*

1 SCiendum 1. Cùm Judices & perſonæ Eccleſiaſticæ ſint prorſus diverſæ, majores & minores, neceſſarium omnino eſſe ad cavendam perturbationem & confuſionem, ut inter eas detur aliqua hierarchia & ſubordinatio, majoréſque præcedant, & his obediant minores. Proin opportunè ſubjungitur præcedentibus titulis præſens *de Majorit. & Obed.* Eſt autem *Majoritas*, prout hic conſideratur, nihil aliud, quàm præeminentia quædam, vi cujus unus eſt honorabilior alterô, ac propterea in congreſſibus, incedendi ordine, conſeſſu, ſtallo, ſuffragio, ſubſcriptione, ac aliis prærogativis antecedit. Obtinetur 1. ratione poteſtatis & juriſdictionis amplioris. 2. ratione Ordinis majoris (vel ſubinde etiam ratione Ordinantis. per *c. 7. h. t.* vi cujus cœteris paribus præcedit Ordinatus ab ipſo Papa) 3. ratione conſecrationis vel benedictionis, qua alii carent. 4. ratione privilegii à ſummo Principe conceſſi. 5. ratione ſenii, vel antiquitatis (intellige cœteris paribus) per *c. 1. h. t. & reg. 54. in 6.* Sic ex pluribus idem officium obtinentibus, vel eandem dignitatem, præcedit is, qui eam adeptus eſt prior, tam in Curia, quàm in Caſtris, tam in Academiis, quàm in Eccleſiis, & Ordinibus Religioſis. Quamquam autem difficile ſit, nec ſatis tutum edicere, quinam in particulari præcedant alios, cùm plerique in hac re ſint ad-

admodum delicati, juvat tamen ordinem adducere, quo vel de Jure vel de Conſuetudine (quæ hac in re maximè attendenda eſt) & ex communi DD. ſenſu ſeſe invicem ſequuntur 1. perſonæ Eccleſiaſticæ Sæculares 2. Regulares inter ſe. 3. Sæculares & Regulares commixtæ. Laicis verò majores eſſe Clericos & digniores (quamquam non quilibet Clerici præcedant quoslibet laicos in congreſſibus) per ſe patet, & quidem tantùm, quantùm ſpiritualia ac æterna præſtant temporalibus.

Sç. 2. *Obedientiam* naſci & conſequi ad Majoritatem. Conſiſtit præcipuè in duobus. 1. in reverentia & honore, quem inferiores exhibere debent Superioribus. 2. in ſubjectione erga illos, qui jurisdictionem obtinent in alios, vi cujus tenentur eorum mandata exequi, correctionem accipere, in judicio, ſi citentur, comparere &c. 2

Dico 1. In Clero Sæculari præcedunt 1. Pontifex Maximus. 2. Cardinales, etiamſi ſint tantùm Diaconi. 3. Patriarchæ & Primates. 4. Archiepiſcopi, 5 Epiſcopi, qui in ſua Diœceſi omnibus aliis antecellunt, niſi præſens ſit Legatus Apoſtolicus. 6. Archidiaconi 7. Archipresbyteri. His tamen duobus in Germania præferuntur Præpoſitus & Decanus, vel potiùs illorum loco ſubſtituti ſunt. 8. Scholaſtici, Cuſtodes &c. juxta Eccleſiarum conſuetudinem. 9. Canonici Cathedrales, cum Canonici Collegiatarum Eccleſiarum, ſemper digniorum vel antiquiorum: Canonici autem ejusdem Eccleſiæ ordinariè ſecundùm ſenium. 3

10. Proto-Notarii non-Participantes. 11. Parochi, Plebani, Sacerdotes Curati, & Eccleſiarum Parochialium Presbyteri. 12. Reliquus Clerus: Sacerdotes tamen præcedunt Diaconus, iſti Subdiaconos &c. Ita communis fundata in Jure partim Scripto partim nõ-Scripto. De Vicario Generali Epiſcopi (vel Capituli Sede vacante) controverſia eſt. De Jure Scripto primum quidem locum obtinet poſt Epiſcopum, & Sede vacante cedit ſolummodo illi, qui præcipuam dignitatem habet in Capitulo. Barboſa. *de Offic. Epiſc. alleg. 54. n. 167.* ſed de conſuetudine, præſertim Germaniæ, Canonicos Cathedrales non præcedit.

4 Dico 2. In Clero Regulari præcedunt 1. Abbates, &, qui his æquiparantur, Præpoſiti Exempti. 2. Abbates & Præpoſiti non-Exempti infulati. 3. non Infulati. Atque inter hos omnes, qui in eadem claſſe priùs adepti ſunt Prælaturas. 4. Generales. 5. Provinciales. 6. Superiores Locales. 7. Inter ipſos Ordines Religioſos præeminentiam habent per ſe *Canonici*, tum *Clerici* Regulares, dein *Monachi*, demum ſequuntur *Mendicantes*. 8. Ex qualibet harum claſſe, ubi plures concurrunt, illi, qui vel ex primæva fundatione, vel in tali loco ſunt antiquiores, vel qui ex Mendicantibus ſimul activam & contemplativam vitam profitentur; prout conſuetudo fert. Simile quid dicendum eſt de Fraternitatibus Laicorum. Ita rurſus communis.

5 Dico 3. in concurſu & comparatione Cleri Sæcularis cum Regulari poſt Epiſcopos proxi-

mi

mi ſunt Abbates & Prælati Regulares, in Dignitate conſtituti, adeóque Canonicos Cathedrales, ſaltem ſeorſim & ſingulariter ſumptos, præcedunt propter benedictionem & jurisdictionem, quam habent: ſecus, ſi Canonici incedant Collegialiter cum ſuo Capite, Decano, vel Præpoſito. Abb. *in c. 12. de Præſcript. n. 2.* quia ſic repræſentant Eccleſiam Cathedralem, quæ præeminet ante omnes Regulares. Imò in quibusdam locis ex conſuetudine honoratiorem præ Abbatibus locum ſibi vendicant Decanus, & Præpoſitus, Cathedrales, etiam ſolitariè incedentes. Quin & Parochus in ſua Parochia per ſe præcedit Abbates, & Canonicos Cathedrales, ſingulariter conſideratos.

Quæres, quis ſit Judex in ortis de præcedentia inter Clericos vel Confraternitates controverſiis? ℞. 1. ſi controverſia eſt inter perſonas Eccleſiaſticas Epiſcopo ſuperiores, eſt Pontifex: ſi inter inferiores, Epiſcopus. Trid. *S. 25. c. 13. de Regular.* ℞. 2. ſi lis eſt inter Confraternitates laicorum, & agitur in petitorio de ipſo jure præcedendi, eſt iterum Epiſcopus. per *c. 2. de Judic.* quia, ſicut proceſſiones & deductiones funerum ſunt res ſpirituales, ita jus præcedendi in hujusmodi proceſſionibus & deductionibus: ſi verò agitur in poſſeſſorio de quaſi poſſeſſione retinenda vel recuperanda, poteſt etiam Judex laicus cognoſcere, & decîdere (modò non admiſceatur quæſtio Juris, vel reus conventus non ſit Clericus) ſaltem, attenta conſuetudine. 6

Dico 4. Licèt omnes Clerici obedientiam de- 7

debeant ſuo Epiſcopo; de Jure tamen Communi ad juramentum, quo promittant ſpecialiter Epiſcopo obedientiam, compelli non poſſunt qui beneficium Curatum, vel Adminiſtrationem aliquam non obtinent, per *c. 2. h. t. & c. 5 de Jurejur.* In Diœceſi tamen Auguſtana omnes Beneficiati, etiam non-Curati, juramentum obedientiæ Epiſcopo præſtare jubentur in *Decretis Synod. Auguſtan. p. 3. c. 7.*

8 Dico 5. Superioribus obediendi obligatio solùm datur in iis rebus, in quibus aliquis ſubeſt. Ratio; quia in aliis rebus eſt inſtar non-ſubditi: ſic miles parere tantùm in bellicis tenetur Duci: ſic Religioſus habens Parochiam Epiſcopo ſubjectam ei ſolùm obedire tenetur in iis, quæ ſpectant ad curam animarum ritè adminiſtrandam; non verò in iis, quæ ad obſervantiam Regularem; in his enim obedientiam debet Prælato ſuo Regulari, Epiſcopo autem ſolùm tunc, quando Prælatus in iis curandis eſſet negligens.

TITULUS XXXIV.

De Treuga & Pace.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit Treuga & Pax.*
2. *Quid & quotuplex ſit Bellum.*
3. *An & quando Superior poſſit præcipere ſubditis Treugam & Pacem.*
4. *Bellum Offenſivum ut ſit licitum, debet indici legitima Auctoritate.*
5. *Debet adeſſe juſta cauſa ſufficienter certa. An talis*

Digitized by Google

taliſ ſit incrementum vicinæ Potentiæ.
6. *Debent priùs tentari remedia alia omnia.*
7. *Debet cum recta intentione decerni.*
8. 9. *Quid liceat & non liceat in Bello juſto.*
10. *Ad quid obligetur Princeps injuſtum Bellum gerens, vel non ſolvens ſtipendia militibus.*

SCiendum 1. Judicibus Eccleſiaſticis laborandum eſſe priùs, ut Partes litigantes ad concordiam diſponant, & ad litem extrajudicialiter componendam, quàm Proceſſum Judicialem admittant. per *can. 7.* & ferè *tot. diſt. 90.* Unde tractatur hic & in ſequentibus titulis de *Treuga & Pace: de Pactis: de Transactionibus.* qui ſunt modi litem vel bellum ſopiendi extra ſtrepitum Judicialem vel arma. Porro *Treuga* non eſt vox Latina, ſed vel Italica, aut Gallica, vel veriſimiliùs Germanica à voce Treu/fidem & ſecuritatem denotante; nam ex *c. 2. h. t.* Treuga definitur eſſe ſecuritas præſtita rebus aut perſonis ad tempus, diſcordiâ (vel bellô) nondum finitâ. Sive, eſt ceſſatio ab armis ad tempus, diciturque etiam *Armiſtitium, Induciæ*, ein Waffen-Stillſtand. *Ad tempus*, inquam; per hoc enim Treuga differt à Pace, quæ eſt finis belli & diſcordiæ, ſeu plena ac perpetua diſcordiæ ſedatio. Dividitur Treuga in *Conventionalem*, quando nimirum ipſi diſſidentes ex pacto ſolenniter conſentiunt in ceſſationem ab armis ad tempus, & in *Canonicam*, ſeu *Legitimam*, quæ videlicet à Lege vel potiùs à Canone ſtatuta eſt. *c. 1. & 2. h. t.* Treuga Conventionalis eſt Juris Gentium. *can. 9. d. 1.* imò Ju- 1

ris Naturalis, quod jubet ſervari fidem etiam hoſtibus, & iniquè nos vexantibus datam, ut docet communis, niſi alter priùs perfidè violet fidem, ſed intellige in eadem re, in eodem negotio, in correlativis; non verò ſi violet in diverſis, ne aliàs perfidia addatur perfidiæ. Treuga Canonica, de qua agunt duo *citt. cc.* vel nunquam fuit uſu recepta, vel iterum abrogata eſt; ibi enim jubetur treuga ſervari, & ceſſari ab armis, à qualibet feria 4.ta poſt occaſum ſolis uſque ad feriam 2. ante ſolis ortum, adeóque omnibus diebus Jovis, Veneris, Sabbathi, & Dominicis; item ab initio Adventû uſque ad Octavam Epiphaniæ, & à Quadrageſimæ initio uſque ad Octavam Paſchæ: Præterea treuga ſeu ſecuritas perpetua *c. 2. cit.* conceditur Clericis, Religioſis, peregrinis, mercatoribus, ruſticis in agricultura exiſtentibus, item animalibus, quibus arant & ſemina portant ad agrum. Sed triſtis bellorum experientia oſtendit, etiam has leges inter arma ſilere.

2 Sc. 2. Treugæ & Pacis idem eſſe objectum, videlicet Bellum, quod illa ſopit, iſta extingit. Et ideo non incongruè aliqua de Bello adnecti exiſtimem, cùm nullus de illo in Jure exſtet Titulus peculiaris. *Bellum* autem definitur eſſe diſcordia Principum, vel Rerumpublicarum, vim & arma ſibi mutuò inferentium, ſive: eſt ſtatus pugnæ publicæ duorum exercituum per vim certantium, ab iis, qui Superiorem non recognoſcunt, indictæ: ſi enim oriatur diſcordia vel pugna inter Principem & Subditos, *Rebellio*, ſi inter Rempublicam & Subditos, *Seditio*, ſi inter pri-

privatos, *Duellum* vel *Rixa* appellatur. Bellum dividitur in *Juſtum*, vel licitum, & in *Injuſtum* vel illicitum. Præterea in *Offenſivum* ſeu Aggreſſivum, quo vis infertur alteri vel ad vindicandam injuriam, vel ad acquirenda ſua; ſi nempe alter renuat præſtare ſatisfactionem, vel reddere injuſtè occupata. *can. 2. cauſ. 23. q. 2.* & in *Defenſivum*, quo vis per injuriam illata cum moderamine inculpatæ tutelæ repellitur, & pro defenſione Regni, provinciæ, ſubditorum, amicorum, fœderatorum &c. ſuſcipitur contra injuſtum invaſorem. Hoc poſterius ſic deſcriptum certè & ſemper eſt licitum ac juſtum; cùm vim vi repellere omnes Leges & Jura permittant. Aliud eſſet, ſi quis nollet alteri parti ſatisfacere, etiamſi ſciret, ſe injuſtè illam læſiſſe; tunc enim nec defendere ſe poſſet per Bellum. An & quomodo licitum ſit Offenſivum, patebit ex dicendis.

Dico 1. Princeps poteſt ſubjectis ſibi populis, ſi fortè inter eos publicæ oriantur diſcordiæ vel bellum, præcipere regulariter, ut pacem vel treugam faciant: imò quandoque etiam privatos, inter quos diſſidium privatum oritur, ad faciendam compoſitionem cogere. Text. & DD. in *l. 13. ff. de Offic. Præſ. Novell. 17. c. 2. c. 1. h. t.* Si tamen inter ſummos Principes Chriſtianos, quorum omnium, ſaltem in ſpiritualibus, Superior eſt ſummus Pontifex, bellum geritur, non expedit, ut Pontifex ſe immiſceat præcipiendo pacem, ne fortè aliquem periculoſo odio inflammet contra Eccleſiam Romanam, ſed potiùs velut Mediator & Pater Uni- 3

verſalis amicabilem compoſitionem procuret absque ſtudio Partium, imò vel absque ſuſpicione hujusmodi. Dixi, *quandoque etiam privatos &c.* hos enim Superior debet generaliter permittere jus ſuum in Judicio proſequi. *Novell. 124. c. ult.* niſi nimirum ex lite privatorum timeatur bellum publicum, vel gravis perturbatio Reipublicæ: niſi cauſa ſit valde intricata, & vix poſt longiſſimum tempus terminanda: niſi ſit cauſa liberæ diſpoſitioni Principis relicta, uti ſunt cauſæ beneficiales ſummo Pontifici. Plura de Treuga & Pace non occurrunt, bene tamen

De Bello.

4 Dico 2. Ut Bellum offenſivum ſit juſtum & licitum, requiritur 1. ut inferatur ab habente poteſtatem inferendi, quæ competit ſolis ſupremis Principibus, vel Rebuspublicis, ſuperiorem non recognoſcentibus in temporalibus. Communis cum S. Tho. *2. 2. q. 40. a. 1.* ex can. *quid culpatur. 23. q. 1.* Ratio, quia indicere Bellum eſt actus Juſtitiæ Vindicativæ, quæ per ſe in ſolis ſupremis Magiſtratibus reſidet, ad quos principaliter ſpectat tueri Rempublicam, & imperare inferioribus in re tanta totam Communitatem afficiente. Si tamen Princeps ſupremus, poſtquam ab inferiore Principe vel Statu debitè requiſitus eſt, ut injuriam, vel damnum ſibi ab alio illatum vindicaret, vel imminens averteret, ſed ſine fructu, poſſet inferior Princeps vel Status movere Bellum non modò adversùs externum, ſed etiam internum, & contra ipſum Principem, injuriam vel damnum inferentis Superiorem, & ſibi aſſiſtere nolentem, poſt-

poſtquam requiſitus eſt, ſaltem ſi Bellum eſſet neceſſarium ad propulſandam novam injuriam vel damnum. Palao *p. 1. tr. 6. d. 5. pu. 2. n. 3. 5.* Molina *tr. 2. d. 100.* Knippſchild *de Nobilit. l. 3. c. 1. n. 32.* Idque videtur Jus Naturale permittere tanquam defenſionem neceſſariam.

Requiritur 2. cauſa juſta, ſufficienter certa. 5
Iterum communis cum S. Thom. *loc. cit.* Juſtæ autem cauſæ cenſentur eſſe 1. ut recuperetur provincia, civitas, vel aliæ res, quæ ab altero debentur, & non redduntur. 2. ut vindicetur gravis contumelia aut injuria, Principi vel Reipublicæ illata, ſi alio modo obtineri nequeat ſatisfactio. 3. ut ſumatur ultio de gente vel Principe, qui præbet auxilium hoſti, Bellum injuſtum gerenti. 4. ut vindicetur perfidia eorum, qui cum Principe vel Republica initum fœdus violârunt cum gravi damno, vel injuria illius. 5. ut reprimantur, qui tuentur nocentes & Reipublicæ pernicioſos. 6. ut reprimatur & puniatur injuſta ſubditorum rebellio. 7. ut gerenti juſtum Bellum, vel ſociis, afferantur ſuppetiæ. 8. ut vera fides defendatur contra hoſtes ſuos &c. In genere ad triplex genus reduci poſſunt omnes cauſæ, nempe ad injuriam (vel injuſtum damnum) *impediendam*, *reparandam*, *& vindicandam.* per *can. in capite. 23. q. 1.* Dixi, *ſufficienter certa*, ſcilicet moraliter: nam non ſufficit probabilitas, etiam major, de injuria (damno) inferenda vel illata; nam Bellum inferens eſt quaſi *Judex*, ac ſimul quaſi *Actor*, contra quem autem movetur, eſt quaſi *Reus*: ſed *ubi Partium jura ſunt obſcura, Reo favendum eſt potiùs quàm Actori.*

Digitized by Google

Actori. Reg. 11. in 6. Atque in dubio melior eſt conditio poſſidentis. *Reg. J. 65. in 6.* ſed qui injuriam vel illaturus creditur, vel putatur intuliſſe, eſt in poſſeſſione innocentiæ, donec moraliter de ea conſtiterit. Et in cauſa ſanguinis, qualis utique eſt Bellum, requiruntur probationes luce meridiana clariores *l. fin. C. de probat.* Et Actore non plenè probante Reus eſt abſolvendus. *l. 4. C. de Edendo.* Præterea caſu, quo neuter litigantium adhuc eſt in poſſeſſione rei, pro qua litigant, non ſufficit ad inferendum Bellum, ſi æqualis pro utroque ſtat probabilitas; quia quilibet eam occupando exponeret ſe periculo uſurpandi rem alienam, v. g. civitatem, provinciam. Idem ferè eſt, ſi pro uno ſtet quidem major probabilitas, non tamen certitudo. Debet igitur res vel committi ſorti, vel arbitrio Pontificis, aut aliorum virorum, æquitatis ſtudioſorum & peritorum, qui attentis cauſæ meritis utrique litigantium æqualem partem, ſi æqualia pro utroque litigante rationum momenta invenerint, vel uni majorem, ſi pro eo aliquem exceſſum probabilitatis & juris deprehenderint, adjudicabunt de re controverſa. Si verò alteruter litigantium in caſu æqualis, vel etiam majoris probabilitatis, vellet totam ad ſe rapere, nec diviſionem aut compoſitionem admittere, hoc ipſo alteri inferret injuriam, & cauſam præberet juſti adversùs ſe Belli movendi.

Curioſè hìc quæres, an ſufficiens Belli indicendi cauſa ſit, ſiquis advertat vicinam Potentiam creſcere, ac propterea metuat, ne ſibi

vel

vel Reipublicæ ſuæ cum tempore noceat? ℟. cum Schiara, qui fortè primus in typis movit quæſtionem hanc *in Theol. Bell. lib. 1. Difficult. 9.* Negativè: vel enim talis metuit nocumentum ab aucta vicina Potentia juſtè inferendum ſibi, vel injuſtè? Si prius; jus non habet eam impediendi, ne utatur jure ſuo: ſi poſterius, irrationabiliter timet, & non ſine injuria alterius injuſtam aggreſſionem, cùm præſumat temerè tantam de vicina Potentia iniquitatem & malitiam: niſi nempe contrarium ſit expertus, vel evidens habeat id metuendi indicium.

Requiritur 3. ut, antequam indicatur Bellum, tententur omnia alia media ad impediendam vel reparandam injuriam, aut reſarciendum damnum injuſtum; quia Bellum eſt medium valde pernicioſum regnis & ſubditis, ex quo innumeræ cædes & calamitates oriri ſolent, plerumque etiam in Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas &c. Bella proin neceſſitatis, non voluntatis ſunt. *can. 3. cauſ. 23. q. 1.* Unde etiam contingere poteſt, ut Bellum, quod per ſe eſſet quidem licitum, reddatur illicitum per accidens, ſi nempe prævideantur facilè eventura indè majora mala & damna, quàm valeat res debita. Et hinc ſolent boni Principes, quamvis Judicem & Superiorem non habeant in Politicis, aſſumere unum vel plures potentes Principes in arbitros, ſeu Judices compromiſſarios, antequam cruenta Bella decernant. Tenetur præterea Princeps acceptare juſtam ſatisfactionem, quam offert hoſtis, etiam poſt Bellum jam cœptum. Molin. *tr. 2. d. 103. n. 33.* contrà 6

Cajet.

Cajet. Ab hoſte tamen juſtè petuntur expenſæ, quas in Bellum facere oportuit ipſius causâ.

7 Requiritur 4. recta intentio, ſcilicet ut non ex odio quæratur vindicta, ſed ex amore Juſtitiæ, Religionis, Reipublicæ & ſubditorum, Pacis vel ſtabiliendæ vel promovendæ &c. arma ſtringantur. Quando autem ſola hæc intentio recta deeſt, adeſt tamen juſta & manifeſta cauſa, aliæque conditiones recenſitæ, nulla conſurgit obligatio reſtituendi, vel reſarciendi aliis illata per Bellum damna; quia deficiente hac conditione Bellum eſt quidem illicitum, non tamen injuſtum, ut tradit communis.

Oppones 1. Certò prævidentur ex Bello oritura ſemper graviſſima peccata, uti cœdes innocentûm, devaſtationes, expilationes templorum &c. calamitates maximæ provinciarum: ergo nunquam licet Bellum inferre. 2. Bellum offenſivum eſt contra dilectionem inimicorum, quam Chriſtus *Matth.* 5. præcepit. 3. eſt contra illud S. Pauli *Rom.* 12. *non malum pro malo reddentes, non vos vindicantes.* 4. deſiderare vindictam ad raparandam injuriam eſt actus odii, quia eſt alteri deſiderare malum. 5. Si liceat Bellum inferre ad vindicandam injuriam, poterit etiam inferri propter injuriam merè *materialem*, quæ illata eſt ſine peccato formali, quando nempe aliquis nocuit v.g. putans, rem eſſe ſuam, quam detinet: vel ignarus alterum lædi per aliquod factum: ſed hoc eſt difficile admittere: ergo. ℞. ad 1. Illa mala & peccata, ſi bellum cæteroquin ſit juſtum, ſequuntur per accidens, & majora forent metuenda, ſi bel-

ſi bellum non inferretur; quia cupidis & perverſis hominibus daretur anſa audendi & rapiendi omnia. Ad 2. præceptum dilectionis inimicorum tantùm vult, ut inimicis non inferatur malum, quâ ipſis malum eſt, non verò quà Reipublicæ, imò & ipſis bonum eſt: ſic enim defenditur Reſpublica, & ipſi abſterrentur & coërcentur, ne pejores fiant. Ad 3. vetamur quidem reddere malum pro malo privata auctoritate, & quatenus id alteri eſt malum: non verò auctoritate publica, & quatenus operáti malum cedit in bonũ: in hunc enim finem, teſte eodem Apoſtolo *c. ſeq.* Magiſtratus *gladium portat; eſt enim Miniſter Dei ad vindictam malefactorum.* Ad 4. Actus odii non eſt, quatenus alteri deſideratur malum, debito modo, à legitima auctoritate, & ſecundùm menſuram delicti inferendum; tunc enim non ſiſtitur in ma- [illegible]ximi, ſed in debito ordine juſtitiæ. Sed in re ſubtili & periculoſa ſtudioſè cavendum eſt, ne lædatur charitas, & vindicta quæratur ex paſſione odii; quod utique illicitum eſt. Et hinc, niſi in Rempublicam promanaret indè præjudicium, rectè condonaretur injuria. Ad 5. ſic habe: ſi bellum movetur ad reparanda damna, vel ad recuperanda ſua, ſufficit injuria materialis, ex parte lædentis: non verò, ſi movetur ad vindicandam *injuriam;* tunc enim iſta debuit eſſe formalis, & cum culpa Theologica ſeu peccato cõjũcta. Mol. *d.102.* Palao *pu.3.n.12.*

Dico 3. In Bello juſto licent ea omnia, quæ 8
ad conſequendum belli finem neceſſaria ſunt vel utilia. Molin. *d.117.* cum communi. Ratio eſt

eſt clara, quia, ubi finis eſt licitus, etiam media ad illum conſequendum debent eſſe permiſſa. Unde licitum eſt uti ſtratagematis, non malis intrinſecè, vaſtare agros, diruere arces; bona & terras hoſtiles occupare; milites adverſæ partis capere, occîdere, urbes obſidere & infeſtare ignibus &c. licèt per accidens contingat occîdi & lædi innocentes, ut ſunt fœminæ, infantes, perſonæ Eccleſiaſticæ; directè autem nunquam licet occîdere innocentes. *Exod.* 23.

9 Dico 4. Non tamen; etiam in Bello juſto, licent ſequentia. 1. uti amulethis Magicis ad corpora pugnantium reddenda impenetrabilia, quia hoc per ſe & intrinſecè malum eſt. 2. veneno inficere fontes, arma &c. quia eſt contra jus Gentium & Belli, quod robore virium & conſilio, non veneficiis gerendum eſt. 3. expilare Eccleſias, & locorum perſonarúmque Eccleſiaſticarum bona diripere; quia hæ perſonæ meritò cenſentur innocentes. Adde, quòd vi ſtatûs ſui ſint exemptæ à jurisdictione, multò magis à violentia ſæculari. 4. ex captis Chriſtianis facere ſervos propriè dictos, quia obſtat reverentia erga libertatem à Chriſto nobis reparatam. 5. occidere datos obſides, vel prælio devictos & captos, finitâ jam pugnâ & partâ victoriâ, niſi aliunde propter delictum meriti ſint mortem, ut ſi ſcienter injuſtum bellum ſuſcepiſſent vel promoviſſent: ſi tamen & iſti ſe dedidiſſent ſub conditione, eáque à capientibus acceptata, ne occîdantur, nec iſti occîdi poſſent. Pariter ſi omnes vel valde multi ex

captis

captis aliunde forent rei mortis, lenitas Chriſtiana exigeret, ne perimantur omnes, ſed ſolùm authores ſceleris, & magis nocentes. 6. bona innocentûm diripere ac devaſtare, niſi per hanc direptionem vel devaſtationem noceatur hoſti, & faciliretur victoria. Quòd ſi Reſpublica conſenſit ſecundùm majorem partem in bellũ, & ut non reſtituatur res debita bellum inferenti, tota Reſpublica cenſetur nocens, & omniũ bona diripi poſſunt ſecundùm quantitatem debiti. 7. Ducibus & militibus non licet agere contra voluntatem, ſaltem præſumptam, ſui Principis; & hinc ſi plùs nocent, quàm ipſis permittitur à ſuo Principe, tenentur ad reſtitutionem. Palao *pu. 4. n. 3.*

Dico 5. Si Princeps moveat bellum injuſtè, 10
non modò peccat graviſſimè, ſed etiam tenetur tam hoſtibus, quàm ſubditis ſuis, reſarcire damna indè ſecuta: quia planè fuit injuſta eorũ cauſa. Si tamen ſubditi abſque ulla coactione, ſcientes belli injuſtitiam, illud fuiſſent aggreſſi, ſubditis reſtituendi non foret obligatio. Molin. *d. 123. concl. 2.* Pariter Princeps peccat ſtipendia non ſolvendo militibus debito tempore, & tenetur reſarcire damna omnia, quæ milites neceſſitate preſſi tum patiuntur ipſi, tum inferunt aliis. Palao. *pu. 5. n. 2.*

TITULUS XXXV.

De Pactis.

SUMMARIUM.

1. *Pactum genericè & ſpecificè accipitur.*

2. *Ejus definitio, & differentia à Pollicitatione & Contractu.*
3. *Ejus diviſio, præſertim in Pactum Nudum & Veſtitum.*
4. *Quibus modis veſtiantur Pacta.*
5. *Pacta & Contractus iniri poſſunt purè, vel ſub conditione, vel ſub modo, vel in diem.*
6. 7. *Perſonæ aliquæ prohibentur paciſci & contrahere circa certa bona, caſtrenſia, quaſi-caſtrenſia, profectitia, adventitia.*
8. *Conſenſus in Pacto vel Contractu neceſſarius eſt, & qualis.*
9. *Pacta & Contractus inire generaliter poſſunt omnes, qui non prohibentur, & conſentire poſſunt.*
10. 11. *Pupillus ſine authoritate Tutoris paciſcens vel contrahens agit invalidè, probabiliùs etiam pro foro interno, niſi indè fiat ditior.*
12. *Idem eſt de Minorenni.*
13. *Quid Juris de Filio-familias paciſcente vel contrahente. Ubi de S. C. Macedoniano.*
14. *De quibus rebus iniri valeant Pacta. Ubi de Pactis ob turpem cauſam.*
15. *Nec de Jure Canonico datur actio ex Nudo Pacto.*
16. *Difficile eſt definitionem Contractûs dare.*
17. *Quid ſit Contractus Nominatus & Innominatus: Conſenſualis, Verbalis, Litteralis, & Realis: Bilateralis ſeu Oneroſus, & Unilateralis ſeu Lucroſus: Contractus Civilis & Juris Gentium: Contractus bonæ fidei & ſtricti Juris.*
18. *Quæ ſint ſubſtantialia, naturalia, ſolennia, & accidentalia Contractuum.*

19. Quid

19. *Quid ſit dolus, culpa Juridica, lata, levis, leviſſima, & quid caſus fortuitus.*
20. 21. *Definitio Contractûs & Quaſi-Contractûs.*
22. *In Contractibus Innominatis regulariter licet pœnitere.*
23. 24. 25. 26. *Quis teneatur præſtare dolum, culpam latam, levem, leviſſimam, & caſum.*

QUotidiani usûs hæc eſt materia de *Pactis*, & , qui potiſſima ſunt pactorum ſpecies, de *Contractibus.* Pactum enim vel genericè ſumitur, ut idem ſonet, atque Conventio, ſub qua ratione etiam complectitur contractus omnes; vel ſpecificè, & tunc opponitur contractibus, tanquam membrum dividens ejusdem diviſionam reſpectu Pacti in ſpecie ſumpti, & Contractûs in genere accepti. genus eſt *Conventio*, quæ ſub ſe continet omnes ſpecies obligationum, quas ſibi ipſi per ſuum conſenſum aliquis imponit. *l. 1. §. 3. ff. h. t.* & inter illas ſunt primo quaſi loco Pactum ſpecificè, & Contractus genericè acceptus. De utroque agemus hoc loco utiliſſimè, quia de *Contractibus in genere* peculiaris in noſtro Jure locus non exſtat; quamvis multi reperiantur tituli in libro III. de *Contractibus* variis *in ſpecie.* Ad quos hic generalia ponemus fundamenta. 1

§. I.
De Pactis in Specie.

Sciendum 1: Pactum genericè potius quam ſpecificè ſumptum in *l. 1. ff cit.* re definiri: *eſt duorum pluriumque in idem placitum conſenſus*, intellige de aliquo dando vel faciendo, aut non 2

dando, non faciendo. Siquidem plures Doctores vel Conſiliarii etiam conſentire & conſpirare poſſunt in idem placitum, quin tamen interveniat pactum; quia non ita conſentiunt, ut in uno oriatur obligatio præſtandi aliquid vel patiendi, in altero autem jus accipiendi aliquid vel faciendi. Effectus enim ac veluti proprietas Pacti cujuslibet eſt obligatio naturalis. *l. 1. cit. c. 1. & 2. eod.* Definitur obligatio *eſſe Juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ vel faciendæ. pr. Inſt. de obligat.* Huic obligationi ac debito correſpondet ex altera parte paciſcentium jus petendi, quod ſibi debetur. Pactum in ſpecie autem dici poteſt conventio ultro citróque habita, non pariens actionem Civilem, ut patebit ex dicendis, maximè *n. 20. 21.* Differt Pactum à *Pollicitatione*, ſeu nuda promiſſione, quæ acceptata non eſt ab eo, cui facta eſt; quia Pollicitatio, ſeu nuda promiſſio nondum acceptata, perficitur unius tantùm conſenſu, nec parit obligationem, antequam acceptetur à promiſſario. A *Contractu* in genere autem non tam per hoc, quòd Contractus *Synallagma*, ſeu, ut interpretatur *l. Labeo 19. ff. de V. S.* obligationem ultro citróque, h. e. mutuam & ex utraque parte paciſcentium includat, Pactum verò non includat; quàm per actionem Civilem, quam parit Contractus, ut dicemus *§. ſequenti:* nam planè Pactum quoque ſæpius habet ſynallagma, ſeu ex utraque parte obligationem parit, ut eſt omne pactum reciprocum & oneroſum. Laym. *l. 3. tr. 4. c. 3. n. 1.* quamvis pactum merè gratuitum,
uni

uti eſt promiſſio nudè acceptata ab altero, & juxta aliquos etiam donatio ſimplex, ſynallagma non involvat; ſed illud nec involvit contractus unilateralis, & lucroſus, uti ſunt contractus Innominati, Commodatum, Precariũ, & juxta aliquos etiam Donatio, ſaltem quæ incipit à traditione, & rei dominium gratis in alterum transfert.

3 Sc. 2. Pactum dividi 1. in Publicum & Privatum. *Publicum* eſt, quod à perſona publica, Principe, Belli-Duce, Magiſtratu, fit Reipublicæ causâ, ſeu propter cauſam publicam, dicitúrque *Fœdus*. *Privatum*, quod ineunt privatæ perſonæ, vel publicæ quidem, ſed ſuper re privata. 2. in Expreſſum & Tacitum. *Expreſſum* fit conſenſu, verbis, litteris, vel aliis ſignis manifeſtato. *Tacitum* elicitur ex præſumpta paciſcentium voluntate, eò quòd præſumatur à Lege, vel fingatur ex juſta cauſa conſenſus: ut ſi creditor debitori reddat chirographum, vel cautionem. *l. 2. §. 1. ff. h. t.* quia præſumitur remiſiſſe debitum. 3. in Perſonale & Reale. *Perſonale* reſtringitur ad perſonas paciſcentium, quas non egreditur obligatio indè contracta, nec ad hæredes tranſit. Reale tranſit etiam ad hæredes, imò ad particulares quoque ſucceſſores. per *l. 17. à §. 3 ff. eod.* utrùm verò in rem vel in perſonam pactum ſit, ſive an pactum reale vel perſonale ſit, ex verbis, vel ex mente paciſcentium alio modo deprehenſa, æſtimandũ eſt. *l. 7. §. 8. ff. eod.* Reale cenſetur eſſe. v. g. quando quis generaliter paciſcitur de non petendo: Perſonale, quando paciſcitur de non pe-

petendo à certa perſona, h. e. à Lucio, Titio &c. 4. In *Obligatorium*, quo contrahitur obligatio, ut in pacto de donando, & in *Liberatorium*, quo tollitur obligatio, uti eſt pactum de non petendo. 5. demum celeberrima diviſione in pactum Nudum & Veſtitum. *Nudum* dicitur, quod in ſola conventione conſiſtit; nec nomen certi contractûs, puta Emptionis-Venditionis, Mutui &c. habet à Jure, neque cauſam (per *cauſam* intelligitur datio vel traditio, aut factum, quo inita conventio ab uno impletur ea intentione, ut viciſſim alter ſit obligatus ad præſtandum id, de quo conventum eſt, v. g. ad pariter tradendum equum, de quo permutando convenerunt paciſcentes) neque aſſiſtentiam Juris, actionem Civilem tribuentis paciſcenti. *Veſtitum* verò, quod vel ſortitur nomen certi contractûs, vel cauſam habet, vel ſaltem ex aſſiſtentia ſpeciali Juris parit actionem Civilem in Judicio, præter obligationem naturalem in conſcientia, quam inducit quodlibet pactum, etiam Nudum. *c. 1. & 2. l. 1. ff. h. t. l. 5. §. 2. ff de ſolut.* Modò Jus Poſitivum non irritet Pactum, & obligationem hanc impediat. Utrùm autem Jus Poſitivum neget obligationem Civilem Pacto Nudo, dicemus in aſſertione ultima. Priùs verò

4 Sc. 3. Pacta *veſtiri* variis modis, ita ut præter obligationem naturalem pariant etiam Civilem, ſeu actionem, vi cujus poteſt unus paciſcentium convenire alterum in Judicio: nempe *1.* ſi tranſeant in contractus ſpecificos, ſeu ſpeciale nomen alicujus contractûs acquirant, puta

ta emptionis, locationis &c. 2. ſi ex alterutra parte ſit facta traditio, ſeu ſi *cauſam* habeant. 3. ſi in continenti adjiciantur alicui contractui, v. g. locationi, vel venditioni domûs. 4. ſi fiant in Judicio. 5. ſi ſuper iis conficiatur inſtrumentum publicum. 6. ſi acceſſerit ſtipulatio h. e. ſi interroganti, an promittas te daturum v. g. veſtes, equum &c. tu reſpondeas, promitto; nam tale pactum ſortitur nomen *Stipulationis*, quæ eſt contractus Jure Civili introductus. 7. ſi acceſſerit juramentum, ſed juxta nos non in caſu, quo juramentum adjicitur actui de Jure Civili invalido, quia alibi negamus, quòd Juramentum confirmet pactum vel contractum de Jure Civili nullum. Nec juramentum habet hanc vim ex diſpoſitione Juris generaliter; nam Jura, quæ tribuunt actionem ex promiſſione jurata, uti *l. 7. ff. de oper. libert.* & *l. 56. ff. de fidejuſſòr.* loquuntur de caſu ſpeciali, quo libertus aliquid juratò promittit Patrono. 8. ſi ſpecialiter eis aſſiſtat Jus Civile, dando nempe actionem in Judicio; qualia pacta ſunt promiſſio dotis acceptata, pacta ſponſalitia; donatio ſimplex inter vivos, conſtitutum (ſeu conventio de ſolvendo debito proprio vel alieno) pactum de uſuris, de nautico fœnore, de pignore; vocantúrque propterea *Pacta Legitima l. 6. ff. h. t.* Num verò hæc pacta legitima dici debeant veſtita, vel nuda adhuc, quæſtio nominis eſt: id certum, quòd pariant obligationem Civilem, ſeu actionem, ſicut Pacta Veſtita.

Sc. 4. Pacta, (idem eſt de Contractibus) iniri poſſe *vel purè*, h. e. abſque conditione, 5.

Digitized by Google

modo, aut certa die adjecta: & tali in pacto vel contractu dies ſtatim *cedit*, h.e. ſtatim debetur, de quo conventum; & dies *venit*, h. e. ſtatim peti poteſt, de quo conventum eſt. *l. 213. ff. de V. S.* Vel *non purè*, ſed ſub conditione aliqua, modo, aut in diem: ſi pactum vel contractus ineatur *ſub conditione*, eáque de futuro contingente, obligatio ſuſpenditur, uſque dum impleatur conditio: ſi *ſub modo*, nimirum cum aliquo gravamine in futurum, præſtando ab altero, non ſuſpenditur obligatio, ſed ſtatim, poſtquam tale pactum vel contractus fuit perfectus, naſcitur, licèt modus nondum ſit impletus. *l. 1. 2. C. de donat. quæ ſub modo.* Si pacto vel contractui adjiciatur limitatio per particulam *ſi*, denotat conditionem, v. g. ſi Gradum Doctoralem conſecutus fueris, promovebo te ad officium Conſiliarii: ſi verò adjiciatur per particulam *ut*, plerumque denotat modum, v. g. ſuppedito tibi alimenta ad ſtudia, ut aliquando ingrediaris Religionem, vel: ut & tu aliquando alas pauperem. Quamvis autem ordinariè hoc verum ſit, poteſt tamen & ſolet quandoque exprimi conditio per particulam *ut*, & viciſſim modus per particulam *ſi*; ſed tunc ex circumſtantiis colligenda eſt mens paciſcentium aut contrahentium. Si omnibus conſideratis maneat dubium, præſumendum eſt, eſſe conditionem, non modum, per *l. 109. ff. de condit. & demonſtr.* Denique ſi *in diem* ineatur, quod fit, ſi adjiciatur dies, quo executioni detur, de quo conventum eſt, tunc videndum, an dies adjectus ſit *certus*, & certò exſtiturus, v. g.

Ca-

Calendæ Januarii; & tunc obligatio quidem oritur ſtatim, at non ſtatim urget, ſed obligatus poteſt exſpectare, dum dies advenerit, vel tempus determinatum fluxerit; niſi eleemoſyna aut certa penſio pro alimentis annuatim ſolvenda fuiſſet promiſſa. per *l. 1. C. quando dies legat. cedat.* An verò dies *incertus*; & tunc diſcrimen eſt faciendum inter diem & tempus certò venturum, uti v. g. eſt dies mortis paternæ; ac inter diem & tempus, de cujus futura exiſtentia dubium eſt, v. g. tempus pubertatis à Titio adipiſcendæ: in priori caſu obligatio rurſus inducitur ſtatim, at non urget ante adventum talis diei: in poſteriori obligatio ſuſpenditur, uſque dum tempus, v.g. pubertatis Titii advenerit; quia virtualiter eſt pactio ſub conditione de futuro contingente. *l. 21. & 22. ff. eod.* Excipe, niſi dies incerta in gratiam ſolius promiſſarii fuiſſet adjecta, ut ſi puellæ promitteres 100. in diem nuptiarum, tunc enim non ſuſpenderetur obligatio. *arg. l. 43. §. 2. ff. de Legatis 2.* adeóque ſi fortè ante nuptias moreretur puella, jus petendi 100. transmitteretur ad hæredes puellæ.

Sc. 5. Cùm ſine conſenſu nullum ſubſiſtat pactum vel contractus; multæ autem perſonæ, quamvis poſſint abſolutè liberum conſenſum ponere, de Jure autem Humano non efficacem ſatis, firmum, & validum ſemper, præſertim circa certa bona; ideo operæ pretium eſſe duxi, has perſonas & hæc bona breviter in medium adducere, quia multis in locis tam in Theologia, quàm in Juriſprudentia ſupponitur eo- 6

rum notitia. Perſonæ igitur illæ ſunt Pupilli, Minores, Filii-familias: horum autem bona ſunt vel Caſtrenſia, vel Profectitia, vel Adventitia. *Pupillus* dicitur filius (vel filia) patre orbatus, adhuc impubes. *Minor* ſeu *Minorennis* autem filius (vel filia) qui 25. ætatis annos (21. juxta Jus Bavaricum) nondum complevit, ſive dein ſit patre orbatus, ſive non; poſt illos annos expletos fit *Majorennis.* Si patre careat & adhuc minor ſit, patris loco datur ipſi *Curator* (ſicut Pupillo *Tutor*) qui res ipſius administret, & utilitatem curet. Si verò filius (vel filia) habeat adhuc patrem viventem, atque ſub hujus ſeu patria poteſtate exiſtat, vocatur *filius-familias*, ſive dein impubes, vel pubes & minor, vel majorennis ſit. *Impubes* appellatur mas, uſque dum 14. ætatis annum, & fœmella, uſque dum 12. ætatis annum exegerit: quibus annis expletis dicuntur *Puberes*, ſicut uſque ad 7.mum ætatis annum vocari ſolent *Infantes*, & ordinariè nō impuberes, quamvis ſint tales; ſive patre orbati & pupilli exiſtant, ſive filii-familias patre adhuc gaudentes. Harum perſonarū, maximè filiorum-familias.

7 Bona *Caſtrenſia* appellantur, quæ ab ipſis obtenta ſunt independenter à patre vel matre, ſed vel intuitu militiæ, vel ex liberalitate Principis, vel per parſimoniam aut induſtriam propriam in officio Militari vel Aulico acquiſita. *Quaſi-Caſtrenſia*, quæ ſunt obtenta ex beneficio Eccleſiaſtico vel ex officio publico Medici, Judicis, Conſiliarii, Profeſſoris &c. & quæcunque poſt ſuſceptum Clericatum acquiſita ſunt.

Pro-

Profectitia, quæ ipſis obveniunt à patre, vel principaliter intuitu patris, uti alimenta, veſtes, libri, & quæ donantur liberis ad inſtantiam patris, v. g. ſtipendium ad proſequenda ſtudia, item quæ conceduntur à patre (manente apud ſe periculo ſortis) ad negotiandum. *Adventitia* demum, quæ neque Caſtrenſia ſunt neque quaſi-Caſtrenſia, neque à patre profecta, neque intuitu patris obtenta, ſed aliunde, puta ex hæreditate de linea materna, ex donatione alterius, quàm Principis, ex artificio, eventu fortuito &c. Hæc quadruplicis generis bona, quæ in filio-familias maximè reperiri poſſunt, nuncupantur *Peculium* filii-familias. Bonorum Caſtrenſium & quaſi-Caſtrenſium plenum dominium, & ſi pubes ſit, etiam libera adminiſtratio, pertinet ad filium-familias. Profectitia ſubſunt dominio patris tam directo quàm utili, item uſusfructus & libera adminiſtratio ad eundem patrem ſpectat. Adventitia ſunt quidem in dominio directo filii-familias, patri tamen ordinariè competit uſusfructus & adminiſtratio eorum, *ordinariè*, inquam; quia ſubinde pater uſumfructum concedit filio vel expreſſè vel tacitè, & tunc talia bona appellantur adventitia *extraordinaria*, vel *irregularia*.

Dico 1. Conſenſus, qui ad omne Pactum (uti & Contractum) neceſſarius eſt vi definitionis, debet eſſe verus, liber à dolo, errore, metu. Nam fictio tollit conſenſum, eique contrariantur dolus, error, & metus. Dixi 1. *verus*, h. e. ſyncerus & non fictus, cum animo ſe obligandi: ſiquis autem fictè paciſceretur vel con-

contraheret, actus quidem eſſet nullus, in foro tamen conſcientiæ talis teneretur fictionem tollere, ac verum conſenſum ponere: in foro autem externo, niſi per indicia & juramentum probaverit fictionem, præſumitur verè conſenſiſſe. Dixi 2. *liber à dolo*, h. e. à machinatione ad alterum decipiendum adhibita: ſi dolus malus verſetur circa ſubſtantiam rei, atque antecedat contractum, eique det cauſam (h. e. inducat alterum ad promittendum, paciſcendum, contrahendum, qui aliàs non contraheret &c. ſi ſciret fraudem) actum irritat. per *l. 7. §. 7. h. t.* quia inducit errorem circa ſubſtantiam rei: error autem circa ſubſtantiam rei tollit conſenſum ſubſtantialem, *arg. l. 8. & 9. C. de J. & F. J. l. 15. ff. de Jurisdict.* ibi: *cùm non conſentiant, qui errant; quid enim tam contrarium conſenſui eſt, quàm error?* Aliud eſt, ſi dolus malus non det cauſam pacto vel contractui; vel ſi quidem det cauſam actui, verſetur tamen ſolummodo circa qualitatem vel circumſtantiam accidentalem, ſeu circa tale quid, ad quod paciſcentium intentio nec ex uſu nec ex diſpoſitione Juris reſtringi cenſetur, aut ſolet, ut ſi tibi per fraudem vendatur vinum novum pro veteri, tunc enim probabiliùs valet actus, per *l. 5. C. de inutil. ſtipulat.* quamvis dolus accidentalis det cauſam contractui etiam *bonæ fidei*, uti dicemus ad *tit. 4. lib. II. de dolo & contum.* Dixi 3. *errore*, ſcilicet verſante circa ſubſtantiam, uti de dolo dictum, ſeu circa *corpus*, ut vocant, vel circa *materiam*, ex qua corpus conſtat, ut ſi emas vitrum, putans eſſe gemmam, vel ſcy-

phum

phum ſtanneum, quem putas argenteum; tunc enim actus ipſo Jure eſt nullus; *cùm errantis voluntas nulla ſit. l. 8. cit.* Excipe, niſi contractus Pignoris celebretur, in hoc enim nec error circa ſubſtantiam obeſt valori. *l. 1. §. 2. ff. de Pignorat. Act.* Item ſi tantùm pars ſcyphi, v. g. quem reputâſti pro argenteo, eſſet ſtannea, & ſic non ſecundùm totam materiam errares, ſubſiſteret contractus. *l. 14. ff. de contrah. empt.* Pariter valet actus, quando error eſt tantùm accidentalis, ſeu verſans circa accidentia; neque reſcindibilis eſt, ſi error contingat absque dolo malo alterius, altera parte invita, ſed debet reduci ad æqualitatem, per *l. 2. C. de Reſcind. Vend.* Dixi 4. *metu*, qui tamen, qualiscunque fuerit, regulariter non irritat actum, quamvis, ſi injuſtè incuſſus fuerit, eum reddat infirmum & reſcindibilem, uti docebimus infrà *tit. 40. de his, quæ vi &c.*

Dico 2. Inire Pacta (uti & Contractus) generaliter poſſunt omnes, qui liberum præſtare conſenſum, eúmque ſatis manifeſtare poſſunt, nec Jure prohibentur. Ratio, quia ad inducendam obligationem Jure Naturali plùs non requiritur ex parte paciſcentis, quàm conſenſus liberè præſtitus; niſi igitur Jure Poſitivo aliquis prohibeatur paciſci (aut contrahere) vel ratione ſtatûs ſui, vel ratione rerum, circa quas paciſci vult, integrum erit ei paciſci, vel contrahere. De *Jure Canonico* prohibentur 1. Prælati & Adminiſtratores Eccleſiarum & rerum Eccleſiaſticarũ ſine certis ſolennitatibus, ut patebit ex dicendis in *lib. III. ad tit. de rebus Eccl. alien.*

2. Re-

2. Religioſi circa res temporales ſine conſenſu Superioris, partim quia non habent proprium velle & nolle *c.2.de Teſtam.in 6* partim quia ſine cōſenſu Prælati nihil dare, nihil recipere poſſūt propter votum Paupertatis, conſequenter nec ad recipiendum obligare ſeſe. Paciſci tamen poſſunt cum conſenſu Superioris vel expreſſo vel tacito; licèt cum tacito vel præſumpto tantùm conſenſu initū pactū à Superiore irritabile ſit, uti & pactum, quod Religioſi licitè ineunt etiam ſine conſenſu Superioris, de actione perſonali aliàs honeſta, v. g. de dicendo Roſario, Miſſa &c. quia in voluntatem ſuorum Religioſorum dominativam Superior habet poteſtatem. Tacitè conſentire Superior cenſetur, ſi Religioſus, v. g. œconomus, vel alius, ſtipuletur aut paciſcatur in favorem vel utilitatem Monaſterii, modò Monaſterium non contradicat. *arg. §. 20. Inſtit. de inutil. ſtipul.* Item conſentire præſumitur, ſi Religioſus extra Monaſterium degens, v. g. in Academia, intra debitos limites pacta ineat vel contractus etiam circa res temporales. De *Jure Civili* autem prohibentur 1. Servi propriè dicti. *l. 14. de Obl. & Act.* 2. Prodigi, ſi ſint Juridicè tales, ſeu quibus à Magiſtratu interdicta eſt adminiſtratio bonorum. *l. 6. ff. de V. O.* 3. Pupilli, Minores, Filii-familias ſub certis limitationibus. De quibus proin

10 Dico 3. Pupillus ſine authoritate Tutoris paciſcens vel contrahens agit invalidè, probabiliùs etiam pro foro interno, ita ut non ſolùm non obligetur civiliter, ſed neque naturaliter, niſi

niſi indè factus ſit ditior. Quamvis validè agat eatenus, ut alterum ſibi obliget, caſu quo per pactum vel contractum rem ſuam fecit meliorem. Aſſertio probatur quoad ſingulas partes, eas explicando. Dixi itaque 1. *Pupillus*, habens Tutorem, & uſum rationis; ſi enim Tutorem non habeat, validè agit, quia Jura, ejus actus irritantia, ſupponunt Tutorem eſſe conſtitutum, ſine cujus conſenſu agit pupillus. Si autem uſu rationis adhuc deſtitutus ſit, quia v. g. adhuc eſt infans, vel infantiæ proximus, certum eſt apud omnes, nec naturaliter nec civiliter illum obligari. *§. 10. Inſtit. de inutil. ſtipulat.* 2. *ſine authoritate Tutoris*; ea autem interveniente & civiliter & naturaliter obligatur. per *l. 9. ff. de auth. Tutor.* 3. *agit invalide*, ſeu non obligatur, ſaltem *civiliter*, h.e. conveniri in Judicio non poteſt ad ſtandum pacto vel contractui. *pr. Inſt. de auth. tutor. l. 5. & aliis ff. eod. l. 1. ff. Commodati §. fin.* Et ibi DD. paſſim. Intellige, ſi contractus vel pactum ſit bilaterale; ſi enim ſit unilaterale, & lucrativum, ut ſi promittatur, vel donetur aliquid Pupillo, validè acceptat ſine conſenſu Tutoris, & alterum ſibi obligat. *pr. Inſt. cit.* 4. *probabiliùs etiam pro foro interno*, ita ut nec *naturaliter* obligetur ad ſervandum pactum vel contractum, ſed ſalvâ conſcientiâ ſe gerere poſſit, ac ſi non celebrâſſet pactum vel contractum. Ita apud & cum Haunoldo *tr. 8. c. 3. controv. 3. à n. 196.* Covarruv. Cujac. Godefred. Alciat. Weſenbec. Corvinus, Hunnius, & alii ex Juriſtis, ex Theologis autem Wadingus, & P. Ininger in ſuis The-

Theſibus, contra Theologos pleroſque & Juriſtas non paucos apud Zœſium *ad lib. 44. ff. tit. 7. à n. 46.* fortè & Harprecht, qui non ubique ſibi quoad hanc rem conſtans eſt, teſte Haunoldo. *n. 193.* Probatur 1. clariſſimis Juris textibus; nam *l. 59. ff. de O. & A.* dicitur: *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo, ne quidem Jure Naturali obligatur.* Item *l. 41. ff. de condict. indeb. quod pupillus ſine authoritate Tutoris ſtipulanti promiſerit, ſolverit, repetitio eſt; quia nec Naturâ debet.* En! ſolutum repetere poteſt pupillus, quod ſolvit ſine auctoritate tutoris, quia non fuit obligatus obligatione naturali; quod enim naturaliter debetur, & ſolutum eſt, repeti non poteſt. *l. 10. ff. de O. & A.* Confirmatur ex *l. 29. ff. de condict. indeb.* ibi: *interdum perſona locum facit repetitioni, ut puta, ſi pupillus, ſine tutoris authoritate, vel furioſus, vel is, cui bonis interdictum eſt, ſolverit; nam in his perſonis generaliter repetitioni locum eſſe non ambigitur.* Ergo planè Jura non agnoſcunt obligationem Naturalem in pupillo, ſed potiùs eam ſublatam volunt in utilitatem pupilli. Unde prob. 2. Finis prædictarum legum fuit cavere indemnitati pupillorũ: ſed non ſufficienter & efficaciter caviſſent, ſi ſolùm obligationem Civilem, non verò Naturalem, ſuſtuliſſent in pupillo; quid enim prodeſt, ſi in conſcientia obligetur ſervare pactum, licèt per actionem ad illud ſervandum cogi nequeat? Prodeſt ad hoc, inquies, ut poſſit excipere, ſi conveniatur ab altera parte, vel petere in Judicio reſtitutionem in integrum, & ſic pro libitu ſe liberare ab obligatione naturali.

Sed

Sed contra eſt; quia pupillus, caſu quo non conveniretur ab altera parte, teneretur implere contractum, & ſolvere, quo modo non ſatis efficaciter ipſius indemnitati conſuleretur, & quamvis ſolutum repetere poſſit per actioné, imponitur tamen ipſi neceſſitas contendendi in Judicio, quod planè oneroſum & facilè damnoſum ei accidit. Cùm igitur finis legum principalis fuerit conſulere pupillis, ac favere, non cenſendæ ſunt voluiſſe manere obligationem naturalem, quam adeò rotundè & diſertis verbis oriri negant, & tam notabile onus contendendi in Judicio imponere. Dixi 5. *niſi indè factus ſit ditior;* tunc enim obligabitur Naturaliter, uti & Civiliter, propter clarum textum *l.* 5. *ff. de auth. tutor. cit.* ibi: *naturaliter tamen obligabitur, in quantum locupletior factus eſt; nam in pupillum non tantùm tutori, verùm cuivis actionem, in quantum locupletior factus, dandam Divus Pius reſcripſit.* Idem eſt de pupillo dolum committente in contractu, per *l.1. §.15.ff.Depoſiti.* Dixi 6. *quamvis validè agat eatenus, ut alterum ſibi obliget, caſu quo rem ſuam fecit meliorem;* tunc enim ille, quocum pupillus iniit pactum vel contractum, obligatur pupillo, non verò pupillus illi, ob claros textus, *pr. Inſt. cit. l. 28. ff. de Pactis.*

Oppones 1. Multæ leges exſtant, ex quibus eruitur ſatis clarè, pupillum obligari naturaliter. Præſertim id colligitur ex §. 2. *Inſt. quibus alien. licet.* ubi dicitur; quòd pupillus ſine auctoritate tutoris dans mutuas pecunias poſſit eas vindicare, ſi adhuc exſtent, & condicere, ſi non ampliùs exſtent: ergo (infertur) accipiens 11

pecunias mutuas à pupillo poteſt eas retinere, niſi per actionem Civilem cogatur reddere: ſed jus retinendi id, quod ex contractu tradi um eſt, ſupponit contractú Jure Naturali ſubſiſtere, quia eſt effectus obligationis naturalis juxta Laym. & alios. Item ex *l. fin. ff. de Jurejur. pr.* ubi dicitur, quòd fidejuſſor, qui pro pupillo, ſine authoritate tutoria contrahente, fidejuſſit, ſuſtineri non poſſit, ſed obligetur ex tali contractu: ergo etiam pupillus obligabitur naturaliter ex tali contractu; quia obligatio fidejuſſoris ſupponit aliquam obligationem in eo, pro quo fidejubet, cùm illi ſubſtituatur, & obligatio fidejuſſoris ſit effectus obligationis naturalis. 2. Ad inducendam obligationem naturalem requiritur & ſufficit conſenſus liber. per *l. 95. §. 4. ff. de ſolut.* ſed in pupillo, uſum rationis habente, datur conſenſus liber, quando contrahit: ergo. 3. Spectato Jure Naturali certè oritur in pupillo contrahente obligatio naturalis: ſpectato autem Jure Poſitivo & legibus, quæ in utramque partem adducuntur, dubium eſt ac incertum, an oriatur obligatio naturalis: ergò dicendum eſt, quòd oriatur obligatio naturalis; quia in dubio non eſt aſſerenda correctio Jurium, aut divortium Juris Poſitivi à Jure Naturali, cùm iſtud ſit in poſſeſſione.

℞. ad 1. Cùm Jura debeant conciliari Juribus, & pro noſtra ſententia ſtent Jura clariſſima, & clariora, quàm pro oppoſita; ideo intelligi debent, quæ Adverſariis favere videntur, vel de pupillo, qui ex contractu factus eſt locupletior, conformiter *l. 5. cit. de auth. tut.* & *l. 3. ff.*

3. *ff. commodati.* Atque ſic in ſpecie intelligi poſſunt *l.21.ff. ad leg. falcid. l.1.ff. de Novationib.* & *l. 64. ff. ad S.C Trebell.* quas leges, præſertim *l. 21. cit.* ubi dicitur pupillus *liberari naturali obligatione*, valde urgent Adverſarii. Vel debent intelligi de pupillo non habente tutorem, in quo naturalem obligationem admitto propter *l. ſi curatorem 3. C. de in integr. Reſtit.* quo modo poteſt intelligi *l. 26. ff. de fidejuſſor.* item *l. 25. ff. quando dies legat.* ut interpretatur Nicolaus de Paſſeribus apud Haun. *n. 220.* Vel poſſunt intelligi de obligatione ad libitum pupilli revocabili, etiam extra Judicium: uti multi diſcurrunt de obligatione orta ex promiſſione liberali per dolum obtenta: ſed obligatio, quæ ad arbitrium & pro libitu contrahentis revocari, & extingui poteſt, in effectu nulla eſt obligatio. Haun. *n. 85.* Ad §. 2. *ex Inſt.* allegatum *N. Conſ.* quia non repugnat per actionem Civilem repeti illud, quod alter etiam naturaliter obligatur reddere, & retinere bonâ conſcientiâ nequit. Dein licèt in mutuatario non detur obligatio naturalis reddendi mutuum non petenti; indè tamen non ſequitur, dari in mutuante, qui à Jure inhabilitatus eſt ad dandum mutuum, obligationem naturalem ex tali mutuo; quia non repugnat, illud concedi à Jure ſine obligatione naturali mutuum dantis. Neque jus retinendi eſt effectus neceſſarius obligationis naturalis ac indiſpenſabiliter connexus. Ad *l. fin. cit.* (uti & ad ſimiles) de fidejuſſore dico, fidejuſſorem ex diſpoſitione legis obligari loco pupilli principaliter &

unicè, licèt nulla penitus ſit obligatio ex parte pupilli, utpote cui Jura ſpecialiter favent. Card. Tuſchus *V. Minor. concl.249.* cum Baldo. Idem dici poteſt de hærede pupilli contrahentis, de quo *l. 95. §. 2. ff. de ſolut.* quòd ſcilicet pupillo non obligato hæres incipiat obligari principaliter. Hunnius apud Haun. *n. 213.* quia beneficium perſonale, quale eſt pupilli, ad hæredes non tranſit, & ad fidejuſſores, nec iſtis prodeſt. Ad 2. Diſt. *Ma.* ſufficit conſenſus liber, niſi perſona à Jure Poſitivo fuerit ad validè contrahendum etiam pro foro interno inhabilitata. C. ſi ſit inhabilitata, uti pupillus. *N. Ma.* & retorq. in eo, qui Matrimonium contrahit cum impedimento dirimente Juris Eccleſiaſtici, ubi reperitur conſenſus liber, & tamen nulla omnino oritur obligatio. Ad 3. cui jamjam dare manus inceperam, ſed re magis penſatâ puto, hoc argumentum ſupponere & aſſumere id, quod eſt in quæſtione; tota enim quæſtio meri eſt facti, conſiſtens in hoc, utrùm Jus Poſitivum ſuſtulerit obligationem naturalem in pupillo paciſcente, vel contrahente ſine auctoritate tutoris, adeóque an diverſum quid à Jure Naturali ſtatuerit: qui igitur ſic arguunt: de Jure Naturali certò obligatur naturaliter pupillus, de Jure autem Poſitivo incerta & dubia eſt relaxatio vel immutatio Juris Naturalis, pro parte ſui argumenti aſſumunt, quod eſt in quæſtione, quia ſupponunt, adhuc dari certam obligationem Juris Naturalis, de qua tamen, utrùm adhuc detur poſt Leges Poſitivas, dubitatur, & quæritur, imò probabiliùs, ut patet

tet ex noſtris probationibus, non datur ampliùs, ſed per Leges ſublata eſt: ergo. Inſtantiam habes 1. in poſſeſſore bonæ fidei, qui etiam, juxta multos Adverſarios, lucratur fructus naturales rei alienæ adhuc exſtantes, licèt revocabiliter, item fructus æquivalenter ſolùm exſtantes. 2. in eo, qui poſitivè dubitat, & probabiliùs judicat, ſe peccatum mortale, quod certò commiſit, jam eſſe confeſſum; talis enim non tenetur confiteri de novo; quamvis Jure Divino certa ſit obligatio confitendi peccatũ mortale ſcienter admiſſum, extinctio autem hujus obligationis ipſi incerta & aliquo modo dubia.

Dico 4. Minor ſine Curatore paciſcens vel 12 contrahens circa bona ſua, tam caſtrenſia, quàm non caſtrenſia, invalidè agit, nec naturaliter obligatur, quamvis alterum obliget ſibi, ſi rem ſuam facit meliorem, ſicut de Pupillo dictum. Auctores iidem, & ſumitur ex *l. 3. C. de in integr. reſt. cit.* Ratio; quia Curator non minùs datur à Jure rebus Minoris, quàm Tutor rebus Pupilli, ne lædatur in illis. Dixi 1. *ſine Curatore*, ſi nempe habeat; ſi enim Curatore deſtitutus ſit (quod ſæpius contingit, quamvis pupillus non facilè relinquatur ſine tutore) validè contrahit. per *l. 3. cit.* quia ibi pro tali caſu conceditur beneficium reſtitutionis in integrum: reſtitutio autem hæc ſupponit valorem contractûs. 2. *bona ſua*; nam perſonaliter obligare ſe poteſt validè, & ad actiones perſonales. per *l. 101. ff. de V. O.* quando nimirum obligatio perſonalis non tendit ad alienationem re-

rerum, & terminativè realis non eſt: unde Minor validè contrahit Sponſalia, & Matrimonium, validè profitetur Religionem, & ad operam perſonalem ſe obligat quamcunque; quia juxta commune brocardicum ex *Novell.* 117. c. 1. deſumptum: *Curator non datur perſonæ, ſed rebus.* Res autem immobiles & mobiles pretioſas, quæ ſervando ſervari poſſunt, nec ſine decreto Judicis *alienare* poteſt, etiamſi Curatorem habeat, & iſte conſentiat in alienationem. *l.* 22. *C. de adminiſtr. Tutor. & Curator.* niſi de iis diſponat ante Profeſſionem Religioſam, vel per teſtamentum; quia tunc ceſſat ratio Legum, eò quòd non ampliùs uti poſſit bonis & rebus ſuis. 3. *caſtrenſia & non-caſtrenſia;* quamvis enim Jura non faciant diſcrimen inter bona Minoris in ordine ad diſponendum de illis citra auctoritatem Curatoris; putant tamen aliqui Theologi cũ Leſſio *l.2.c.17.dub. 8. n. 62.* contra Juriſtas, Minores poſſe validè contrahere ſine conſenſu Curatoris circa bona caſtrenſia & quaſi-Caſtrenſia; quòd ſaltem per conſuetudinem introduci poteſt.

13 Dico 5. Filius-familias pubes circa bona adventitia vel profectitia, paciſcens vel contrahens ſine conſenſu Patris agit invalidè; impubes autem etiam cum conſenſu patris. Prior pars colligitur à contrario ex *l. 4. §. 1. ff. de Caſtrenſ. pecul. l. 2. C. eod.* ubi circa bona caſtrenſia (quibus æquiparantur quaſi caſtrenſia) liberè permittitur diſponere ſine conſenſu patris, etiam ad alienationem, item ex *l. fin. §. 5. v. filiis autem C. de bonis, quæ liberis*, ubi adventitia

bona

bona (à fortiori profectitia) alienare validè non permittitur filiusfamilias ſine conſenſu patris. Ratio, quia talis contractus vel pactum cederet in præjudicium patris & patriæ poteſtatis. Poſterior pars habetur in *§. 10. inſt. de inutil. ſtipul.* Si opponas, quòd pupillus impubes cum conſenſu tutoris paciſcens obligetur; quia tutor ſupplet defectum ætatis & conſenſum pupilli; conſequenter & filius-familias obligabitur, quia pater ſupplet: Repono, diſparem eſſe in utroque caſu rationem; nam pupillus convenire poteſt ſuo tempore tutorem ob conſenſum malè præſtitum, non verò filius patrem. Dixi 1. *circa bona;* nam perſonaliter, & ad operam perſonalem obligare ſe validè poteſt filius-familias pubes ſine conſenſu patris, non minùs ac Minor ſine conſenſu Curatoris, etiam ad alienandum pro tempore, quo ſui juris factus alienationem exequi poterit: quamdiu autem ſui juris non eſt, alienare nequit ſine conſenſu patris, & immobilia ac mobilia pretioſa ſine decreto inſuper Judicis. 2. *Adventitia*, ſcilicet regularia, in quibus pater habet uſumfructum: nã de *extraordinariis ſeu irregularibus* liberè diſponere permittitur. *Novell. 117. c. 1. cit. 3. ſine conſenſu Patris;* ſufficit tamen conſenſus tacitus, ut ſi pater concederet filio liberam adminiſtrationem bonorum adventitiorum vel profectitiorum; aut ſi procul abeſſet. Haun. *n. 237.* Speciale inſuper privilegium conceſſum eſt filiisfamiliis per *S. C. Macedonianum*, vi cujus, etiamſi majorennes ſint, non obligantur civiliter, & probabiliùs nec naturaliter ex mutuo.

accepta pecunia ſine conſenſu patris, etiamſi indè facti ſint ditiores, partim quia privilegium hoc à Lege conceſſum nullibi requirit, ut filiusfamilias ex mutuo non ſit factus locupletior, ſicut requiritur in pupillo, partim quia id ſatis innuit *l. 9. §. 2. ad S. C. Maced.* ſic loquens: *nam & ei quoque, qui filiofamilias credidit, decreto ampliſſimi Ordinis actio denegatur: nec intereſt, conſumpti ſint nummi, an exſtent in peculio.* Si autem exſtent, utique ditior factus eſt. Hau. *tr. 9. n. 329.* ſed de hoc plura ad *titulum de Uſuris in lib. V.*

14 Dico 6. Pacta (& contractus) iniri poſſunt de omnibus rebus & actionibus, in quibus non obſtat ſpeciale Jus. Ita communis. Jus autem prohibet iniri pacta 1. in quibus convenitur de re ſpirituali danda pro temporali vel viciſſim. 2. de rebus commercio humano exemptis, uti eſt platea, forum, & alia, quæ uſum communem habent. 3. de rebus in præjudicium tertii cedentibus. 4. de rebus alienis, ſi agatur ad transferendum earum dominium. *l. 15. ff. commodati. l. 7. ff. locati.* 5. de hæreditate viventis. Sed de hoc pacto ad *tit. de ſucceſſ. ab inteſt.* 6. de non ſuccedendo in hæreditate paterna. *l. fin. ff. de ſuis & legitim. hæred.* quia hujusmodi pacta videntur extorta, & minuunt amorem parentibus debitum. 7. de factis turpibus, primùm committendis. *l. 26. 27. ff. de V. O.* aut de rebus impoſſibilibus. *l. 185. ff. de R. J.* quibus etiam accenſentur inhoneſta facinora, quæ ſunt contra bonos mores. *l. 15. ff. de condit. Inſtit.* Si tamen altera pars crimen jam eſſet executa, v. g. puella propter promiſſam pecu-

niam

niam jam feciſſet ſui corporis copiam, iſta pecuniam promiſſam exigere poſſet, ut docet communis ex *l. 4. §. 3. ff. de condict. ob turp. cauſ.* contra Sotum & alios; quia quamvis turpe ſit, conditionem inhoneſtam implere, & promittere aliquid, ut obtineatur actio illicita, turpe tamen & illicitum non eſt dare pecuniam, & ſolvere poſt obtentam actionem turpem, quod promiſſum. Pariter invalidum eſt pactum de delicto, quod nondum patratum eſt, remittendo, v. g. de non accuſando, ſi alter te deceperit; quia invitat ad liberiùs peccandum. Imò nec valet pactum de delicto non committendo; quia turpe reputatur pro pretio, & non gratis, abſtinere à ſcelere.

Dico 7. Ex pacto nudo neque de Jure Canonico oritur actio, ſeu obligatio civilis, vi cujus paciſcens conveniri poſſet in Judicio. Ita cum Salic. Gonz. & aliis multis, præſertim RR. Palao *tr. 32. d. 1. pu. 3.* contra Panorm. Molin. Leſs. Pirh. *h. t. n. 36.* & alios. Probatur ex *c. 1. de N. O. N.* inde enim eruitur, à Jure Civili non eſſe recedendum, ſi illud clarè aliquid decîdit, nihil verò, vel tantùm dubiè, Jus Canonicum: ſed Jus Civile clarè negat actionem ex pacto nudo, licèt concedat exceptionem in Judicio. *l. 7. §. 4. ff. l. 10. C. h. t.* Jus Canonicum verò nihil decîdit, & nullibi concedit actionem, clarè ſaltem: ergo. Spectata tamen conſuetudine Germaniæ, ut teſtantur paſſim DD. conceditur actio, ſeu condictio *ex moribus*, in utroque foro. Et licèt Jus ſcriptum neget actionem, permittit tamen ex pacto nudo re- 15

Digitized by Google

tentionem pignoris dati, compenſationem, exceptionem, implorationem Officii Judicis, item negat repetitionem ſoluti, ſeu rei ex pacto nudo jam datæ vel ſolutæ. per *l. 51. ff. de condict. indeb.* Oppones 1. Jus Can. c. 1. & 3. *h. t.* jubet pacta ſervari, non diſtinguendo inter nuda & veſtita: ſed ex veſtitis concedit actionem: ergo & ex nudis. 2. niſi detur actio de Jure Can. non ſatis conſulitur conſcientiis; nec peccata ſatis eliminantur, ſi per actionem non compellantur homines ad ſtandum pactis. ℞. ad 1. diſſimulata vitioſitate Syllogiſmi adverto, etiam à Jure Civili præcipi, ut pacta ſerventur. *l. 5. §. 2. ff de ſolut. l. 7. cit. §. 7.* & tamen negatur actio ex pacto nudo; quamvis igitur urgeat Jus Can. pactorum omnium obſervationem, tamen exinde non ſequitur, quòd ex omnibus velit dari actionem; ne ſcilicet Tribunalia obruantur litibus. Ad 2. peccata caventur ſatis, quòd Jus Canonicum concedat denuntiationem Canonicam, & implorationem officii Judicis contra eos, qui pactis contraveniunt, uti concedit *c. 1. & 3. cit.*

§. 2.

De Contractibus in Genere.

16 Sciendum 1. definitionem contractûs in genere adeò eſſe difficilem, ut D. Gletle, poſtquam in Theſibus Dilingæ 1681. editis eum, rejectis aliorum definitionibus, ſic definierat: *eſt conventio ſpeciale nomen habens, aut eo deficiente cauſam*; poſtea in *Selectis Juris QQ.* Salisburgi in lucem datis 1688. hanc quoque ſuam defi-

Digitized by Google

definitionem rejecerit velut obſcuram, disjunctivam, nec ſoli definito convenientem, aſſerens, hactenus à nemine accuratè definitum fuiſſe; & propterea tanquam re deſperata definire omnino omiſerit. Sed hæc ad ſimilem deſperationem adigere nos non debent.

Sc. 2. Contractum dividi 1. in Nominatum & Innominatum. *Nominatus* eſt, qui proprium, ſpeciale, ac certum in Jure nomen obtinet, uti Mutuum, Commodatum, Depoſitum, Mandatum, Societas, Ludus, Pignus, Emphyteuſis, Feudum, Emptio-Venditio, Locatio-Conductio, Stipulatio &c. *Innominatus*, qui certum & ſpecificum in Jure Civili nomen non habet, ſed venit generali nomine *Permutationis*; quamquam Permutatio ſpecificè etiam accipi poſſit, & à multis ſoleat, atque à contractibus Innominatis diſtingui. Contractuum innominatorum quatuor recenſentur ſpecies. *l. 5. ff. de Præſcriptis verbis*, nimirum 1. do, ut des. 2. do, ut facias. 3. facio, ut des. 4. facio, ut facias. Dividitur 2. in Conſenſualem, Verbalem, Litteralem, & Realem. *Conſenſualis* dicitur, qui ſolo contrahentium conſenſu perficitur ut Emptio Venditio, Locatio-Conductio, Societas. *Verbalis*, qui certa verborum ſolennitate perficitur, uti Stipulatio; dum nempe interroganti, an promittas ipſi centum florenos, tu reſpondeas, promitto. *Litteralis*, qui pro ſua conſtitutione requirit ſcripturam, uti Emphyteuſis circa res Eccleſiaſticas. *Realis*, qui non ſubſiſtit ſine actuali traditione rei, ut Mutuum, Depoſitum, Commodatum, Permutatio 17

tio

tio ſpecificè accepta, Pignus; nam ante tradi- tionem non contractus, ſed nuda ſunt pacta. 3. In Contractus *Bilaterales* (alio vocabulo di- ctos *Oneroſos*) qui obligant utrumque contra- hentem, vel principaliter & initiò ſtatim, ut Emptio-Venditio, Communio hæreditatis, vel per accidens & ex poſtfacto, ut Commoda- tum, Depoſitum, Negotiorum geſtio, Admi- niſtratio Tutelæ: & in *Unilaterales* (alio nomi- ne *Lucroſos* vel *Lucrativos* ex parte non-obli- gati) qui unum duntaxat obligant, & adver- sùs unum pariunt actionem efficacem, ut Mutuum, Chirographum, Stipulatio, Dona- tio, Precarium, & probabiliter omnes contra- ctus innominati, antequam ex una parte im- pleantur. 4. in Contractus *Juris Civilis*, qui ſuam originem debent Juri Civili Romano, ut iſti quatuor: Stipulatio, Donatio propter Nu- ptias, Emphyteuſis, Obligatio litterarum; & in Contractus *Juris Gentium*, quales ſunt cœ- teri omnes, *arg. §. 2. v. fin. Inſt. de J. N. G. & C. l. 5. ff. de J. & J.* Juris Gentium non ideo appellan- tur, quaſi à Jure Gentium propriè dicto eſſent introducti, quia nullus contractus immediatè reſpicit utilitatem Gentium quà talium, ſed potiùs Civium quà talium, ſed ideo, quòd in- troducti ſint ab aliis Gentibus, quàm Civibus Romanis, licèt poſtea à Jure Romano fuerint recepti & variè informati. Denique 5. cele- bri diviſione alius Contractus dicitur bonæ fidei; & alius ſtricti Juris. Contractus *bonæ fi- dei* appellantur, non quòd alii ſint malæ fidei, ſed quòd in illis non debeat Judex ſtrictè at-

ten-

tendere ad id præciſè, quod verbis contrahentium expreſſum eſt, ſed poſſit judicare ex æquo & bono, & extendere ſententiam ad ea, ad quæ contrahentium mens veriſimiliter ſe extendit, vel extendere potuit, ſpectata æquitate, ſi fuiſſent recordati. *§. 5. Inſt. de locat. §. 30. Inſt. de Act.* ſic ſi equus ſplendidè ornatus frœno, epiphippio &c. vel ager plenus fructibus, venderetur, poſſet Judex adjudicare emptori equum cum ornamentis, agrum cum fructibus, licèt de ornamentis & fructibus nulla fuiſſet mentio facta à contrahentibus. *l. 13. §. 10. ff. de act. empt.* concordante praxi. Contractus *ſtricti Juris* econtra ſunt, in quibus Judex adſtringitur ad verba contrahentium, & ad id, quod expreſſis verbis conventum eſt; quales ſunt mutuum, aditio hæreditatis, ſolutio indebiti, donatio, & omnes contractus unilaterales & lucroſi. Gletle *de Pact. c. 3. §. 1.* item permutatio & contractus æſtimatorius. *§. 28. Inſt. de Act.* ubi, uti & à *gl. in c. 6. de Except.* recenſentur actiones bonæ fidei. Cœteros autem contractus Innominatos multi etiam ad contractus ſtricti Juris referunt, ſed juxta regulam à Gletle *lo. cit.* traditam videntur referendi ad contractus bonæ fidei, licèt unilaterales ſint; quia ſupponunt pactum utrinque ab intrinſeco obligatorium, ut ſcilicet uterque ſervet ex ſua parte, quod promiſit, ſi quid ab altero datum vel factum fuerit. Idem inſinuatur in *§. 28. cit.* per voces *præſcriptis verbis,* quæ actio ex præſcriptis verbis competit omnibus contractibus Innominatis.

Sc. 3.

18 Sc. 3. In Contractibus alia eſſe ſubſtantialia, alia naturalia; alia ſolennia; & alia accidentalia. *Subſtantialia* ſunt, ſine quibus non habetur eſſentia contractûs & valor; nec in poteſtate contrahentium eſt ea mutare: ſic de eſſentia cujuslibet contractûs eſt conſenſus mutuus ſignô externô manifeſtatus: de eſſentia Emptionis Venditionis inſuper merx & pretium. *Naturalia*, quæ contractui tacitè inſunt tanquam proprietates, & ineſſe præſumuntur, niſi per ſpeciale pactum tollantur; & hinc poſſunt expreſſa contrahentium voluntate immutari, ac tolli: ſic naturale eſt venditioni venditorem obligari de evictione, ſi res vendita ab aliquo tertio vindicetur tanquam ſua, licèt venditor ſpecialiter ſe non obligaverit ad evictionem. *l. 6. C. de Evict.* ſi autem ſpeciali pacto velint contrahentes iſta naturalia immutare, id poſſunt juxta *Reg. 85. de R.J. in 6. Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.* Quæ autem præter ſubſtantialia & naturalia requiruntur à Lege, vel Statuo, vel Conſuetudine, ad ritum & formam contractûs, vocantur *Solennia*, & quidem ſi requiruntur per modum formæ ſubſtantialis, ut aliàs contractus non ſubſiſtat; ſunt ſolennia *intrinſeca*, uti requiritur aſſiſtentia Parochi in Matrimonio, conſenſus tutoris ad valorem contractûs à pupillo initi &c. ſi verò non requiruntur ad valorem actûs; ſed præcisè ad licentiam, ſunt ſolennia *extrinſeca*, uti benedictio nubentium, trina denuntiatio nubere volentium, &c. Demum *Accidentalia*, dicuntur, quæ liberè adjiciun-

ciuntur à contrahentibus, poſsúntque adeſſe vel abeſſe à contractu; non tamen præſumuntur adeſſe, niſi probetur, ea fuiſſe adjecta: tale quid eſt pactum venditioni adjectum de retrovendendo: pactum de præſtando caſu fortuito &c. Sed hinc

Sc. 4. ſæpe contingere, ut res in contractũ 19
deducta pereat, aut deterior reddatur, antequam fiat traditio, & quidem vel caſu fortuito, vel culpâ, vel dolô unius contrahentium. Idcirco quæſtio valde utilis decîdenda hic eſt, quisnam teneatur ex contrahentibus luere, & ſentire damnum; ſeu (ut Juriſtæ loquuntur) quisnam teneatur præſtare dolum, culpam, caſum fortuitum; atque ſic alterum ſervare indemnem. Per *dolum* intelligitur hic omnis voluntaria & ſtudioſa læſio, non verò callida tantùm circumventio, aut machinatio ad decipiendum adhibita ſine læſione. Per *culpam* in genere negligentia ab aliquo commiſſa, non faciente, quod deberet facere, vel faciente, quod deberet omittere, in re aliena cuſtodienda. Hæc culpa eſt triplex. 1. *Lata*, quando omittitur illa diligentia in re aliena cuſtodienda, quam homines ejusdem conditionis etiam parùm diligentes communiter adhibere ſolent in cuſtodiendis rebus propriis, ut ſiquis rem alienam relinquat in loco, quò patet acceſſus etiam ignotis hominibus, & ex quo facilè auferri poteſt. 2. *Levis*, quando omittitur illa diligentia, quam homines ejusdem conditionis diligentiores adhibere ſolent; iſti enim non relinquunt rem in patulo, ſed detinent in ædi-

ædibus, vel ciſta (pro qualitate rei) &, ſi judicant opus eſſe, etiam claudunt oſtia & obſerant. 3. *Leviſſima*, quando omittitur diligentia, quam homines ejusdem conditionis ſolertiſſimi adhibere ſolent; hi autem non modò claudunt & obſerant oſtia, ſed etiam manu v. g. tentant, num ſera ſit bene obfirmata. Quæ tamen omnia in caſibus particularibus pro diverſitate circumſtantiarum, & qualitate rerũ, æſtimanda relinquuntur prudentis Judicis arbitrio; nam res pretioſa utique majorem requirit diligentiam quàm vilis, item diligentiori opus eſt curâ & cuſtodiâ, quando tranſeunt milites vel homines aliàs ſuſpecti. Itaque culpa lata eſt omiſſio diligentiæ communis & ordinariæ: culpa levis omiſſio diligentiæ mediæ: & leviſſima omiſſio diligentiæ exactæ & extraordinariæ. Triplex hæc culpa vocatur *Juridica*, quamvis conjungi qualibet poſſit etiam cum culpa *Theologica*, ſeu coram Deo, & culpa *Lata*, quæ etiam vocatur magna, craſſa, ſupina, latior &c. plerumque ſit conjuncta: quare & dolo æquiparatur in Contractibus, & dicitur dolus præſumptus; non verò in Delictis, & cauſis Criminalibus. *l. 5. §. 2. ff. Commod. l. 1. §. 5. ff. de O. & A.* Denique, per *caſum fortuitum* intelligitur eventus inopinatus, qui prævideri, vel prævisus præcaveri non poteſt, uti ſunt fulmen, grando, inſolitum frigus, immodicus æſtus ſolis, ventorum violentia, terræ motus, inundationes, furta, rapinæ, hoſtiles incurſus, naufragia &c. Alio nomine

ne vocatur in Jure etiam *Fatum*, *Fortuna*, *Periculum*.

Dico 1. *Contractus* eſt conventio ultro citróque habita, pariens per ſe actionem Civilem. Haunold. *de J. & J. tr.* 8. *n.* 12. Harprecht *in* §. 2. *Inſt. de obligat. n.* 5. Per verba *ultro citróque* tanquam per genus convenit Contractus cum Pacto nudo: per reliqua differt à Pacto nudo, & aliis omnibus, quæ Contractus non ſunt. *Quaſi-Contractus* autem eſt tacita ſeu præſumpta conventio, ex qua producitur obligatio mediante aliquo facto, ut cum Ludvveel ait Haun. *tr.* 10. *n.* 1102. Vel, ut ait Harprecht *in pr. Inſt. de obligat. quæ ex quaſi contractu n.* 2. eſt negotium quoddam, quo quis alteri ſine conventione (explicita nempe) obligatur. Naſcitur indè quidem etiam actio, at non ex conſenſu vero, ſed ficto, vel præſumpto, & diſpoſitione Juris inducto. §. 1. *& ſeqq. Inſt. eod.* ubi, & *l.* 5. *ff. de O. & A.* Quaſi-contractus enumerantur ſex ſpecies. 1. negotiorum geſtio, quò etiam ſpectat officium Medici, Judicis, Advocati, Conſiliarii, Confeſſarii &c. 2. tutelæ (uti & curatelæ adminiſtratio. 3. rerum communio. 4. hæreditatis communio. 5. hæreditatis aditio. 6. ſolutio indebiti. 20

Oppones. Pactum legitimum eſt conventio ultro citróque habita pariens obligationem Civilem. *l.* 6. *ff. de Pactis.* Idem eſt de pacto, quod in continenti adjicitur contractui *l.* 7. *ff. eod.* §. 5. Idem eſt de donatione, quæ tamen contractus propriè non eſt juxta plurimos; nam donatio parit actionem, quæ vocatur *condictio ex Lege*: 21

per §. 2. *Inſt. de donat.* & *l. ſiquis C. eod.* ℞. quamvis illa pacta pariant obligationem & actionem Civilem, non tamen pariunt per ſe, ſed quia aſſumunt naturam contractûs vel nominati, uti pleraque pacta *veſtita*, vel innominati, uti pactum *legitimum* dotis, quando ex parte mariti jam eſt impletum, cui actionem tribuit *l. ad exactionem. C. de dotis promiſſ.* Donationem inter veros contractus numerant plures, quàm excludant, teſte Haun. *tr. 8. n. 10.* & ſatis clarè annumeratur contractibus propriè dictis in *l. 17. C de fide Inſtrum.* Quamvis autem donatio non inducat *obligationem* ex utraque parte, adeóque contractus bilateralis non ſit, eſt tamen *conventio* ultro citróque, ſeu conſenſus duorum &c. Si autem transmittere velis donationem non eſſe propriè dictum contractũ, poſſes cum Molina *d. 255.* dicere, quòd pariat actionem tantùm ex ſpeciali privilegio Codicis. Actio *de conſtituta pecunia*, quæ conceditur ex nudo pacto *ff. de conſt. pecun.* adversùs illum, qui promiſit ſolvere, quod ipſe debet, vel alius, non eſt actio *Civilis*, ſed *Prætoria*, quamvis detur in foro Civili: noſtra autem definitio loquitur de actione Civili.

22 Dico 2. In Contractibus Innominatis regulariter pœnitere ſeu reſilire poteſt Pars, quæ jam implevit, etiam re non ampliùs integra: *l. 3. §. 2. 3. l. 5. ff. de condict. cauſ. dat. cauſ. non ſecut.* Ratio, quia, qui dedit, vel fecit aliquid, ut & alter det vel faciat, non ſe obligavit alteri, ſed iſtum ſibi ad viciſſim aliquid dandum vel faciendum. Dixi 1. *Innominatis*; id enim in Nomina-

natis, excepto Mandato, Precario, Depoſito, non procedit; ſi altera Pars ſit invita. 2. *quæ jam implevit*, intellige dando, vel faciendo priùs; nam altera Pars, quæ datum accepit, obligata eſt ad viciſſim dandum vel præſtandum aliquid, & per *actionem præſcriptis verbis* ad pariter implendum cogi poteſt. *l. 5. cit.* 3. *regulariter:* nam pœnitere non licet in cauſa pia vel aliàs favorabili de Jure: ſi pœnitentiæ fuit renunciatum: ſi intervenit tranſactio ſuper lite. *l. 16. C. de tranſact.* quia lites expedit finiri. Vid. Wading. *de Contract. d. 6. dub. 1. §. 2.* 4. *etiam re non ampliùs integra.* adeóque licèt alter non ſolùm paratus ſit ex ſua quoque parte implere, ſed etiam præparatoria jam fecerit: ſi tamen feciſſet jam aliquas expenſas in hunc finem, reſiliens refundere illas teneretur. *l. 5. cit.* Oppones. Contractus Innominatus ante impletionem alterius Partis ſaltem habet rationem pacti: ſed omne pactum obligat in conſcientia, nec datur locus pœnitentiæ altera Parte invita: ergo. ℞. *D. Ma* habet rationem pacti, aliter tamen regulatur de Jure propter tacitam conditionem, *niſi rem traditam repetivero*, quam involvit. *l. 5. cit. C. Ma.* regulatur, ſicut pactum, quod talem conditionem non involvit. *N. Ma.*

Dico 3. Dolum & culpam latam in omni contractu præſtare tenetur ille, qui illum vel hanc commiſit. *l. 1. §. 5. ff. de O. & A. l. 23. ff. de R. J. l. 32. ff. depoſiti.* Ratio, quia cuilibet nocere debet factum propriũ, non alteri: *nec debet aliquis alterius odio prægravari. c. 22. de R. J. in 6.* 23

24 Dico 4. Culpam levem præſtare tenetur eam committens in iis tantùm contractibus, qui cedunt in utilitatem utriusque contrahentis. *l. 5. §. 2. l. 18. pr. ff. commodati*: tales contractus ſunt Emptio-Venditio, Locatio-Conductio &c.

25 Culpam leviſſimam tenetur eam committens præſtare in iis ſolùm contractibus, qui cedunt in utilitatem ſolius accipientis, ſeu principaliter obligati, uti eſt commodatum &c. *ll. citt.* Excipitur Precarium; iſtud enim accipiens tenetur ſolùm præſtare culpam latam & dolum. *l. 8. §. 3. ff. de Precar.* Pariter ad culpâ latam duntaxat præſtandam obligatur accipiens, quando contractus in utilitatem cedit ſolius dantis, uti fit in depoſito. *l 32. cit.*

26 Dico 6. Caſum fortuitum, & damnum indè ſecutum, regulariter nemo præſtare tenetur. *l. 5. cit. §. 4. & 7. l. 18. & l. 23. citt.* Dixi, *regulariter*; nam tenetur 1. qui ſpecialiter in ſe recepit caſum fortuitum, & periculum rei in omnem eventum caſualem. *l. 1. §. 35. ff. depoſiti*: aliàs enim res perit domino ſuo, ac ſi nullus intervenifſet contractus. 2. qui per dolum vel culpam dedit cauſam caſui fortuito. *§. 2. Inſt. quib. modis re contr. obl. l. 5. §. 7. cit.* vel per culpabilem moram in reſtituendo. *c. un. de commod.* quia *mora ſua cuilibet debet eſſe nociva. c. 25. de R. J. in 6.* ut ſiquis equo commodato uſus eſt ad iter prædonibus infeſtum, vel eum debito tempore non reddidit commodanti. 3. qui debitor eſt rei non in ſpecie, ſed in genere (ſeu, ut loquuntur Philoſophi, non in individuo, ſed in ſpe-

ſpecie) v. g. aliquam pecuniam, aliquem equum indeterminatum; nam genus interire non poteſt: ſic qui pecuniam accepit mutuam, & hæc fortuito caſu periit, tenetur reddere aliam. 4. qui accepit rem æſtimato datam, æſtimatione venditionem faciente. *l. 5. cit. § 3.* quia æſtimationem ſe præſtaturum recepit. Sed cui incumbit onus probandi, ſi unus contrahentium aſſerat, damnum accidiſſe culpâ alterius, iſte autem contendat, accidiſſe caſu? ℞. attendendum eſt, an res perierit tali modo, qui plerumque conjunctus eſſe ſolet cum culpa vel negligentia utentis, quamvis ſubinde caſu eveniat; ut ſi res periit incendiô vel furtô, præſumitur culpa utentis, niſi is per præſumptiones aut probationes alias innocentiam ſuam oſtenderit. *l. 3. §. 1. ff. de Off. Præf. Vigilum.* Si verò plerumque ſine culpa utentis perire ſoleat, ut ſi equus ex morbo interno occumbat, vel domus ex vetuſtate corruat, utens præſumitur innocens, donec allegans culpam probet, illam interveniſſe.

TITULUS XXXVI.
De Tranſactionibus.

SUMMARIUM.

1. 2. *Tranſactio qui fieri poſſit, & quid ſit.*
3. *Quinam tranſigere poſſint.*
4. *Nemo cogendus ordinariè ad tranſigendum.*
5. *Super qua materia inſtitui Tranſactio poſſit.*
6. *An & quando reſcindi.*
7. *Præſertim an reſcindibilis ſit, ſi Majorennis ſit enormiter læſus.*

1 Sciendum, Transactionem, Germanicè ein Vertrag/ ein Vergleich / latè ſumptam denotare compoſitionem cujuscunque rei, vel terminationem litis, aut negotii, etiam non litigioſi, quocunque modo factam. *l. 229. ff. d. V. S. c. 2. h. t.* ſtrictè verò acceptam ſignificare compoſitionem, aut terminationem rei dubiæ & litigioſæ non gratuitam à Partibus initam. Iniri autem poteſt pactô nudô, & tunc non parit actionem de Jure (quamvis *exceptionem litis finitæ* tribuat. *c. 1. de lit. conteſt. in 6.*) ut ſi promittas Titio Actori 100. ne litem proſequatur. *l. 2. ff. l. 31. C. h. t.* Aliquando perficitur per contractum innominatum, v. g. ſi cedas Sempronio agrum controverſum, ut ille tibi det 100. & tunc parit *actionem præſcriptis verbis*, ſi tu jam impleveris ex tua parte. *l. 6. & 33. C. eod.* Et communiter Transactio habetur pro contractu Innominato, ſicut Permutatio; quamvis enim ſpeciale nomen habeat; illud tamen ex vulgari modo loquendi tribuitur etiam aliis conventionibus. Nec obſtat, quòd pœnitere non liceat tranſigentibus; quia id ſpecialiter eſt prohibitum. *l. 16. C. eod.* Subinde etiam adhibentur, vel ſaltem adhiberi poſſunt in transactione verba ſolennia, quæ contractum ſtipulationis efformant. *l. 2. & 6. citt.* & tunc tribuit *actionem ex ſtipulatu*, vel *condictionem certi. l. 6. & 33. citt.*

2 Dico 1. Transactio eſt conventa deciſio rei dubiæ & controverſæ, aliquo dato, aliquo retento. Sumitur ex *c. 7. l. 1. ff. l. 38. C. h. t.* Dixi 1. *conventa deciſio*, quia non eſt deciſio Judicis, ſed

ſed per aliquam conventionem extra vel intra Judicium ab ipſis Partibus procurata: unde ſemper alicujus conventionis indolem habet ſibi identificatam. 2. *rei dubiæ;* unde ſi res quoad jus Partis unius eſt certa & liquida, transactio eſt nulla, & quod ejus nomine datum eſt, repeti poteſt. *l. 1. cit. l. 65. §. 1. ff. de condict. indeb.* 3. *& controverſæ*, ſive dein lis jam actu ſit mota, ſive metuatur movenda. *l. 2. C. h. t. c. 4. eod.* Si autem res litigioſa non eſt, ita ut neque lis mota jam ſit, nec timeatur movenda, aut ſi jam finita per ſententiam, quæ tranſiit in rem judicatam, transactio non ſubſiſtit. *l. 1. cit. l. 32. C. eod. l. 23. §. 1. ff. de condict. indeb.* quia res judicata non amplius eſt dubia. *l. 207. ff. de R. J.* ſed pro veritate habetur. 4. *aliquo dato, aliquo retento.* quibus æquivalet promiſſio, vel remiſſio alicujus rei; & per hoc, quòd aliquid debeat dari, vel promitti, vel remitti Parti adverſæ, maximè differt transactio à compoſitione amicabili, qua gratis receditur à lite; ſi enim res conceditur alteri ſine onere, & nullo retento, donatio potiùs vel pura ceſſio, quàm transactio eſt. *l. 1. l. 38. citt.*

Dico 2. Tranſigere poſſunt omnes & ſoli illi, qui paciſci poſſunt, & rerum ſuarum arbitri ac moderatores ſunt, ſeu liberam rerum adminiſtrationem, & alienandi poteſtatem habent. 3
Sumitur ex *l. 27. C. h. t. l. 21. C. Mandati.* Ratio, quia Transactio involvit conventionem, per quam devenitur ad alienationem, quæ requiri liberam adminiſtrationem. Unde tranſigere non poſſunt 1. Pupilli ſine [illegible] is, Minores ſi-

ne Curatoris authoritate, de rebus ſuis: imò neque Tutores & Curatores de rebus Pupillorum & Minorum immobilibus ſine decreto Magiſtratûs. *l. 4. C. de præd. minor.* 2. Procuratores ſine mandato ſpeciali, aut generali *cum libera*; aut niſi ſint in rem propriam conſtituti. *l. 58. ff. de Procurat. c. 4. eod. in 6.* 3. Prælatus de rebus Eccleſiæ vel Monaſterii ſine ſolennitatibus: hæres Fideicomiſſo gravatus ſine conſenſu illorum in quorum gratiam prohibita ipſi eſt alienatio Fideicommiſſi, vel Majoratûs. Intellige hæc omnia de caſu, quo per Transactionem jura & res priùs poſſeſſæ transferuntur in alios; ſi enim retineantur apud Pupillos, Minores, Eccleſias, Familias, & ſolùm detur pecunia ad terminandam litem, prædicti non indigent ſpeciali conſenſu ad contrahendum, modò Pupillus aut Minor non faciat rem ſuam deteriorem. Pariter tranſigere juxta aliquos poſſent ſine conſenſu ſpeciali, ſi foret neceſſitas tranſigendi: v. g. juſſu Judicis, vel ad impedimentum ſcandalum, aut damna gravia; eò quòd non ſit prohibita alienatio neceſſaria, ſed voluntaria tantùm. Pirh. *n. 12.* Krimer *n. 2621.* Alii non obſtante neceſſitate requirunt, ſaltem ad transactionem circa res Eccleſiaſticas, conſenſum Capituli.

4 Dico 3. Regulariter non poteſt Judex præcipere transactionem, & ad eam Partes litigantes compellere. *Novel. 124. c. 4.* quia regulariter nemo tenetur invitus cedere jure ſuo: ſed in transactione neceſſarium eſt cedere aliquo jure ſuo, ſcilicet proſequendi litem, & ſic con-

conſequendi rem totam; cùm tamen in transactione non poſſit conſequi totam, ſed aliquid dare vel promittere alteri debeat. Dixi 1. *regulariter*; nam per accidens cogi poſſunt Partes ad transactionem, ſi nimirum lis ſit valde intricata: ſi ex continuatione timeatur perturbatio publicæ quietis: ſi res, de qua litigatur, ſit in libera poteſtate Judicis, uti Beneficia Eccleſiaſtica in poteſtate Papæ. 2. *præcipere*, & *compellere*; ſuadere enim transactionem poteſt, & aliquando ex officio debet, ne lites cum magnis ſumptibus protractæ nimiùm damnoſæ ſint Partibus: verum enim eſt illud axioma: *melior eſt transactio tenuis, quàm pinguis ſententia*, nimirum poſt ingentes expenſas obtenta.

Dico 4. Tranſigi poteſt ſuper omni & ſola re dubia & controverſa, modò non ſit ſpecialiter prohibitum. Patet ex data definitione Transactionis, & *l.* 1. 2. *ff. h. t.* Prohibetur autem transactio 1. de beneficiis Eccleſiaſticis & rebus ſpiritualibus, ſi pro iis detur vel retineatur temporale; quia id eſſet Simoniacum; imò juxta *c.* 4. *ſeqq. h. t. c.* 6. & *fin. de rer. permut.* de beneficiis tranſigere non licet ſine auctoritate Eccleſiaſtica dando ſpirituale pro ſpirituali retento. 2. de re Matrimoniali in ordine ad Matrimonium, ſemel validè contractum, iterum diſſolvendum; cùm poteſtate humana Matrimonium ſit indiſſolubile. 3. de alimentis in futurum per ultimam voluntatem alicui relictis ſine authoritate Prætoris. *l.* 8. *ff.* & *C. h. t.* 4. de rebus in Teſtamento relictis ſine authoritate Judicis, antequam inſpectæ ſint tabulæ &

Xx 5 ver-

re jud. exceptâ causâ publicâ. *l. 35. ff. eodem.* adeóque non minor eſt vis transactionis, quàm tribuatur rei judicatæ. *l. 20. ff. de trans. act.* Ratio eſt, quia Reipublicæ expedit, lites aliquando ſopitas non ampliùs reſuſcitari: quare licèt aliqua Pars ſit læſa, idque liquidè probare poſſit, non tamen ampliùs auditur; modò læſio non ſit enormiſſima. Licèt autem transactio ſit ſtrictæ interpretationis, tamẽ extenditur ad ea, quæ ſunt acceſſoria, neceſſariò coñexa, & contenta ſub genere illius rei, de qua fuit transactum. per *l. 29. cit.* Dixi autem, *legitimè facta*; ſi enim malè fuit inita, reſcindi utique poteſt; nempe ſi dolo malo, vel gravi metu extorta: ſi error ſubſtantialis, præſertim calculi (h. e. ratione computationis) intervenerit: ſi ex falſis inſtrumentis ſit nata: ſi Minorennis, Eccleſia &c. quibus competit beneficium reſtitutionis in integrum, ſit notabiliter læſa: ſi Majorennis enormiſſimè ſit læſus per transactionem. *l. 5. C. de dolo. l. ult. C. de his, quæ vi metúsve, cum l. 13. 19. C. h. t. l. 15. ff. de jurisd. cum l. un. C. de error. Calc. l. 42. C. h. t. l. 20. 25. & 36. C. eod.* De ultimo caſu, quo enormiſſimè læſus eſt majorennis, teſtantur communiter DD. quia præſumitur dolus. An verò propter læſionem enormem, & immodicam, ſeu quæ ultra dimidium aſcendat; reſcindi poſſit transactio, magna & frequens eſt inter DD. controverſia. Ego

Dico 6. Probabilius eſt, Transactionem legitimè factam, in qua majorennis fuit enormiter ſeu ultra dimidium læſus, reſcindi non 7

poſſe

poſſe Parte altera invita, etiamſi de tota læſione ſufficienter conſtet. Ita Baldus in *l. 2. C. de reſcind. Vend.* Menoch. Haun. Manzius *de Tranſact. q. 2. n. 8.* contra Bart. *in l. 2. cit.* Fachin. Molin. Pirh. *h. n. 3.* Prob. 1. ex *l. 65. §. 1. ff. de condict. indeb.* ubi ſic habetur: *quod transactionis nomine datur, licèt res nulla media fuerit, non repetitur &c. ſin autem evidens calumnia, & transactio imperfecta eſt, repetitio dabitur.* En propter læſionem enormem, dum ne quidem medietas rei debitæ data eſt, negatur repetitio, & tantùm conceditur propter dolum manifeſtum, & imperfectionem transactionis. Prob. 2. Transactio comparatur rei judicatæ. *l. 20. cit. ff. h. t.* & juramento. *l. 2. ff. de jurejur.* ſed res judicata (vel juramentô deciſa) reſcindi nequit ſub prætextu læſionis ultra dimidium. *l. 2. & 4. C. de re jud. l. 2. C. ſentent. reſcindi non poſſe. & l. 9. §. 1. ff. de jurejur.* Quòd autem hæc Jura loquãtur de læſione ultra dimidium, conſtat indè, quòd aliunde certum ſit, læſis infra dimidium non ſuccurri.

Oppones 1. In *l. 5. C. de dolo* tribuitur filiæ *actio in factum* propter immodicam læſionem, in transactione inita cum patre: ergo. 2. Nemo debet cum gravi alterius jactura locupletari: ergo, qui per transactionem graviter læſit alterum, tenebitur Jure Naturali reſarcire damnum. ℞. ad 1. ibi conceditur reſciſſio non propter læſionem, ſed propter dolum, ut colligitur ex ultimis verbis Legis, quæ propter reverentiam debitam parentibus illam actionem, quam dedit filiæ adversùs patrem, non doli, ſed

in

In factum appellat; quia actio doli famoſa eſt. Ad 2. diſt. *Conſ.* tenebitur pro foro interno, ſi mala fide læſit. *C. Conſ.* pro foro externo *N. Conſ.* ſi bona fide tranſactum eſt, nec datur obligatio in foro interno; ſicut poſtquam præſcriptio fuit completa cum bona fide. Qui verò mala fide alterum inducit ad tranſigendum, reſarcire tenetur etiam modicam læſionem in foro conſcientiæ; quamvis non jubeatur in foro externo à Judice. Addidi in Aſſertione: *etiamſi de tota læſione ſufficienter conſtet*; quia non tam facilè conſtat de læſione ultra dimidium, ſi conſideretur dubius litis eventus; fieri enim potuiſſet, ut Pars læſa in tranſactione nihil vel parùm obtinuiſſet per ſententiam; cùm omnis tranſactio fiat neceſſariò ſuper re dubia & lite incerta.

TITULUS XXXVII.

De Poſtulando.

SUMMARIUM.

1. *Poſtulare hìc ſignificat idem, ac Advocare.*
2. *Quis dicatur Advocatus, & à quo conſtituatur.*
3. 4. *Quis poſſit eſſe Advocatus: An Clerici.*
5. *Quod ſit officium Advocati.*
6. *Præſertim circa cauſam minùs probabilem, quam ſuſcipit.*
7. *Quando & quid reſarcire teneatur Advocatus, ſi ſuâ culpâ nocuit Partibus.*
8. *Quæ ſint commoda & privilegia Advocatorum.*

Sciendum 1. tò *poſtulare* hìc non ſonare poſtulationem Prælati, ut eſt ſpecies Electionis, 1

nis, de qua egimus *tit. V.* neque ſumi generaliter, prout in *l. 1. §. 2. ff. h. t.* ſignificat deſiderium ſuum vel amici exponere apud Judicem in Jure, ſeu in loco Judicii, vel alterius deſiderio contradicere; ſed pro advocatione, vel pro officio Advocati. Si enim Partes tranſigere nolint, ſed velint contendere in Judicio, itur ad Judicem. Quia verò ſæpe vel nolunt, vel non poſſunt Partes per ſe ipſas cauſam ſuam agere in Judicio, *Advocatos*, aut (ſi Pars litigans ſit Communitas) *Syndicos*, aut (ſi ſit perſona alia) *Procuratores* pro ſe ſubſtituunt; atque ideo convenienter de his perſonis ſequentes tituli tractant, & præſens quidem

De Advocatis.

2 S. 2. *Advocatum* dici, qui litigantibus, in Judicio præſentibus, patrocinium præſtat, cauſam legitimè deducendo ſecundùm Jura. Unde etiam vocatur Patronus cauſarum, Cauſidicus, Orator. Adeóque debet eſſe vir gravis, prudens, Juris & rerum uſûs peritus. Differt à *Procuratore*, quocum magnam habet affinitatem, quòd cauſam agat alterius in Judicio præſentis, Procurator verò abſentis, & quidem non ut Dominus litis, ſicut Procurator. Dein officium Advocati eſt publicum, honorabile, gaudens multis privilegiis, & exigit virum Jurium peritum, & Doctorum Juris judiciô approbatum; non verò officium Procuratoris. Advocatus conſtituitur vel à Partibus. *l. 2. C. h. t.* vel à Judice. *l. 1. §. 4. ff. eod.* ſi nempe Partes ab ipſo petant, vel ſi per ſe ipſas agere non poſſint, nec Advocatum habere, v. g. propter

propter notoriam paupertatem, vel potentiam adverſarii. Siquis publica auctoritate Magiſtratûs admittitur ad officium Advocati, & Albo Advocatorum inſcribitur, dicitur Advocatus *Juratus*, vel *Immatriculatus*, nec poteſt alicui, patrocinium ſuum poſtulanti, ſine juſta cauſa illud negare, quia gerit officium publicum. Ad id verò non tenetur Advocatus alius, nempe *extraordinarius*, *ſupernumerarius*. uti vocantur, qui non ſunt publica auctoritate admiſſi.

Dico 1. Poſtulare, ſeu Advocatos agere poſſunt omnes, qui non ſpecialiter prohibentur. *Arg. l. 43. ff. de Procurat.* quia eſt de re generaliter permiſſa, & Edictum prohibitorium, ſicut illud de dandis Procuratoribus. Prohibentur autem aliqui 1. *Edicto Prætoris*, nempe minores 17. annis: fœminæ: muti: ſurdi: cœci: condemnati de calumnia, vel capitali crimine: notati inſigni turpitudine, & infames, *l. 1. §. 3. 5. 6. 8. ff. h. t.* & ibi DD. Poſſunt tamen plerique ex iis poſtulare pro ſe ipſis, pro perſonis conſanguitate & affinitate valde propinqua junctis (non verò pro amicis) item pro pupillis, furioſis, fatuis. *l. 1. cit.* præſertim §. *fin.* Prohibentur 2. alii *Lege*, ut Judices & arbitri in ea cauſa, in qua judicant: Infideles (etiam hæretici non tolerati) Jurium imperiti (& juxta multorum locorum conſuetudinem, & ordinationem Cameræ *p. 1. tit. 18.* Gradu Doctoratûs vel Licentiatûs Juridici carentes) potentiores contra infirmiores, ne jura adverſæ Partis opprimant, vel Judicem terreant potentiâ 3

tiâ

tiâ ſuâ: Decuriones contra propriam civitatem; quò etiam revocari poſſunt, qui à civitate, vel alio domino ſalarium habent, ut ſint parati cauſam illius defendere: & univerſim omnes, qui legitimam perſonam ſtandi in Judicio non habent. *l. 6. & fin. C. eod. l. 11. §. 1. C. de Advocat. diverſ. Judic. t. t.* **C.** *ne liceat potentior.* Prohibentur 3. alii *ſententiâ Judicis*, quos nimirum Judex repellit vel ob contumaciam, vel ob delictum, vel ob aliam cauſam. *l. 5. 7. C. h. t. l. 8. ff. eod.* Prohibentur alii 4. *Canone*, ſcilicet Religioſi ſine conſenſu Superioris, & extra caſum utilitatis Monaſterii. *c. 2. h. t.* Franciſcani tamen neque cum conſenſu ſuorum Superiorum & in cauſa utilitatis Monaſterii, ac pro Amicis & Benefactoribus ſuis; neque in tribunali Eccleſiaſtico advocare permittuntur. *Clem. 1. de V. S. poſt med.* Deinde & Clerici Seculares; ſed de his

4 Quæres, an & quinâ Clerici prohibeantur eſſe Advocati? ℞. 1. Clerici omnes advocare poſſũt 1. in cauſa propria, ſive pro ſe ipſis. 2. pro ſuis Eccleſiis. 3. pro perſonis ſanguine junctis uſque ad quartũ gradũ, imò pro ſuis fratribus ſpiritualibus, v. g. pro Canonicis ejuſdem Eccleſiæ. 4. pro perſonis Miſerabilibus, quæ nempe nec per ſe nec per alios ſufficienter tueri ſe poſſunt, & quidem etiam in tribunali laico. *c. 1. & 3. junct. gl. h. t.* & Barb. *in c. 1. cit. n. 2.* ℞. 2. nullus Clericus in tribunali laico, & in cauſa ſanguinis (ſaltem pro Actore contra Reum, propter periculum irregularitatis) item in tribunali Eccleſiaſtico contra Eccleſiam, in qua habet Benefi-

neficium, aut contra Epiſcopum proprium pro extraneis, poteſt agere Advocatum; niſi id agat ex præcepto Superioris, aut pro ſe, vel perſonis conjunctis, vel miſerabilibus. *cc. 1. & 3. citt. c. 9. Ne Clerici vel Monachi.* per *c. 15. de Exceſſ. Præl.* ℞. 3. Sacerdotes in tribunali ſæculari extra caſus in reſponſione prima allatos; item omnes in Majoribus conſtituti, imò & Minoriſtæ habentes Beneficium ad congruam ſuſtentationem ſufficiens poſtulare vetantur. *c. 1. & c. 3. citt.* In tribunali tamen Eccleſiaſtico id ipſis licet, ut deducitur ex *c. 1. cit.* à contrario: quod confirmat etiam praxis Curiæ Romanæ, ubi etiam Sacerdotes munia Advocatiæ & Procurationis obire ſolent. Pariter Clericis & Religioſis licitum eſt conſilia dare Partibus, aut Juris allegationes in ſcripto; modò ipſi non compareant in Judicio; quia hoc non eſt advocare.

5 Dico 2. Advocati officium & obligatio eſt ſedulò rimari factum cum ſuis circumſtantiis; conſulere libros, omnia diligenter conquirere, quæ in utilitatem clientis ſerviunt, ſed abſtinere à fallaciis, fraudibus, falſis allegationibus; etiamſi cauſa clientis juſtiſſima ſit: temperare ſibi à convitiis, ſarcaſmis, & petulantiâ verborum: litem non ſtudioſè protrahere, ſed ſuperfluas allegationes reſecare, frivolas dilationes & exceptiones evitare: non colludere cum Parte adverſa, vel cauſam prodere, revelando arcana & merita cauſæ ſibi creditæ aut lis cognitis ad alteram Partem tranſire (alias enim & Prævaricationis & Falſi crimine ſe ob-

ſtringeret) cauſam ſemel ſuſceptam invito Cliente non deſerere. *l. 14. §. 1. & l. 6. §. 1. & 4. C. eod. l. 38. §. 8. & 9. ff. de pœn. l. 212. ff. de V. S.* Atque ut iſta certiùs præſtarent Advocati, cautum eſt *l. 14. cit.* ut in principio cujuslibet litis juramentum deponant: ſed hodiernô ſæculô ſemel tantùm & initio officii id præſtare ſolent. Haun. *tr. 2. n. 533.* Interim tamen Advocatis regulariter debetur ſalarium à Clientibus. per *c. 16. de Præſcript.* ſi videlicet non habeant aliunde conſtitutum à Magiſtratu, vel ex ærario publico; vel niſi cliens propter notoriam paupertatem dare nequiret (tunc enim ſaltem ex charitate teneretur Advocatus pro tali paupere gratis poſtulare, ſicut Medicus ægrum pauperem gratis curare) quia nemo tenetur ſuis ſtipendiis militare. *d. c. 16.* Sed in petendo ſalario debent habere rationem laboris, dignitatis, ſcientiæ ſuæ, atque difficultatis cauſæ juxta arbitrium prudentis. *l. 1. §. 10. ff. de Extraord. cognit.* Neutiquam verò paciſci poteſt Advocatus de *Palmario*, ſeu de aliquo extraordinario ultra ſalarium in eventum Victoriæ, uti nec de *quota litis*, ſive de certa parte rei litigioſæ ſibi ſolvenda, ſi vicerit. *l. 56. C. h. t. l. 53. ff. de Pact. l. 1. §. 10. ff. de extraord. cognit.* quia tale pactum cenſetur invitare Advocatum ad dolos & fraudes.

6 Quæres, an poſſit Advocatus defendendam ſuſcipere cauſam minùs probabilem tantùm? ℞. cum communi contra Sotum affirmativè, modò verè probabilis exiſtat, & ſpes victoriæ prudens. Sumitur ex *Auth. Hodie jurant. §. Patroni*

troni.C. de Judic. Ratio eſt partim, quia ſœpe minùs probabilia ſunt vera, & magis probabilia ſunt falſa; partim quia ipſe Cliens poteſt ſuam cauſam minùs probabilem defendere in Judicio per ſe ipſum, nec Sotus negat: ergo & per alium, per *reg. J. 68. in 6.* Tenetur tamen Advocatus monere Clientem de minori probabilitate, ne deceptus faciat magnas expenſas, non litigaturus fortè, ſi ſciviſſet cauſæ ſuæ ſtatum. Ubi verò non affulgeret ſpes prudens victoriæ, per accidens non poſſet ſuſcipere cauſam minùs probabilem, niſi monito priùs Cliente de periculo, & nihilominus volente cauſam defendi. Sic ſi Advocatus ſciat, in ſuo Dicaſterio conſtanter practicari ſententiam ſuo Clienti adverſantem, vel reum, contra quem ſuſcipit patrocinium, eſſe in poſſeſſione rei litigioſæ, probationes verò contra juſtam ejus poſſeſſionem, vel dominium, ſufficientes afferri non poſſe &c. non poteſt ſuſcipere cauſam. Oppones 1. Illi tenetur favere Advocatus, cui favent Jura: ſed Jura potiora favent habenti cauſam probabiliorem: ergo. 2. Princeps non poteſt illi inferre bellum, pro quo ſtat major probabilitas: ergo nec Advocatus movere litem illi, pro quo ſtat major probabilitas. ℞: ad 1. *Diſt. Ma.* cui favent Jura vera. C. apparentia tantùm & exiſtimata. *N. M.* Ad 2. *N.* paritatem, quia Princeps bellum inferens ſimul eſt Judex, & altera Pars litigans; Judex autem tenetur ſequi probabiliora: Advocatus non ſimul eſt Judex, ſed ſolùm aſſiſtit Parti, quæ per ſe ipſa licitè ageret cauſam minùs probabilem.

 Dico

7 Dico 3. Advocatus non ſolùm graviter peccat, ſed etiam tenetur Parti læſæ ad reſtitutionem, & compenſationem damnorum. 1. ſi vel ex malitia, vel ignorantia culpabili, ſuſcipiat cauſam injuſtam: vel ad hanc in Judicium deducendam inducat Clientem: vel poſt acquiſitam in progreſſu notitiam injuſtitiæ, non ſtatim deſiſtat: vel ſuſcipiat cauſam quidem probabilem, de qua tamen moraliter nulla eſt victoriæ ſpes: vel Adverſario pandat ſecreta ſibi credita, ut Cliens perdat cauſam: vel denique ſciens injuſtam ſui Clientis cauſam diſponat Adverſarium ad transactionem. Advertendum autem eſt, quòd, ſi obtineat ſententiam pro cauſa injuſta ſui Clientis, teneatur alteri Parti non modò reſtituere litem principalem, vel æſtimationem litis, ſed etiam expenſas: ſi verò Cliens ſuus cauſam injuſtam habens condemnetur, quem priùs de injuſtitia non monuit, teneatur huic ſolùm expenſas reſarcire; imò, ſi monuiſſet priùs, & ille nihilominus non omiſiſſet litem, ad nihil teneretur; quia ſcienti & volenti non fit injuria. 2. ſi lucri capiendi gratiâ protrahat litem ad longum tempus, quæ poterat citò expediri. 3. ſi culpabili negligentia, aut ignorantiâ Legum, vel meritorum Cauſæ, litem perdat: quod iterum intellige de caſu, quo Cliens ignoravit negligentiam, vel imperitiam illius; aliàs ſibi imputare debet, quòd talem Advocatum elegerit. Ratio dictorum omnium eſt; quia Advocatus in his caſibus eſt injuſta cauſa damnorum in Partes redundantium.

Dico

Dico 4. Advocatorum commoda & privilegia ſunt 1. Nobilitas, ſaltem in ſupremis Principum Dicaſteriis. 2. participatio privilegiorum Militarium, uti eſt privilegium competentiæ &c. exceptis tamen iis, quæ militibus competunt ratione ignorantiæ Juris. 3. immunitas à carcere, & tortura; quare ſi Advocatus delinquat, cuſtodiendus eſt in cubili honeſto. 4. immunitas à pœnis magis ignominioſis, quales cenſentur eſſe fuſtigatio, ſuſpendium: quare, ſi Advocati delictum ſit majus vel capitale, gladiô v. g. puniendus eſt. 5. immunitas ab oneribus, & muneribus publicis, à recipiendis militibus &c. Colliguntur hæc ex *l. 7. C. h. t. l. 14. & ult. C. de Decurion. l. 8. C. de quæſtion. l. 28. & fin. ff. de pœnis. l. 2. & 6. C. de Profeſſ. & Medic.* Stryck. *in diſſert. de Privil. Advoc.* 8

TITULUS XXXVIII.

De Procuratoribus.

SUMMARIUM.

1. *Quis vocetur Procurator.*
2. *Quis ad litem: quis ad negotia. Et an in Procuratorem ferenda ſententia.*
3. *Qualiter conſtituendus ſit Procurator: quid in mandato Procuratorio exprimendum.*
4. *An & quibus neceſſarium ſit mandatum.*
5. 6. *Quis Procuratorem poſſit, aut debeat conſtituere.*
7. *Quis conſtitui Procurator valeat.*
8. *An Minorennis, & Infamis, ad litem.*

9. *In quibus cauſis conſtitui poſſit Procurator. In famoſis conſtitui expedit.*
10. *Quæ ſit poteſtas Procuratoris.*
11. *Quid poſſit vi clauſulæ, concedentis poteſtatem ad omnia, licèt mandatum ſpeciale exigant: quid conſtitutus cum libera.*
12. *Quod ſit officium & obligatio Procuratoris. Quid ſit contractus Mandati.*
13. *Qualis actio competat Domino & Procuratori adversùs ſe invicem.*
14. *Quomodo finiatur officium Procuratoris.*

1 SCiendum 1. *Procuratorem*, Germanicè ein Anwald/ Gevollmächtigter/ in genere dici, qui aliena negotia mandatô Domini adminiſtrat. *l. 1. ff. h. t.* intellige, abſentis. Addunt aliqui, *gratuitò* adminiſtrat, quia officium Procuratoris gratuitum eſt. *l. 15. C. eod.* &, ſi petatur ſalarium, potiùs eſt locatio operarum: nihilominus hodiernis moribus paſſim conſtituuntur Procuratores pro ſalario ab iis, qui per ſe ipſos vel non poſſunt, vel nolunt, res ſuas & negotia perficere. Per tò *mandatô* differt Procurator tum à *Negotiorum geſtore*, quia hic aliena negotia gerit ſine mandato. *l. 2. ff. de negot. geſtis*, tum à *Defenſore* ſtrictè ſumpto, quia etiam iſte reum abſque mandato tueri poteſt. *l. 33. §. 2. ff. h. t.* modò talis defenſor caveat de rato, & de judicato ſolvendo, ſi agitur actione reali. *l. 40. ff. eod.* Per tò *domini* diſtinguitur à *Tutore* & *Curatore*, qui aliena negotia adminiſtrant vel ex voluntate Teſtatoris, vel ex decreto Legis aut Magiſtratûs.

Sc. 2.

S. 2. Procuratorem alium conſtitui ad litem unam, vel omnes; alium verò ad aliud negotium extra-judiciale, unum vel plura. Prior dicitur Procurator *ad litem*, vel *Judicialis*: poſterior autem Procurator *ad negotia*, vel *Extrajudicialis*. Si conſtituitur ad omnes lites, vel ad omnia negotia, vocatur *Generalis*: ſi ad unam litem, vel unum negotium certum, *Specialis*. *l. 1. cit.* §. 1. Generalis ſubinde conſtituitur *cum libera*, h. e. plena & libera poteſtate agendi omnia, quæ poſſet ipſe dominus. *c. 4. h. t. in 6.* ſubinde verò omittitur hæc clauſula. Porro ſi aliquis generaliter ſine ulla limitatione conſtituitur ad omnia domini negotia, intelliguntur tam Judicialia quàm Extrajudicialia, & talis Procurator poſſet appellari *Univerſalis*. Judicialis ſubdividitur; nam alius dicitur procurator *in rem ſuam*, vel *propriam*, cui nempe actiones & jura ceſſa ſunt per donationem, venditionem, ſimplicem ceſſionem &c. ut adeò præter mandatum procuratorium etiam habeat titulum, ex quo aliàs rerum dominia transferri ſolent, adeóque litem adminiſtrat in utilitatem propriam; ſi enim rem obtinet, eam acquirit ſibi. *l. 34. ff. eod.* hujus tamen ceſſionarii, ſeu procuratoris in rem ſuam actio & jus ſemper fundatur in jure domini, & *actionem directam* contra debitores exercet ſolùm nomine cedentis, cujus oſſibus inhærere illa dicitur, proprio autem nomine exercet tantùm *actionem utilem*, ſeu ſibi ceſſam. Alius autem, & ordinariè, eſt procurator *in rem alienam*, qui nemde litem gerit in utilitatem domini, à quo fuit 2

conſtitutus. Procurator Judicialis poſt litis conteſtationem fit dominus litis, ita ut ipſe, nō dominus (niſi gravis neceſſitas poſtulet) ad Judicium citetur, & compareat ad omnes actus. *l. 22. 23. C. eod.* atque ipſam ſententiam, quæ regulariter ferenda eſt in Procuratorem, præſertim in Civilibus, & Criminalibus famoſis excipiat: quamquam in praxi fori Eccleſiaſtici non ſcrupuloſè attendatur, ſive in Dominum, ſive in Procuratorem feratur ſententia. In Camera Imperiali, in qua lites omnes agitantur per Procuratores, ſententiæ omnes (exceptis cauſis injuriarū infamiam inducentibus) feruntur in dominum directè. Gail. *l. 1. obſerv. 111.* P. Wieſtner hic *n. 61.* Pariter ſi dominus ipſe conteſtatus eſt litem, in ipſum fertur ſententia; uti & in cauſis Matrimonialibus & Beneficialibus. Wieſtner *d. l.* Dominus ſiquidem initio vocatur ad Judicium, ſi præſens ſit, vel commodè venire poſſit. Wagnereck. ad *c. 11. h. t.* Quamvis autem Procurator Judicialis differat ab Advocato, quia abſentis litem adminiſtrat, & litis efficitur dominus; tamen hodie ipſi Advocati ſolent ſimul conſtitui Procuratores ad parcendum expenſis, & evitanda alia incommoda.

3 Sc. 3. Procuratorem conſtitui poſſe vel tacitè, ut ſi dominus ſciens, aliquem ſuo nomine in Judicio agere, non contradicat. per *l. 18. ff. mandati;* vel expreſsè, ut fit ordinariè, nimirum à domino coràm, vel in Judicio, ſi præſens ſit, aut per ſcripturam ſuô privatô (vel publicô Civitatis vel Judicis) ſigillô munitam, vel etiā à No-

à Notario & teſtibus ſubſcriptam; adeóque per inſtrumentum privatum aut publicum: vel per nuntium aut litteras, ſi dominus ſit abſens. Ut autem mandatum *Procuratorium*, uti vocant, ſit ritè formatum, debent exprimi 1. nomina & cognomina conſtituentis & Procuratoris conſtituti, Adverſarii, & Judicis. 2. qualitas cauſæ demandatæ. 3. actus, ad quos conſtituitur procurator, nempe an ad agendum & defendendum ſimul &c. Si in mandato, quo conſtituit procuratorem Actor, non exprimatur poteſtas etiam ad reſpondendum & defendendum, tamen id ſubintelligitur. *l. 33. §. 4. h. t.* non verò viciſſim, ſi in mandato, quo conſtituit procuratorem Reus, non exprimatur poteſtas ad agendum. Poſt actus autem plerumque additur clauſula: *& ad reliqua omnia, quæ ego ipſe, ſi præſens eſſem, facere poſſem.* 4. clauſula de ratihabendo, quidquid procurator geſſerit, ſi mandatum det Actor. 5. annus, & dies. Pirh. *h. n. 53.* cum Durand. & Weſenbec. Ex his enim colligitur legalitas & valor mandati Procuratorii; quamquam, ſi ſcripto detur, non opus ſit Inſtrumento publico, ſed ſufficiat privatum, ut monui. De reliquo id operatur mandatum, ut, quidquid procurator gerit, à domino geſtum eſſe cenſeatur, ut adeò factum procuratoris poſt litem conteſtatam proſit & obſit domino. *l. 46. §. 4. ff. & l. 10. C. eod.* Excipe, niſi ille excedat limites mandati. per *l. 27. & 49. ff. eod.* aut niſi culpa, ex parte Procuratoris commiſſa, ſit perſonalis, magiſque perſonam reſpiciat quàm litem: ut ſi protervè ob-

Digitized by Google

loquatur Judici, ſi calumniis impetat Adverſarium. *l. un. §. 2. ff. ſiquis jus dicenti.*

4 Dico 1. Mandatum (Gewalt / die Vollmacht) Procuratori ad agendum ita eſt neceſſarium regulariter, ut eo deſtitutus nihil agat validè, & ſententia ſubſequens ipſo Jure ſit irrita. *c. 4. & l. 24. C. h. t.* Et talis procurator dicitur *falſus*. Si tamen aliquis ſine mandato cœpiſſet quidem agere, dominus autem ante ſententiam definitivam illius acta haberet rata, valerent, & ratihabitio retrotraheretur ad initium litis fictione Juris, & æquipararetur mandato. *c. 10. in 6. & l. 60. ff. de R. J.* Quòd ſi dubium ſit, an Procurator habeat legitimũ mandatum, quia nimirum illud non plenè probat vel per duos teſtes vel per ſcripturam authenticam &c. admitti quidem poteſt, ſed cum cautione de rato (ſeu quòd dominus ratum ſit habiturus, quod ejus nomine agere aggreditur) *l. 1. C. h. t.* Ad quam cautionem, ſi mandatum ſit liquidum, uti & ad ſatisdationem de judicato ſolvendo, ſi conſtituens promiſit ratihabitionem, non adſtringitur procurator *ad agendum.* per *l. 1. cit.* bene tamen adſtringitur ad hanc ſatisdationem procurator, quem dat *Reus* etiam mandatô liquidô, niſi Principalis eam præſtare malit. *l. un. C. de ſatisdando.* Hodie tamen non requiruntur hujusmodi cautiones, teſte Pirhing *n. 54.* Dixi in aſſertione, *regulariter;* nam apud certas perſonas Jura non requirunt mandatum, ſed præſumunt voluntatem eorum, pro quibus interveniunt, nimirum 1. ſi ſint perſonæ conjunctæ, uti parentes,

tes, liberi, fratres, affines, libertus reſpectu Patroni, maritus reſpectu uxoris, ſocius reſpectu ſocii in re communi, imò, ut cum Hoſtienſ. in Summa *hic n.13.* vult Abbas, usque ad quartum gradum conſanguinei pro ſe invicem. 2. conſortes ejusdem litis. 3. Canonici & Clerici ad recuperanda bona & jura ſuæ Eccleſiæ, ſi Epiſcopus vel Prælatus quoad hoc ſit negligens. 4. ſi dominus ſciat, aliquem ſuo nomine cauſam agere, & nō contradicat. vid. *c.12. cum l.35. ff. h. t. l. 2. C. de conſort. ejusd. lit. c. 1. de reſtit. ſpoliat. l. 18. ff. Mand.* Quia verò iſtæ perſonæ ſolùm admittuntur ſine mandato ex præſumptione mandati, ſi aliud conſtet de voluntate Principalis, non admittuntur.

Dico 2. Procuratorem conſtituere poteſt, 5
quisquis rei dominus eſt, & liberam adminiſtrationem habet, niſi prohibeatur. Quia hoc Edictum eſt prohibitorium, conſequenter de re generaliter permiſſa. *l. 43. ff. h. t.* Prohibentur autem 1. propter defectum *dominii*, Religioſi ſine conſenſu Prælati. *Clem. 3. eod.* in caſibus tamen, in quibus agere poſſunt in Judicio ſine licentia Prælati, ut ſi accuſent proprium Prælatum, per alium agere poſſunt. Item Tutor, Curator, Syndicus ante litem à ſe conteſtatam. *l. 11. C. eod.* quia antea non ſunt domini litis. Neque procurator ante litem conteſtatam ſibi alium ſubſtituere poteſt ex eadem cauſa. 2. propter defectum *liberæ Adminiſtrationis* Prælatus ſine conſenſu Capituli, ſed tantùm in cauſa ardua Eccleſiæ ad litem, vel ſi procuratorem perpetuum aut generalem om-

nium

nium negotiorum conſtituere vellet. Extra hos duos caſus poſſunt Prælati liberè conſtituere procuratorem. per *c. 6. de juram. calum.* Item Pupilli, Minorennes, Filiifamilias in caſibus, in quibus per ſe litigare non valent, neque procuratores dare poſſunt ſine conſenſu Tutorum, Curatorum, Patrum. *l. 8. ff. l. 11. & 14. C. h. t.* Et hinc Minor, ſi Curatorem non habet, ad negotia extrajudicialia, item, ſi pubes ſit, in cauſa ſpirituali ad litem dare procuratorem poteſt; non verò ad litem in cauſa temporali, ſed ipſi dandus eſt à Magiſtratu. *l. 43. cit. c. fin. de Judic. in 6.* Si verò Minor habens Curatorem per ſe ipſum conſtituat procuratorem, valebit ſententia pro ipſo, non verò contra ipſum lata. *l. 14. cit.* Aliunde prohibentur 3. excommunicati, ſed ſolùm ad agendū, non ad defendendum. *c. 7. de Judic. & c. fin. h. t.* Idem eſt in foro ſæculari de Bannito. 4. univerſim omnes, qui ſtare nequeunt per ſeipſos in Judicio, ut ſervi, niſi litigent de ſtatu ſuo. *l. 33. ff. eod.*

6. Quæres, an aliquando cogi quis poſſit ad conſtituendum procuratorem? ℟. ſi habeat impedimentum perpetuum, vel valde diuturnum, quò minùs poſſit, vel ſi nolit agere per ſe ipſū, cogi poteſt. *c. 2. h. t.* ne jus alterius Partis lædatur, vel pereat. Si verò impedimentum ſit breve, neque diu credatur duraturum, debet altera Pars habere patientiam, donec ceſſet. *c. cit.* Modò impedimentum ſit verum, & non fictum, uti fuit ille morbus, de quo ſermo eſt in *c. 6. de dolo*, ubi propterea pro contumace ha-

bitus

bitus eſt Prælatus, qui non comparuit per Procuratorem.

Dico 3. Procurator pariter conſtitui poteſt omnis ad litem, qui ſtare ſuo nomine poteſt in Judicio, niſi prohibeatur: ad negotium verò aliud, qui capax eſt illud exequendi. Communis DD. Prohibentur autem milites, & fœminæ, niſi in rem ſuam, aut illi pro ſua cohorte, & iſtæ pro valde conjunctis perſonis, in defectu alterius. *l. 7. & 13. l. 18. C. & l. 4. & 41. ff. h. t.* 2. potentiores. *t. t. C. ne liceat potentiorib.* quinam autem ſint potentiores, arbitrari debet Judex. 3. redemptor litis alienæ, ſeu ille, qui procurationem alicujus litis ſuſcipit eo pacto, ut in eventum victoriæ certa ſibi portio præſtetur. *arg. l. 5. C. de poſtulando.* 4. ſervi, Religioſi ſine conſenſu Superioris, excommunicati; quia ſtare in Judicio non poſſunt. De Clericis ſæcularibus in cauſa Laicorum diſcurre, ſicut ſuprà docuimus ad quæſtionem, an poſſint eſſe Advocati? *Tit. 37. n. 4.* Sacerdos ſpecialiter admittitur ad procurandum in cauſa Epiſcopi etiam ad lites circa rem temporalem. *c. 4. h. t.* Et viciſſim Laicus in cauſis Eccleſiaſticis. *c. 1. eod. in 6.* quia non agit ſuo nomine, ſed nudum miniſterium pro alio exercet. 7

Quæres, an Minorennis poſſit eſſe Procurator ad lites, item an infamis? ℞. uterque prohibetur de Jure Canonico: prior. *c. 5. h. t. in 6.* poſterior *can. 1. & 2. cauſ. 3. q. 7.* Et quia Jus Civile de neuto clarè aliquid ſtatuit, rectè colligitur ex *c. 1. de N. O. N.* quòd ſe conformet Juri Canonico, præſertim quia praxis Cameræ Imperia- 8

perialis obſervat Jus Can. Minorennes de Jure Civili munere Procuratoris fungi poſſe affirmat cum Zæſio & Lauterbachio P. Wieſtner *n.* 23. negat cum Weſenbec. & Stryck. Gletle 1. *parte Pand. q.* 28. Pariter diſcrepant Legiſtæ de infami. Oppones 1. In *§.* 5. *Inſt. quibus ex cauſ. manumitt. non lic.* conceditur manumiſſio ſervi 17. annis non minoris, *Procuratoris habendi gratiâ;* ſeu ut poſſit pro manumittente eſſe procurator: ergo, qui complevit 17. ætatis annum, poteſt conſtitui Procurator. Confirmatur à pari; quia 17. annis major poteſt eſſe Advocatus. *l.* 1. *§.* 3. *ff. de poſtul.* ergo & Procurator; quia illud plus eſt, quàm iſtud. 2. In §. *ult. Inſt. de Except.* vi conſuetudinis potiùs, quàm Juris, non admittitur exceptio contra procuratorem infamem, aut ab infami datum: ergo. ℞. ad 1. cùm ibi non exprimatur, an talis manumiſſus ſit deſtinatus procurator ad lites, vel ad negotia extrajudicialia; rectè id accipitur de negotiis extrajudicialibus, ne recedatur à Jure Canonico clarè Minores excludente à munere procuratoris ad lites. Dein poſſet dici, quòd favore libertatis citiùs admittatur ad hoc munus, qui propterea manumittitur. Ad Confirm. *N. parit.* quia Procurator litigat, & fit dominus litis: Advocatus autem non tam litigat, quàm litiganti præſtat patrocinium; nec fit dominus litis. Ad 2. ibi ſolùm dicitur, quòd de Antiquo Jure fuerit dubium, an exceptio infamiæ poſſit opponi procuratori; quia additur: *dum altercatur:* Lex autem Civilis dubia explicari debet ad Jus Canonicum certum.

Dico

Dico 4. Procurator in omnibus cauſis & negotiis, qui ſunt in arbitrio Principalis ſeu domini, dari poteſt, exceptis ferè ſolis cauſis Criminalibus criminaliter intentatis, in quibus de Jure ſtatuta eſt pœna, Relegatione major. Rurſus communis ex *l.* 1. *&* 41. *h.t.* Imò in cauſis criminalibus famoſis (ſeu infamiam irrogantibus) expedit ſemper litigare per Procuratorem, ut evitetur infamia Juris; ſi enim Principalis non compareat in Judicio, ſententia in ipſum non fertur, atque ideo non fit infamis; ſed fertur in Procuratorem. Qui etiam infamis non redditur, quia non condemnatur propter delictum proprium. *l.* 1. *ff. de his, qui not. inf.* Saltem hoc procedit in iis delictis, in quibus infamia non principaliter, ſed per conſequentiam ſolùm infligitur: an verò etiam tunc, quando infamia principaliter infligitur, admittendus ſit Procurator, in utramque partem diſputatur: aliqui teſte Wieſtner *n.* 44. ſatis probabiliter negant. Dixi: *exceptis ferè ſolis criminalibus &c.* In his enim de Jure nec Accuſator conſtituere poteſt procuratorem; quia in hunc non poteſt decerni pœna Talionis, ad quam ſe deberet inſcribere Accuſator. *l.* 7. *ff. de accuſ.* caſu quo deficeret in probatione. Neque Reus, quia poſſet fugere, & ſic reddere Judicium eluſorium. *l.* 13. *ff. de publ. Judic.* *c.* 15. *de accuſ.* *junct. gl. V. criminali.* Si tamen Reus foret abſens, vel aliàs in Judicio comparere nequiret perſonaliter, Defenſor admittendus pro eo foret ad allegandam & probandam cauſam abſentiæ, ad opponendas exceptiones, & probabili- 9

biliter etiam de defendendam illius innocentiam. per c. 4. & l. 33. §. 2. ff. h. t. præſertim apud perſonas Illuſtres. l. fin. C. de injuriis. Dein etiam Accuſator hodiernis moribus, per quos ſublata eſt inſcriptio ad pœnam Talionis, & ſubſtituta pœna pecuniaria & condemnatio ad expenſas, permittitur conſtituere Procuratorem; quia executio fieri poteſt in bonis Accuſatoris, etſi ipſe fugeret, cùm ſe deficere in probatione advertit.

10 Dico 5. Poteſtas Procuratoris eſt tanta, quantam ei concedit Jus, Conſuetudo, & maximè Mandatum Domini. Ratio; quia omnem poteſtatem habet à Domino, quam is vel tacitè concedit ſecundùm Jura & Conſuetudinem; vel ſpecialiter exprimit in Mandato. Unde alia ipſius poteſtas eſt *generalis*, quæ omnibus Procuratoribus communis eſt, uti conteſtari litem, ſubſtituere ſibi alium, appellare, & quidquid principaliter vel acceſſoriè exprimitur in mandato generali. Alia autem *ſpecialis*, quæ ſe extendit ſolùm ad ea, ad quæ habet mandatum ſpeciale, & hæc non poteſt vi generalis mandati, uti ſunt tractare cauſam criminalem criminaliter intentatam, jurare de calumnia; deferre Parti adverſæ juramentum litis deciſivum, compromittere in arbitros, tranſigere vel paciſci, petere reſtitutionem in integrum; impetrare Reſcriptum, fidejubere, debitum remittere, donare; renuntiare juri ad beneficium, tractare cauſam Matrimonialem loco Domini, petere abſolutionem ab excommunicatione, impetrare diſpenſationem ſuper de-

ſectu Natalium, conferre beneficium, præſentare ad illud &c. Text. gl. DD. *in c. 4. in 6. &* *Clem. 2. h. t.* ſpeciatim verò Durand. *de Procurat.*

11 Quæres, quam poteſtatem tribuat Procuratori in Mandato expreſſa clauſula: *poſſit omnia, licèt mandatum ſpeciale exigant?* ℟. non poteſt vi illius ea, quæ aliàs requirunt mandatum ſpeciale. *c. 4. cit.* quia adhuc generalis eſt conceſſio, per quam non veniunt ea, quæ ſpeciali nota ſunt digna: *c. 81. de R. J. in 6.* & hoc ipſo, quòd Jura velint aliqua committi in ſpecie & nominatim, non ſufficit commiſſio generalis, in qua nullum in ſpecie exprimitur. Laym. in *c. 4. cit.* P. Wieſtner *hic n. 55.* Excipe tamen 1. niſi in Mandato per modum conceſſionis (non exceptionis) aliqui articuli, ſpeciale aliàs mandatum requirentes, eſſent ſpecificati; tunc enim vi talis clauſulæ poſſet etiam alia ſpeciale mandatum exigentia, quæ ſunt ſimilia vel minora expreſſis, non verò majora. *Clem. 2. cit.* Excipe 2. niſi adjecta ſit clauſula, *cum libera*; hæc enim æquivalet mandato ſpeciali. *c. 4. cit.* *l. 58. ff. eod.* Excipe 3. niſi ſit procurator in rem ſuam. *gl. fin. in c. 4. cit.*

12 Dico 6. Officium & obligatio Procuratoris ad litem eſt 1. ut diligentiſſimè cuſtodiat mandatum domini, litémque ſemel ſuſceptam usque ad finem deducat: ſecus tenetur domino omnia damna, etiam per culpam leviſſimam cauſata, reſarcire. *l. 5. & 21. ff. l. 13. C. Mandati*; eo ipſo enim, quòd quis ſuſcipiat munus procuratoris ad litem, cenſetur ſpondere dili-

gentiam exactiſſimam, quam nempe deſiderat natura & gravitas negotiorum Judicialium. 2. ſi victus fuerit, appellare à ſententia definitiva, vel ſaltem (ſi juſtam habet cauſam excuſantem) monere dominum, ut is intra decendium appellare poſſit, ſi ſibi conſultum cenſuerit. *c. 14. h. t.* quia interpoſitio Appellationis eſt de connexis primæ inſtantiæ, & fit coram eodem Judice, quare ad eam ſe obligâſſe cenſetur Procurator. *arg. l. 56. 62. ff. eod.* Aliud eſt quoad proſecutionem Appellationis, ad quam probabiliùs non tenetur, per *c. 14. cit.* quia per Appellationem cauſa transfertur ad alium Judicem, & ſæpe ad alium locum. Excipe, niſi expreſsè ſe obligâſſet ad agendum, defendendũ, & appellandum: vel niſi conſtitutus fuiſſet generaliter ad omnes cauſas Judiciales: vel niſi Appellatio fuiſſet ſolùm à ſententia interlocutoria. 3. finita lite (idem eſt de alio negotio) reddere rationem domino, &, quæ conſecutus eſt, reſtituere. niſi ſit procurator in rem ſuam. De reliquo Procurator ad negotia extrajudicialia non tenetur ad diligentiam exactiſſimam, ſed ſolùm ad talem, qualem homines utcunque diligentes in rebus propriis adhibere ſolent, adeóque non tenetur præſtare culpam leviſſimam, ſed ſolùm latam, & dolum, ut alii Mandatarii, ſi negotium ſit vulgare, nullam requirens induſtriam, uti eſt v. g. fidejuſſio. *l. 29. pr. ff. Mandati.* & culpam levem, ſi negotium requirat diligentiam mediocrem, qualem exigunt pleraque negotia extrajudicialia. *l. 11. C. eod. l. 23. ff. de R. J.* quia mandatarii & man-

dantis intentio non poteſt certiùs cognoſci, quàm ex natura negotii majorem vel minorem diligentiam requirentis. Porro contractus *Mandati* (à *manûs datione* appellati) nihil aliud eſt, quàm contractus conſenſualis bilateralis, quo negotium gratis gerendum alteri committitur, & ſuſcipitur. Unde per ſe, quia redundat tantùm in favorem mandantis, præſtanda foret ſola culpa lata; niſi nempe negotii qualitas intentionem contrahentium aliter explicet; vel etiam pretium accipiatur. per *l.* 5. §. 2. *Commodati.*

Quæres; an & qualem actionem adversùs ſe habeant Dominus & Procurator? ℞ uterque habet *actionem Mandati*, ſi unus ſit læſus ab altero: & quidem dominus *directam* ad proſequendum id; quod ſuâ intereſt ratione litis non exactiſſimè adminiſtratæ, vel negotii non cum debitâ diligentia geſti. *l.* 9. 13. 21. *C. Mandati.* Procurator autem *contrariam* ad conſequendum id, quòd ex cauſa mandati bona fide præſtitit, vel expendit. *l.* 46. §. 5. *ff. h. t.* & ad damna per culpam etiam leviſſimam mandantis ſibi orta. *arg. l.* 5. *cit.* Intelligo, ſi ſalarium pro ſuo munere non accipiat Procurator; tunc enim non actio *Mandati*, ſed *Locati* locum haberet in utroque, §. 13. *Inſt. de Mand.* Utraque actio utrobique tranſit ad hæredes. 13

Dico 7 Officium Procuratoris (uti cujusvis alterius Mandatarii) finitur 1. revocatione, expreſſa vel tacita, ſed intimata Procuratori, vel Judici, aut hujus locò Adverſario. 2. morte domini: 3. & morte procuratoris, quæ 14

re adhuc integra accidit. 4. renuntiatione. 5. mutuo utriusque, domini & procuratoris, conſenſu. 6. finitâ causâ, vel negotiô. *§. 9. 10. 11. Inſt. de Mand. l. 8. ſeqq. ff. h. t. arg. l. 58. ff. de Pact. & l. 21. C. h. t.* Notandum verò eſt 1. rem deſinere integram, ſi negotium jam eſt cœptum, vel ſi lis jam eſt conteſtata, vel dominus jam ſatisdedit conſentiente procuratore de judicato ſolvi. 2. revocationem (uti & renuntiationem & conſenſum mutuum) ſi fiat poſt litem conteſtatam, exigere juſtam cauſam. *c. 2. in 6. l. 19. ſeqq. ff. h. t.* qualis eſſet adverſa valetudo procuratoris, peregrinatio, moroſa tractatio cauſæ, ſuperveniens inimicitia cum domino &c. Et hæc cauſa debet cognoſci & approbari à Judice, ſi Adverſarius petat, vel, ſi abſit talis cognitio, ſaltem conſentire debet Adverſarius. per *c. 13. & l. 65. ff. eod.* quia per conteſtationem litis cum Adverſario initur quaſi-contractus. *l. 3. §. 11. ff. de pecul.*

TITULUS XXXIX.

De Syndico.

SUMMARIUM.

1. 2. Quis dicatur Syndicus: quid ſit Univerſitas.
3. 4. Quis poſſit eſſe Syndicus, & quam habeat poteſtatem.
5. Quomodo finiatur ejus officium.

1 SCiendum, Syndicum eſſe quidem Procuratorem, at non qualemcunque, & alicujus privati, ſed conſtitutum ad ſolas lites generaliter

lter omnes integræ alicujus Univerſitatis: unde pleraque de Procuratoribus dicta etiam Syndico conveniunt. Per *Univerſitatem* intelligitur omnis collectio hominum, unum morale corpus conſtituens, res communes habens, ut civitas, oppidum, Eccleſia, Monaſterium, collegium Clericorum, Studioſorum, Opificum. *l. 1. ff. quod cujusc. Univerſ.* cùm enim integra civitas, vel alia communitas, per ſe ipſam comparere in Judicio nequeat, neceſſariò conſtituere debet Syndicum, qui ipſam repræſentet. Differt itaque *Syndicus* à *Procuratore* tanquam ſpecies à genere: à *Curatore* Univerſitatis; quia iſte eſt ad negotia illius extrajudicialia: à *Quæſtore* & *Adminiſtratore Cameræ*, quia iſti præſunt rei Numariæ: ab *Oeconomo*, quia hic gubernat & diſpenſat res Eccleſiæ vel alterius communitatis, ejúsque neceſſitatibus proſpicit: ab *Actore publico*, quia hic non generaliter ad omnes lites, ſed ad unam alterámve, vel plures certas cauſas, conſtituitur; quamquam ſubinde confundatur cum Syndico: demùm à *Fiſcali* ſeu procuratore Fiſci, quia hic cauſas tantùm Criminales tractat, & mulctas pœnásque Univerſitati debitas perſequitur.

Dico 1. Syndicus eſt Procurator, qui communi mandato alicujus Univerſitatis adminiſtrat cauſas illius litigioſas. Sumitur ex *l. 1. cit.* Comuni igitur mandato ſeu conſenſu omnium, vel majoris ſaltem partis eorum, qui jus ſuffragii habent, & intereſſe volunt, ac poſſunt, eligi & conſtitui debet Syndicus, per *c. 2. de in-* 2

integr. Reſtit. & *reg. J. 29. in 6.* niſi nimirum aliud habeat conſuetudo loci, vel particulare ſtatutum Mandatum commune ſeu Inſtrumentum Syndicatûs debet eſſe munitum Univerſitatis ſigillô, &, ubi viget talis conſuetudo, à quibusdam ſubſcriptum.

3 Dico 2. Syndicus Monaſteriorum non debet conſtitui unus ex Religioſis, ſed extraneus, aſſignatô eidem ſalariô. *c. un. h. t.* niſi neceſſitas vel utilitas Monaſterii aliud exigat, & conſenſus Prælati accedat. *can. 35. cauſ. 16. q. 1.* ne ſcilicet rebus forenſibus ſervi DEI avocentur à Divinis. In aliis autem Univerſitatibus nihil prohibet, quò minùs membrum, vel etiam ipſe Superior communitatis, exiſtat Syndicus.

4 Dico 3. Poteſtas Syndici, niſi aliud ſit expreſſum in Mandato, eſt eadem, quam habet Procurator ad lites conſtitutus *cum libera*. Gail. *L. 2. obſerv. 72. n. 11.* Unde omnia poteſt, quæ ſpeciale aliàs mandatum requirunt, præterquam donare, & liquidum remittere debitum. Fit etiam dominus litis poſt conteſtationem illius, ita ut totus Proceſſus dirigatur in ipſum: non tamen cogendus eſt ad cavendum de rato, niſi probabiliter dubitetur de ejus Mandato. *l. 6. §. 3. ff. quod cujusc. Univerſit.* neque ad ſatisdandum de judicatû ſolvi, quia eſt perſona publica, Univerſitatem repræſentans: cavere tamen debet de Judicio ſiſti. Et quando jurat, non in animam Univerſitatis, ſed in ſuam propriam jurat. per *c. 3. de juram. calum.*

5 Dico 4. Officium Syndici finitur quidem revocatione, renuntiatione, ac mutuo ipſius & com-

communitatis conſenſu, item morte Syndici, uti de Officio Procuratoris diximus *n. ult.* & ſumitur ex *d. l. 6.* Non tamen finitur morte conſtituentium, quia communitas non moritur. *l 7. §. 2. ff. quod cujuſc. Univ.* Neque finitâ inſtantiâ; quia conſtituitur generaliter ad omnes lites, adeóque etiam ad proſequendam, quam interponit, appellationem. per *c. 14. de Procurat.* Cœterùm Prælatus ſolus & ſine conſenſu Capituli, etiamſi ab utroque conſtitutus ſit, revocare poteſt Syndicum, ſi ad communia utriusque negotia deſtinatus ſit. per *c. 21. de Reſcr.* quia ibi permittitur Prælato ſoli adminiſtratio: ſi autem per ſe ſolum agere poteſt cauſas ſui Monaſterii, utique alium, per quem agit tanquam vicarium & inſtrumentum, revocare poterit.

TITULUS XL.

De his, quæ vi metúsve causâ fiunt.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit Vis, & Metus.*
2. *Quid metus ab intrinſeco vel extrinſeco, juſtè vel injuſtè incuſſus &c.*
3. *Quis metus dicatur juſtus & injuſtus: gravis & levis.*
4. *An metus Reverentialis habendus pro gravi.*
5. *Ex nullo metu licet facere intrinſecè malum.*
6. *Valent in utroque foro actus, metu levi quocunque extorti:*
7. *Et metu gravi, ſed ab intrinſeco:*
8. *Vel juſtè incuſſo, etiam directè ad extorquendum conſenſum.*

9. 10. *Imò etiam metu gravi injuſtè incuſſo extorti valent ſpectato Jure Naturali.*

11. 12. *Quin & ſpectato Jure Poſitivo, exceptis paucis.*

13. *Reſcindibiles tamen ſunt.*

14. *Etiamſi non directè ad extorquendos actus illatus ſit metus injuſtus.*

1 SCiendum 1. ſæpius contingere, ut aliquis lædatur in actu vel contractu, per metum ac injuriam extorto; cui proin ſuccurrere Judex debet vel actum reſcindendo, aut declarando nullum, vel reſtituendo in priſtinum ſtatum. Hic igitur de *vi metúve geſtis*, poſtea de *Reſtitutione in integrum* ſermo erit. *Vis* autem duplex eſt, abſoluta & conditionalis. *Abſoluta*, & ſimpliciter dicta Vis, quam aliqui *Præciſam*, appellant, eſt corporalis coactio ad patiendum vel faciendum aliquid, ut ſi tibi violentè eripiatur liber: ſi tibi genua curventur coram Idolo. Definitur *l. 2. ff. quod metûs causâ* ſic: *eſt majoris rei impetus, qui repelli non poteſt*, ſeu cui ſimpliciter reſiſti nequit. Atque hæc vis facit ſimpliciter involuntarium, tollitque omnino conſenſum liberum in rem, quam quis pati vel facere cogitur. Si inferatur cum armis, vocatur *vis publica*, vel *armata. §. 6. Inſt. de Interdictis.* Vis *Conditionalis*, quæ etiam dicitur *Compulſiva* vel *Modificata*, re ipſa coincidit cum *Metu*, eſtque violentia externa, compellens aliquem, ut conſentiat in aliquam actionem vel omiſſionem, non conſenſurus, ſi talis violentia abeſſet, ut ſiquis te minis compellat, ut ei

ei des 10. aureos. In *l.* 1. *ff. quod met. causâ.* hæc vis, ſeu metus ſic deſcribitur: eſt *inſtantis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio*, ſeu paſſio mentis, malum aliquod ſibi imminens fugientis. Non tollit omnino conſenſum voluntarium & liberum ſimpliciter, quamvìs minuat, faciátque involuntarium ſecundùm quid, & ut conſenſus non ſit ſpontaneus; nam voluntas interna cogi propriè & ſimpliciter non poteſt. Hinc dicitur paſſim: *coacta voluntas eſt voluntas*; atque deſumitur ex. *l.* 21. *§.* 5. *ff. eod.* ibi: *quamvìs, ſi liberum eſſet, noluiſſem, tamen coactus volui.* Totum hoc diſcrimen inter coactioné & metum, inter vim abſolutam & conditionalem, bene declaratur etiam *c.* 5. *h. t.*

Sc. 2. Metum, de quo ſolo deinceps loquemur, poſſe incuti ab intrinſeco, & ab extrinſeco. *Ab intrinſeco* incuſſus dicitur, qui provenit à cauſa naturali & non libera, puta à morbo, incendio, ruina, feris, infortunio aliquo, periculo naufragii &c. ad quod declinandum fortè emittis votum. *Ab extrinſeco*, ſeu metus extrinſecus eſt, qui provenit à cauſa libera creata, puta ab homine. Et iſte ab extrinſeco incuti poteſt juſtè vel injuſtè: *juſtè* infertur, quando inferens habet jus incutiendi metum, & patiens metum improbitate ſua cauſam dedit; ut ſi propter flagitium Judex tibi carcerem minitetur vel mortem: *injuſtè* autem, quando inferens nullum habet jus inferendi malum, vel tu nullam dediſti cauſam, ſed ſolùm ex aliena malitia metum pateris, non ſine injuria tibi illata; ut ſi latro tibi minetur mor-2

 tem,

tem, niſi promittas vel ſolvas ipſi 100. vel ſi homo privatus tibi minetur occiſionem, niſi puellam, quacum impudicè te verſantem deprehendit, tibi Matrimoniô jungas; quamvis enim juſtè compelli poſſes ad nuptias à legitimo Judice, non tamen ab homine privato, nec tali intentato malo. Rurſus incuti poteſt metus vel *directè ad extorquendum conſenſum, aut actum aliquem*, quem ponis, uti ſi latro minas mortis intentet, ut extorqueat pecunias: vel *directè ob alium finem*, ut ſi latro minetur mortem abſolutè, non exigendo pecunias; tu tamen ſponte offeras aurum vel promittas, tanquam medium ad evitandam mortem, quam metuis. Præterea poteſt metus incuti vel ab *illo ipſo*, cum quo contrahis, aut paciſceris; vel ab aliquo *tertio*.

3 Sc. 3. Metum præcipuè dividi 1. in Juſtum & Injuſtum. *Juſtum* vocamus, qui juſtè, uti deſcripſimus: *Injuſtum*, qui injuſtè infertur & per injuriam. Alii cum P. Engel metum Juſtum confundunt cum metu *Gravi*, quem etiam vocant *Probabilem*, quia eum Jura probant, ac pro tali habent, qui juſtè & meritò aliquem movere poſſit, ac probabilem in Judicio excuſationem præbeat. Nobis metus juſtus deinceps erit, qui juſtè incutitur. 2. in Gravem & Levé. *Gravis* dicitur, qui cadit in virum conſtanté, vel conſtantiſſimum. *l. 6. ff. quod metûs cauſ.* ſeu eſt *timor majoris malitatis*. *l. 5. ff. eod.* ſcilicet talis, qui hominem aliàs fortem, & non nimis meticuloſum, à propoſito dimovere poteſt, ut aliquid faciat vel omittat, quod abſente metu,

non

non faceret, vel non omitteret. Si malum, quod timetur, eſt tantùm, ut quemvis virum conſtantẽ & fortem à propoſito dimovere valeat, dicitur *Abſolutè Gravis*, cujusmodi malum eſt mors mutilatio, carcer diuturnus, exilium diuturnum, atrox cruciatus, ſervitus, amiſſio ſtatûs honorifici, ſtuprum, adulterium, amiſſio bonorum vel omnium vel notabilis valde partis &c. *l. 3. 4. 7. & ſeqq. ff. eod. c. 2. & 6. h.t.* Si verò malum ſit tale, quod non quemlibet virum fortem, ſed magis meticuloſos tantùm movere poſſit, uti pueros, minores, ſenes, fœminas, imò & quoſdam minùs cordatos viros, vocatur *Reſpectivè gravis;* quia hujusmodi perſonas ſubinde plùs movet & perturbat malum levius, uti eſt verberatio non nimis ſæva, indignatio, odium &c. quàm viros fortes majus. Sed circa metum reſpectivè gravem in particularibus caſibus arbitrari eſt penes Judicem, qui diligenter penſabit tum mali gravitatem, tum perſonæ metum paſſæ & inferentis qualitatem. Econtra metus *Levis* eſt vana trepidatio mentis, orta ex malo imminente levi, uti eſt vexatio modica, levis infamia &c. vel gravi quidem, non tamen imminente, ſed ſolùm apprehenſo; vel quando malum minitans illud inferre vel non poteſt, vel non ſolet; vel illud alio modo facilè declinari poteſt. Ad metum igitur gravem requiruntur hæ conditiones. 1. ut malum ſit grave vel abſolutè reſpectu omnium, vel reſpectivè reſpectu certarum perſonarum. 2. ut metuens non ex vano & levibus conjecturis apprehendat, malum immi-

nere

nere ſibi, ſed probabiliter id credat. 3. ut metum inferens habeat vires exequendi minas, & malum illaturus exiſtimetur veriſimiliter ſaltem. 4. ut metum patiens non facilè poſſit avertere malum, v. g. monendo, rogando, Judicem implorando, alienum auxilium procurando, fugiendo &c. Nihil tamen refert, an tibi, vel perſonis valde conjunctis, v. g. parenti, liberis (& probabiliter etiam conſanguineis, & affinibus usq; ad 4tum gradum) uxori, amicis, vel domeſticis tuis intentetur malum. *l. 8. §. 3. ff. quod met. cauſ. arg. c. 11. de ſent. Excom. in 6. & Clem. un. de Exceſſ. Prælat.* quia talium perſonarum mala putamus noſtra. Rurſus nihil intereſt, ſive per metum adigamur ad aliquid dandum inferenti metum, vel cuidam alteri.

4 Metus Reverentialis, quem habent liberi erga parentes, uxor erga maritum, ſubditi erga Dominum, Clerici erga Epiſcopum &c. ortus nimirum ex reverentia, pudore, verecundia erga has perſonas, an habendus ſit pro gravi vel levi, diſputatur. Ego cum Sanch. *l. 4. de Matrim. d. 6. n. 7.* Suar. Palao, Guttierez, contra Imol. *in c. 16. de off. deleg. n. 11. 12.* Bartol. Menoch. cenſeo eſſe levem per ſe, & ſecluſis circumſtantiis, ex quibus per accidens fieri poteſt gravis, puta ſi accedat rigida tractatio, continua exprobratio, aſperitas vultûs perpetua, gravis indignatio, rixæ, vel ſaltem probabilis horum malorum exiſtimatio. Sumitur ex *can. 8. cauſ. 20. q. 1. c. 11. de deſponſ. impub.* & ex hac ratione; quia aliàs plerique contractus,

inter

inter has perſonas initi, forent infirmi. Quòd autem gravis evadat, ſi prædicta mala, uti & ſi valde importunæ preces ac repetitæ accedat, indè colligitur, quia moleſtiſſimum eſt, illa mala, vel has preces ſuſtinere à perſona, cui debetur aliàs reverentia & obedientia aliqua, vel etiam continua cohabitatio. Palao *p. 1. tr. 2. d. 1. pu. 7. n. 6. ſeq. cum aliis.*

Dico 1. Illicitum eſt ex metu quocunque aliquid committere, quod eſt contra Jus Naturale, & intrinſecè malum. Patet per ſe, & colligitur ex *c. 5. h. t.* ibi: *cùm pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere.* In iis tamen, quæ mala duntaxat ſunt, quia prohibita Jure Poſitivo, præſertim Humano, metus gravis ſæpe excuſat à peccato; cùm Lex Poſitiva, maximè Humana, obligare non ſoleat cum gravi incommodo vel periculo, niſi nempe concurrat ſimul Lex Naturalis aut Divina; ut ſi minas gravis mali tibi quis intentet, niſi comederis carnes die Veneris, & per hoc intendat contemptum Pontificiæ auctoritatis & poteſtatis clavium, non potes licitè carnes comedere, quia ſimul violares Legem Naturalem & Divinam. Sic etiam in *c. cit.* excommunicationem minorem incurrit, qui communicavit cum excommunicato in *crimine*, propter quod alter erat excommunicatus, aut in Divinis, uti explicant cum S. Thom. *in ſupplem. q. 23. a. 3.* Sic qui metu gravi adactus contrahit Matrimonium, & conſummat, cum impedimento Juris Eccleſiaſtici, non ſolùm violat Jus Eccleſiaſticum, ſed etiam Divinum & Naturale in 5

in 6. præcepto Decalogi contentum. Sed hic non tam de licentia, quàm de valore actuum metu geſtorum agere conſtitutum eſt.

6 Dico itaque 2. Valet in utroque foro actus vel contractus, ex metu levi quocunque, etiam injuſtè & ad extorquendum conſenſum incuſſo, initus, ità ut neque reſcindibilis ſit per actionem in Judicio Eccleſiaſtico aut Civili. Sumitur ex *c. 4. 6. h. t. l. 7. ff. quod met. cauſ. & l. 184. ff. de R. J.* Interim tamen, quod bene notari velim, etiam ex metu levi *injuſtè* incuſſo de Jure Naturali oritur obligatio reſcindendi contractum ex parte metum inferentis, ſi metum paſſus reſcindi velit; ſeu metum injuſtum, etiam levem, inferens tenetur quidem actu vel contractu, quem extorſit, ſed ſolùm quamdiu metum paſſus voluerit; ſi verò iſte petat eum reſcindi, in conſcientia obligatur reſcindere; adeóque in foro interno claudicat aliquo modo talis contractus (exceptô Matrimoniô; quod ex eſſentia ſua obligat utrumque contrahentem, vel nullum) & invitum non obligat eum, qui metum injuſtum paſſus eſt, quamvis in foro externo illi denegetur actio, ad minuendas lites. Atque ita docent Molin: *tr. 2. d. 267. n. 5.* Sanch. *d. 9. n. 4.* Leſſ. Zæſ. Pirh. &c. contra Medin. & Pontium *l. 4. de Matrim. c. 10. n. 5.* Ratio eſt; quia qui metu levi injuſto extorquet actum, infert alteri injuriam, quod eſt contra Jus Naturale: ergo in conſcientia obligationem contrahit ſatisfaciendi pro hac injuria: ſed non ſatisfacit, niſi reſcindat actum, & rem ponat in eo ſtatu, in quo priùs fuit; ſi nimi-

mirum paſſus injuriam id velit: ergo. Si verò nolit iſte reſciſſionem, eò quòd fortè actus vel contractus ſit ipſi utilis, tenetur inferens eum implere, quia ipſe conſenſit ſponte, & ſine ulla injuria. Oppones. Votum metu levi injuſtè extortum obligat in conſcientia ipſum etiam voventem: ergo etiam alii actus & contractus eum, cui infertur metus levis injuſtus. ℞. tranſ. *Ant.* quod aliqui negant. *N. Conſ.* & parit. quia Deus, cui ſoli principaliter fiunt vota, non infert injuriam, aut metum injuſtum.

Dico 2. Valet pariter in utroque foro, ita ut in neutro reſcindi poſſit, actus vel contractus metu etiam gravi initus, proveniente tamen ab intrinſeco. Ita communis non modò DD. ſed etiam reliquorum fidelium ſenſus, qui obligari ſe putant votô, quod emittunt metu mortis in morbo, periculo naufragii &c. & promiſſione, quâ pollicentur homini pecunias, ut ex periculo mortis &c. eripiantur ab ipſo. Ratio; quia adeſt conſenſus abſolutè liber & voluntarius, quamvis non ſpontaneus, & liber à metu: nec intervenit injuria, propter quam reſcindi deberet actus. Conſtat etiam ex c. 27. *de Regular.* 7

Dico 3. Valet item in utroque foro, nec reſcindi poteſt, actus metu juſto, etiam gravi, & ad extorquendum conſenſum incuſſo initus. Communis contra paucos. Colligitur ex *l. 21. cit. pr.* & ſuadetur ex allata ratione, quia nimirum adeſt conſenſus, licèt aliquo modo coactus, abſolutè tamen liber: ergo valet ſpectato Jure Naturali & in foro interno: nec inter- 8

tercedit injuria ex parte inferentis; propter quam ſolam reſcindibiles fiunt actus metu geſti: ergo valet etiam ſpectato Jure Poſitivo & in foro externo absque periculo reſciſſionis; Confirmatur: Metus ab homine incuſſus juſtè non magis tollit, vel minuit voluntarium ac liberum conſenſum, quàm metus gravis, v. g. excommunicationis, à Lege juſtè incuſſus: ſed metus vel coactio à Lege proveniens non obſtat libertati & valori actuum, etiam Matrimonii. *c. 1. & 2. de Adulteriis.* Exod. 22. *v.* 17. Accedit, quòd delinquens, qui metu juſto adigitur ad aliquid faciendum, ſibi ipſi metum intuliſſe cenſeatur. *l. 21. cit.* Aſſertio procedit de caſu, quo metus incutitur juſtè, non tamen directè ad extorquendum actum. v. g. ſi juvenem in ſtupro, vel furto, deprehenſum ad judicem deferre & accuſare minaris, is verò ſub ſpe omittendæ accuſationis ſe offerat ad ingreſſum & profeſſionem Religioſam, vel ad Matrimonium cum tua filia, tenet hæc promiſſio, & Profeſſio, aut Matrimonium ſubſequens. Id quod juxta noſtram aſſertionem etiam procedit circa Profeſſionem & Matrimonium, ſi Juveni taliter deprehenſo miniteris accuſationem, niſi ingrediatur Religionem, vel ducat tuam filiam; quia metus eſt incuſſus juſtè, ſiquidem delinquens ſua improbitate tibi jus præbuit accuſandi, conſequenter hoc ipſi malum minitandi. Sed ſi directè intenderetur Matrimonium vel Profeſſio, reclamant aliqui, at pauci, & dicunt, quamvis detur jus talem accuſandi, non tamen dari jus directè extor-

extorquendi Profeſſionem Religioſam vel Matrimonium tali medio, adeóque metum eſſe injuſtum. At ℞. minari accuſationem eſt adhibere juſtum medium, & per hoc, quòd directè intendatur certus actus vel contractus, offertur remedium, quo licet evitare accuſationem, in quo nihil apparet injuſtum. Palao. *p. 1. tr. 2. d. 1. pu. 10. n. 3.* Si verò pertinaciter contenderes, hunc metum eſſe injuſtè incuſſum, deſereres objectum noſtræ aſſertionis.

Dico 4. Valet etiam actus (ſpectato Jure Naturali) quicunque, & quocunque metu, etiam gravi, injuſto, & directè ad extorquendũ conſenſum incuſſo celebratus, ſaltem pro foro externo. Ita communis cum Palao *pu. 8. n. 4.* contra Molin. *d. 267. & 326.* Tambur. Salas, & alios; quibus quoad contractus & actus lucrativos, ut eſt Donatio, Teſtamentum, Legatum, Commodatum &c. conſentit Vaſq. *1. 2. d. 27.* & Azor *l. 1. c. 11. q. 7.* Probatur: Jure Naturali plùs non requiritur ad valorem actûs, quàm conſenſus ſimpliciter voluntarius, & juſtus titulus: ſed nullus metus tollit conſenſum ſimpliciter voluntarium juxta dicta; nam coacta voluntas eſt voluntas; neque excludit titulum donati, empti, dati, accepti &c. ergo. Confirmatur: ſi metus gravis juſtè incutiatur directè ad extorquendum conſenſum, non tollit conſenſum abſolutè liberum & voluntarium, quamvis tollat ſpontaneum, neque excludit titulum, & ideo actum non irritat etiam juxta Adverſarios: ergo neque, ſi incutiatur injuſtè; quia in ratione coactionis non eſt 9

diſcrimen. Nec obſtat, quòd metus injuſtus incutiatur per injuriam, quia etiam metus levis injuſtus conjungitur cum injuria, & tamen Jure Naturali (imò nec Jure Poſitivo) non vitiat contractum, ut iterum fatentur Adverſarii. Dixi autem, *ſaltem pro foro externo;* nam in foro interno non obligatur metum injuſtum paſſus, ſed poteſt, ſi velit, reſciſſionem petere à metum inferente, ad quam reſciſſionem tenetur metum inferens in conſcientia ante omnem ſententiam, imò tenetur etiam non petenti reſtituere, quod accepit metu injuſto extortum; ſi verò vellet ſtare contractu metum paſſus, obligaretur eum ſervare quoque metum inferens, quia ipſe conſenſit omnino ſponte & ſine injuria: ſicut diſſeruimus de metu levi injuſto in *aſſertione 2. n. 6.*

10 Oppones 1. Eſt contra Naturam, ut aliquis ex injuria alteri illata ferat commodum: ſed hoc fieret, ſi contractus metu gravi injuſto extortus valeret Jure Naturali, quia metum inferens ſibi obligaret injuriatum, ſaltem pro foro externo, &, ſi res jam eſſet tradita, acquireret ejus dominium. 2 Eſt contra Jus Naturale, ut ex injuſtitia oriatur juſtitia: ſed ſi contractus metu injuſto gravi extortus valeret, orietur juſtitia, ſeu obligatio juſtitiæ, ex injuſtitia, ſcilicet ex injuria, quam intulit metum incutiens. 3. In contractibus gratuitis non datur alius titulus ad transferendum dominium, quàm voluntas donantis, promittentis legantis, commodato, precario dantis: ergo, ſi hæc voluntas non eſt liberalis & gratuita, ſed metu

tu extorta, nõ adeſt ſufficiens titulus ad tranſferendum dominium, per *l. donationis ff. de donat.* quia donans ex metu potiùs vult retinere dominium, vel ad ſe reverti, ſicut qui ſolvit uſuras; quæ ſolutio propterea eſt nulla Jure Naturæ. ℟. ad 1. retorq. argum. in metu levi injuſto. Dein illud commodum, quod acquirit metum & injuriam inferens, vix æſtimabile eſt; cùm in foro interno teneatur illatum damnum reſarcire, & contractum ad petitionem læſi reſcindere, in foro autem externo compelletur ad id ipſum, ſi metum paſſus inſtituerit *actionem, quod metûs causâ*, quam habet metum paſſus contra quemcunque poſſeſſorem rei per metum injuſtum translatæ ad alium. *l. 14. §. 3. ff. quod metûs cauſa.* Ex hoc autem, quòd teneatur rem reſtituere metum inferens, non ſequitur, quòd non acquiſiverit dominium illius, nempe infirmum, revocabile, & oneratum, ſicut non obſtat dominio, quod habes in tuis bonis, ſi aliqua ex iis tenearis donare Petro, eò quòd promiſeris; quod enim operatur promiſſio acceptata, id ipſum operatur injuria illata. Eſt igitur dominium oneratum, non liberum; cùm ſit tentio rei juſtô titulô non annullatô. *§. per traditionem Inſt. de rer. Diviſ.* Palao *n. 5.* cum aliis. Deinde optabilius eſt metũ paſſo, ſi contractus valeat; quia vel eſt ipſi noxius, vel utilis: ſi noxius, poteſt petere reſciſſionem & reſarcitionem damnorum: ſi utilis, poteſt obligare alterum ad obſervandum contractum; quod poſterius non poſſet, ſi contractus eſſet nullus. Ad 2. retorq. iterum in metu levi

levi injuſto. Deinde *N. Min.* non enim oritur obligatio juſtitiæ ex injuria, ſeu ex injuſtitia alterius, ſed ex conſenſu abſolutè libero, & contractu, quem iniit metû paſſus voluntate libera, licèt aliquo modo coactâ, & invitus. Hinc ratione injuriæ fit actus infirmus & reſcindibilis. Ad 3 *N. Ant. & Conſ.* quia etiam ad donationem & alios contractus lucrativos ſufficit voluntas ſimpliciter libera, licèt non ſit omnino liberalis & gratuita, qualis eſſet, ſi metus abeſſet, & ideo abſolutè valent, ut patet ex *l. ult. C. de his, quæ vi.* ubi donationes per potentiam extortæ jubentur irritari: ergo ante ſententiam non ſunt irritæ. Qui igitur donat ex metu, vult donatum ſimpliciter & abſolutè fieri accipientis, quod donat, & ad ſe non reverti; licèt ſimplici affectu velit non dare, & ſibi datum reddi: ferè ſicut contingit in projiciente merces in mare metu naufragii. Donatio extorta manet titulus de ſe habilis ad transferendum dominium.

11 Dico 5. Valent quoque (ſpectato etiam Jure Poſitivo) plerique actus & contractus metu gravi injuſto extorti. Ita cum Th. Sanch. de Matrim. *l. 4. d. 8. n. 4.* Guttier. Leſſ. Henriq. Palao *pu. 9. n. 1.* & innumeri alii, contra Molin. Sot. & alios apud Sanch. *n. 2.* Prob. 1. negativè, quia de pleriſque actibus nullum exſtat Jus Poſitivum irritans, adeóque à Jure Naturali non recedendum. Prob. 2. poſitivè ex *c. 2. & 4. h. t. pr. Inſt. de Except. l. 3. & ult. ff. quod met. cauſ.* ubi clarè ſupponitur, quòd obligetur contrahens ex tali metu, quia reſtitui læſum

læſum Jura citt. volunt, & propoſita actione reſcindi ac irritari contractus; quod clarum eſt ſignum, eos de Jure Poſitivo valere. Confirmatur: prædicta Jura ſpectant favorem ejus, qui metum patitur, & odium illius, qui metum infert: ſed magis eſt favorabile metum paſſo, & inferenti magis odioſum, ſi tales actus valeant: quia ſic metum paſſus poteſt eligere, quod vult, & ſibi meliùs eſſe cognoverit, nempe vel contractum reſcindere, vel ad illum ſervandum adſtringere alterum, iſte autem facere debebit, quod voluerit metum paſſus. Dixi tamen, *plerique;* excipitur enim 1. Matrimonium. *c. 15. de ſponſal.* 2. Profeſſio Religioſa. *c. 1. h. t.* Huc Palao. *n.* 2. & alii plurimi referunt omnia vota ſimplicia, ſed meô judiciô malè, quia non aſſerendum eſt divortium Juris Poſitivi à Naturali ſine claro textu. 3. Teſtamentum, ad quod teſtes ſunt coacti. *l. 20. §. ult. ff. qui teſtament. fac.* 4. promiſſio quælibet ab eo, qui in carcere detinetur eum in finem, ut promittat in gratiam ejus, qui in carcerem conjecit, vel detinet per *l. 22. ff. quod met. cauſ.* 5. abſolutio à cenſuris, vel revocatio earum. *c. 1. h. t. in 6.* 6. promiſſio, & traditio rerum Eccleſiæ, ac juramentum de ijs non repetendis. *c. 2. de Jurejur.* 7. acta Tutoris inviti vel per vim retenti. *l. 1. §. 1. ff. de auct. Tutor.* Referuntur quidem adhuc alii actus, tanquam Jure Poſitivo irritati, ut ſponſalia, promiſſio & ſolutio dotis, conſtitutio Procuratoris ad negotia, jurisdictio prorogata per metum &c. Sed alii non improbabiliter negāt. Vid. Palao. *n. cit. & ſeqq.* Op-

Digitized by Google

12 Oppones 1. *l. 1. C. de Reſcind. Vend.* venditio metu extorta decernitur *irrita. Et in l. 6. ff. §. ult. de A. vel O. H.* aditio hæreditatis: ergo actus metu extorti ſunt de Jure Poſitivo nulli. 2. Metus tollit conſenſum; quia conſenſui nihil tam eſt contrarium, quàm vis & metus. *l. 116. ff. de R. J.* & locum non habet conſenſus, ubi metus vel coactio intervenit. *c. 14. de ſponſal.* Præterea metus æquiparatur dolo. *c. 28. de Jurejur.* Sed dolus, dans cauſam contractui, tollit conſenſum, & actum irritat: ergo. 3. Metum paſſo datur *actio in rem*, ſeu realis, & non ſolùm adverſùs perſonam. *l. 9. & 22. ff. quod met. cauſ.* ergo res manet in dominio illius, qui transtulit in alium ex contractu per metú extorto: ergo contractus non valuit. ℞. ad 1. In *l. 1. cit.* pronuntiatur venditio irrita *quoad effectum* & per ſententiam irritanda ſolùm; quia Præſes Provinciæ jubetur *interponere auctoritatem ſuam.* In *l. 6.* formaliter quidem & in ſe nulla dicitur aditio hæreditatis, at non propter metum, ſed propter defectum conſenſûs; quia hæres illam adiit *fallens,* id eſt, fictè, & ſimulans ſe adire, cùm tamen animum adeundi non haberet. Gothofred. ad *l. cit. poſt lit. t.* Zœſ. *ad tit. ff. quod met. cauſ. n. 5.* Ad 2. *Diſt. Ant.* metus tollit conſenſum ſpontaneum & liberum à metu. C. voluntarium & liberum ſimpliciter. *N. Ant.* Et ſic intellige Jura allegata. Metus æquiparatur dolo latiùs ſumpto, quatenus dicit omnem læſionem injuſtam, non verò quatenus ſignificat fraudem & circumventionem, præſertim circa ſubſtantiam contractûs verſan-

ſantem, quo caſu dolus tollit conſenſum; & ſic non modò Jure Poſitivo, ſed etiam Naturali irritat actus. Ad 3. *N. Conſ.* quia *actio quod metûs causâ* non ideo dicitur *in rem utilis*, quòd res maneat in dominio metum paſſi, ſed quia datur adversùs quemcunque poſſeſſorem inſtar actionum realium, & quia per hanc actionem facile eſt conſequi ipſam rem; *qui enim actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere videtur. l. 15. ff. de R. J.*

Dico 6. Actus & Contractus metu injuſto gravi extorti non ſolùm de Jure Naturali, ſed & de Jure Poſitivo Humano reſcindibiles ſunt, & reſcindendi. Auctores pro priori aſſertione citati, & plerique alii. Habetur clarè in *l. fin. C. de his, quæ vi,* ac manifeſtè deſumitur ex Juribus pro eadem aſſertione adductis. Ratio, quia æquum eſt, ut gravi metu injuſtè læſis ſuccurratur, reſtituendo omnia in priſtinum ſtatum. Atque hinc metum paſſo datur & *actio & exceptio quod metûs causâ. l. 4. §. 33. ff. de dol. mal. & met. except. §. 27. Inſt. de act. l. 9. 12. 14. 21. ff. quod. met. cauſ.* Exceptio quidem conceditur, ſi res nondum eſt tradita, ſed ex metu promiſſa tantùm: Actio verò, quando res jam eſt tradita; vi cujus actionis ita reſtitui debet metum paſſus, ut non tantùm reddatur illi res tradita, ſed etiam omnia illius emolumenta, & fructus, quos interea percepit, qui illam mala fide detinuit, ſive dein ſit ipſe metum inferens, ſive alius, modò ſit malæ fidei. per *l. 14. cit.* (nam bonæ fidei poſſeſſor poſt ſententiam ſolùm tenetur reſtituere rem & fructus 13

 for-

formaliter exſtantes) Imò metum inferens & malæ fidei poſſeſſor condemnandus eſt etiam ad reſtituendos fructus, quos interea percipere potuiſſet metum paſſus; quia hujus lucri ceſſantis fuit injuſta cauſa. Hæc actio 1. eſt Prætoria. *l. 1. ff. eod.* 2. perſonalis in rem ſcripta. *l. 9. cit. §. 8. l. 14. cit. §. 3.* 3. Rei perſecutoria. *l. 16. §. 2. ff. eod.* 4. perpetua. *l. 14. cit. §. 1.* (intellige quoad perſecutionem rei) & tranſit ad hæredes utrinque. *l. 16. cit.* imò conceditur omnibus, qui aliquod damnum paſſi ſunt per metum, & contra omnes, ad quos aliquid pervenit. *l. 16. cit. §. 2.* Quatenus verò eſt *pœnalis*, uti eſt, ſi intra annum intentetur, nempe ad quadruplum. *l. 14. cit.* eſt tantùm annalis, nec tranſit ad hæredes, & alios ſucceſſores. *l. 16. cit.* Denique eſt arbitraria. *l. 14. cit. §. 3. in fine;* quia, priusquam Judex ferat ſententiam condemnatoriam, ſolet interponere ſuum arbitrium: cui ſi reus non pareat, intra annum condemnatur ad quadruplum, cui ſimplum ineſt. *l. cit.*

14 Quæres, an etiam reſciſſioni obnoxius ſit actus vel contractus, qui gravi quidem metu injuſto extortus eſt, non tamen incuſſo directè ad extorquendum actum vel contractum, ſed ex alio fine? ℞. cum Lug. *de J. & J. d. 22. n. 175.* Wieſtner *n. 35.* & aliis contra Covarruv. Sanch. Reiffenſtuel *h. n. 28.* affirmativè. Sumitur ex *l. 7. §. 1. ff. eod.* ubi Prætoris beneficiô, ſeu reſtitutione in integrum dignus cenſetur, qui in flagitio deprehenſus metu gravis mali *non jure* (h. e. injuſtè) inferendi *aliquid dedit*,

dit, vel ſe obligavit; licèt metus non ſit incuſſus ad aliquid dandum, vel ſe obligandum, adeóque licèt is ſponte hoc medium elegerit evadendi, qui injuſtum metum eſt paſſus. Ratio eſt, quia ſive metus inferatur ad extorquendum actum, ſive ex alio fine, & metum paſſus eligat actum ad declinandum malum, quod timet, ſemper ipſi infertur injuria: ſed injuriam paſſus meretur ſubſidium Juris & Judicis, ut abſolvatur ab obligatione, quam invitus & per alterius injuriam contraxit. Procedit hoc, etiamſi metus fuiſſet incuſſus ab aliquo tertio, & non ab eo, cum quo contraxiſti. per *l. 14. §. 3. ff. eod. c. 15. de Sponſal.* Si tamen contraxiſti cum aliquo tertio, qui nec metum intulit, nec aliquid indè participavit, nec ex juſtitia fuit obligatus ſuccurrere metum paſſo, tenet contractus irreſcindibiliter, quia reſpectu hujus tertii ceſſat injuria, & ſic fundamentum reſciſſionis: ut ſi ad evitandam mortem, quam tibi aliquis injuſtè minatur, emas arma ad tui defenſionem, iſte contractus emptionis valet, nec reſcindi poteſt, quamvis, qui intulit metum mortis, teneatur tibi reſarcire expenſas in tui defenſionem factas. Sic etiam reſcindi nequit venditio caſtri, v. g. tertio facta, ut pecuniis redimas periculum deprædationis vel combuſtionis, quam hoſtis iniquè minatur.

TITULUS XLI.

De in integrum Reſtitutione.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit Reſtitutio in integrum, ejúſque effectus.*

2. 3. Eâ gaudent Minores ordinariè.

4. Item Eccleſiæ, Reſpublica &c. & quandoque Majorennes.

5. An Minor adversùs Minorem reſtituatur: an contra propriam confeſſionem: an reſtitutio Minoris proſit majori, litis ſocio.

6. Quale debeat eſſe negotium, ut locum habeat reſtitutio in integrum.

7. Qualis eſſe læſio.

8. 9. A quo Judice petenda reſtitutio. Et an Eccleſia etiam contra Laicum poſſit eam petere à Judice Eccleſiaſtico.

10. Quomodo facienda reſtitutio.

11. 12. An & quando fructus reſtituendi cum re.

13. Quanto tempore peti poſſit reſtitutio in integrum.

14. 15. An reſpectu Eccleſiæ incipiat quadriennium à die læſionis factæ, vel cognitæ.

1 SCiendùm, ſicut metum paſſis, ita aliis ex aliis cauſis graviter læſis concedi à Jure reſtitutionem in integrum, quæ in genere & *formaliter* ſpectata nihil eſt aliud, quàm *repoſitio in priſtinum ſtatum*, in quo res fuit ante læſionem, juxta illud Poëtæ: *res redit, ut pridem, cùm ſtatus redditur idem.* Si autem conſideretur *cauſaliter*, definitur eſſe *remedium extraordinarium, à Prætore introductum, quo læſi juſta de cauſa per officium Judicis reponuntur in ſtatum priorem, in quo fuerunt ante læſionem.* Unde oriuntur ſequentes quæſtiones. 1. quis. 2. quibus in rebus. 3. qua de cauſa. 4. à quo. 5. quomodo. 6. quando reſtituendus ſit. Dicitur remedium

um *extraordinarium*, quia datur pro caſu, quo deficit actio ordinaria tanquam remedium ordinarium. *l. 16. ff. de Minor. pr.* licèt non negetur in caſu, quando quidem datur remedium ordinarium, extraordinarium tamen (ſeu reſtitutio in integrum) pinguius eſt, per text. & exempla in *l. 3. & ult. C. ſi Tutor vel Curator.* Hinc Minor, quamvis ultra dimidium ſit læſus in venditione, & propterea habeat actionem ſeu remedium ordinarium *l. 2. C. de Reſcind. Vend.* poteſt tamen petere, & rectiùs petit reſtitutionem in integrum; partim quia in hac non tenetur probare læſionem ultra dimidium (quod eſt valde difficile propter diverſa æſtimantium judicia) ſed ſufficit probare gravem læſionem, partim quia in hac poteſt determinatè petere reſtitutionem rei venditæ? Si autem ageret ex *l. 2. cit.* foret in arbitrio ementis redhibere rem emptam, vel ſupplere pretium. Quòd Reſtitutio in integrum ſit introducta Jure *Prætorio*, patet ex *l. 1. ff. h. t.* quamvis poſtea ab Imperatoribus etiam ad alios caſus extenſa fuerit, ut conſtat ex *l. 31. ff. de jurejur. & l. 11. ff. de Except.* Porro effectus reſtitutionis *obtentæ* eſt, omnia reduci in priſtinum ſtatum, ut patet ex dictis: *poſtulatæ* autem & nondum obtentæ eſt, ſuſpendere executionem vel contractûs vel ſententiæ, niſi præſumptio ſit, reſtitutionem malitioſè poſtulari, nec in continenti probetur juſta cauſa *tex. & gl. in c. 6. h. t. l. un. C. de in integr. reſtit. poſtulata.*

Dico 1. Reſtitutionis in integrum beneficiô gaudent imprimis Minores utriusque ſexûs, ſeu 2

ſeu qui 25. ætatis annos nondum egreſſi ſunt, ſi notabiliter lædantur ſive in Judicio per ſententiam quamcunque, aut non producta merita cauſæ, ſive extra judicium per contractum vel quaſi-contractum, gratuitum vel oneroſum, ſive patiantur damnum, ſive lucrum ceſſans, quod conſequi poterant, ſive dein id contingat ætatis, & judicii infirmitate, metu, errore, imperitiâ, negligentiâ ipſorum minorennium, ſive calliditate aliorum, ſive imperitià, negligentiâ, malitiâ Tutorum vel Curatorum; nec intereſt, utrùm ſoli, vel cum authoritate Tutorum vel Curatorum, vel etiam cum decreto Judicis contraxerint. Habentur hæc *l. 1. 2. 7. 8. ff. h. t. l. 1. 6. 7. 8. 44. &c. ff. de Minor.* Imò hoc beneficium tranſit etiam ad hæredes & ſucceſſores tum univerſales tum particulares, ita ut reſtitui poſſint toto tempore, quo poterant ipſi Minores. *l. 6. ff. h. t. l. 18. §. 5. ff. de Minor.* non tamen regulariter ad fidejuſſores, qui pro Minorennibus fidejubent. *l. 13. ff. de Minor. l. 1. 2. C. de fidejuſſ. Minorum.* Neque obſtat, quòd privilegium hoc ſit perſonale, cujusmodi ad hæredes non tranſeunt. *l. 68. ff. & c. 7. de R. J. in 6.* quia aliquo modo eſt reale, partim cùm conceſſum ſit non ſolùm ratione perſonæ, ſed etiam ratione damni, quo modo etiam privilegium S. C. Vellejani tranſit ad hæredes. *l. 20. C ad S. C. Vellej.* partim cùm detur adversùs quoscunque lædentes, & interdum adversùs quoscunque poſſeſſores: exceptis tamen parentibus, contra quos non reſtituuntur Minores, læſi ab ipſis, propter cla-

ram

tam deciſionem. *l. ult. C. qui & adverſ. quos.* quare alii textus, qui in contrarium adduci poſſunt, nihil ampliùs valent, utpote correcti ab hac Imperatoris conſtitutione noviore: & quamvis in *Novell.* 115. dicatur filia reſtituenda adversùs matrē ad ſecundas nuptias tranſeuntem, reſtitutio tamen illa non datur contra matrem quà talem, ſed quà tutricem. Ratio autem tanti favoris & beneficii Minoribus conceſſi eſt, ne fragile & infirmum hujus ætatis conſilium, multis captionibus, atque inſidiis expoſitum, ſibi graviter nocere poſſit in bonis ſuis, quod aliàs facilè contingeret tum malitiâ aut negligentiâ aliorum, tum imperitiâ propriâ. *l. 1. ff. de Minor.*

Sunt tamen caſus, in quibus reſtitutio in integrum negatur Minoribus, nempe 1. ſi factus major ratum habuit, quod minorennis geſſit: idem eſt, ſi majorennis perfecit, quod minorennis cœpit; vel ſi litem, quam cœpit minor, abſolvit jam major, niſi dolô Adverſarii lis eô fuiſſet protelata. 2. ſi commiſit dolum in contractu, vel extra illum, ut ſi damnum per injuriam intulit, furtum fecit &c. quia *malorum mores infirmitas animi non excuſat.* 3. ſi fuit læſus caſu fortuito, ut ſi villa, quam emit circumſpectè, vel hæreditas, quam adiit cautè, devaſtetur vel pereat incendiô, direptione hoſtili &c. 4. ſi fraudulenter ſe ſimulavit majorennem, vel etiam aſſeruit, ut alterum induceret ad contrahendum ſecum, qui aliàs non contraxiſſet; *cùm errantibus, non etiam fallentibus publica Jura ſubveniant.* 5. ſi actum vel contractum jura- 3

mento

mentô firmavit, aut juratus renuntiavit huic beneficio, ſed citra dolum Adverſarii, & metum. 6. ſi veniâ ætatis à Principe impetratâ (quæ maſculis anno ætatis 20. fœminis 18. completo concedi ſolet) contraxit; quo tamen caſu, ſi immoderatè donaret ad cauſam profanam, adhuc ipſi ſuccurreretur. Exſtant hæc ordine in *l. 3. §. 1. l. 9. §. 2. l. 11. §. 4. ſeq. eodem. l. 2. C. ſi Minor ſe Majorem. c. 28. de Jurejur. cum c. 2. de Pact. in 6. & Auth. Sacramenta puberum C. ſi. adversùs Venditionem. l. 1. & 2. C. de his, qui veniam. cum l. 29. §. 1. ff. de donat.* Huc pertinet Minor, qui Religionem profitetur; quia hoc caſu alienare poteſt omnia, cùm fictione Juris moriatur. Item juxta plurimos Minor, qui factus eſt Doctor Juris vel Advocatus; quòd verum eſſe exiſtimo, ſi lædatur errore & ignorantiâ Juris, non tamen ſi errore facti: per *l. 1. C. qui & adverſ. quos. l. 2. ff. de J. & F. J.* Alios adhuc eventus, in quibus non reſtituitur Minor, manifeſtabit aſſertio 3. & 4. Interim

4 Dico 2. Reſtitutione in integrum etiam gaudent 1. Eccleſiæ. *c. 1. & ſeqq. h. t. c. 1. eod. in 6.* partim quia Eccleſiarum favor eſt publicus, partim quia earum res curari debent alienâ induſtriâ & adminiſtratione, ſicut res Minorum, & idcirco facilè læduntur; cùm aliena faciliùs negligantur quàm propria, vel ab Adminiſtratoribus in proprium commodum vertantur. Nomine *Eccleſiarum* per *l. 35. C. de Epiſc. & Cler.* veniunt omnia loca pia & Religioſa, uti collegia Clericorum, aſceteria Religioſorum, hoſpitalia auctoritate Epiſcopi erecta, con-

confraternitates & congregationes ad Religionis augmentum inſtitutæ, Eccleſiæ etiam inchoatæ tantùm &c. non tamen collegia Studioſorum, niſi eatenus, quatenus in iis pars major ex Minorennibus conſtat: multò minùs bona propria Clericorum; quia in his ceſſat utraque ratio pro Eccleſiis allata. 2. Reſpublica. *l. 4. C. quibus ex cauſis Majores.* Idque extenditur etiam ad civitates, præſertim Imperiales, imò ad caſtra, villas, & vicos, bona communia habentes, & per Adminiſtratorem regi ſolitos. Abb. in *c. 1. h. t. n. 15.* Gail. *l. 2. obſerv. 62. n. 4.* A fortiori etiam ad Principem ſeu Caput Reipublicæ, non tamen quoad bona particularia propria, ſed quoad bona Principatûs, Coronæ, Fiſci. Notandum verò eſt, quòd Eccleſia & Reſpublica gaudeant jure Minoris non quà talis, ſed quà majoritatem adepti; quatenus majori facto competit adhuc quadriennium ad petendam reſtitutionem in integrum. per *l. fin. C. de temporib. in integr. reſtitut.* Demum 3. Majorennes aliqui ex juſta cauſa, quæ Judici videbitur ſufficiens. *l. 1. ff. ex quibus cauſis Majores.* ibi: *ſiqua alia mihi juſta cauſa eſſe videbitur, in integrum reſtituam.* Juſtæ autem cauſæ ſunt 1. ſiquis fuit læſus tempore, quo abſens erat Reipublicæ causâ, vel propter peſtem, infirmitatem, gravem metum, captivitatem, violentam detentionem. *l. 1. 3. 9. &c. ff. eod. titulô.* 2. ſi ſint perſonæ, in quibus toleratur ignorantia Juris, uti mulieres, ruſtici, milites, dum verſantur in expeditione. 3. juſtus error, & probabilis ignorantia &c. ſi Judici

Judici videbitur. Probabiliùs tamen in caſu Præſcriptionis ob ignorantiam facti, vi cujus permiſit aliquis rem ſuam præſcribi neſcius, eam detineri ab alio, non reſtituendus eſt. per *c. 6. de Præſcr. & l. fin. C. de fundis Patrimon.*

5 Quæres, an Minor adversùs alium Minoré; Eccleſia adversùs aliam reſtituatur? 2. an reſtitutio Minoris etiam proſit Majorenni, ſi in eodem verſetur negotio tanquam conſors, vel in eadem lite tanquam correus cum Minore: item an reſtitutio Eccleſiæ proſit laico pariter ſocio litis, vel conſorti in negotio? 3. an Minor reſtituatur contra propriam confeſſionem, ut ſi crimen adulterii, de quo accuſatus eſt, vel ſponſalitium contractum à ſe initum confeſſus eſt, antequam id ſatis fuiſſet probatum? ℟. ad 1. affirmativè, ſi unus Minor vel Eccleſia ſit lædens, & alter Minor vel Eccleſia ſit læſa. *l. 11. §. 6. ff. de Minor. c. 3. h. t.* Si dicas; privilegiatum non gaudere privilegiô contra pariter privilegiatum, repono, id verum eſſe, ſi ſit par utriusque conditio; non verò, ſi diſpar, ut ſi unus eſt lædens, & certat de lucro captando, alter verò læſus, & certat de damno vitando: imò lædens non eſt hic & nunc privilegiatus, conſequenter non concurrit privilegiatus cum privilegiato. Aliud foret, ſi uterque eſſet læſus, & certaret de damno: ut ſi Minor mutuam dediſſet pecuniam Minori, & iſte eandem abſumpſiſſet prodigè; non daretur reſtitutio. *l. cit. §. fin.* Ad 2. ℟. cum diſtinctione: ſi cauſa ſit dividua, uti ordinariè ſunt obligationes, quæ conſiſtunt in dando;

do,non prodeſt Majori vel Laico;adeóqueMajor vel Laicus , qui ex debito communi 100. florenorum ſolvit 50. & Minor vel Eccleſia reliquos 50. quoad ſuam partem non reſtituitur Major vel Laicus. Si verò cauſa ſit individua, ut ſi Major & Minor , quam habuerunt communé, rem vendidiſſent,vel uterq; ſe obligâſſet ad idem opus faciendú,prodeſt.*l.41.§.1.ff.de Min. l.4.§.3.4.ff.ſi ſervitus vendicetur.* Et tunc procedit illud: *privilegiatus trahit ſecum non-privilegiatum.* Ad 3. ℞. probabiliùs non reſtituitur. per *l.37.ff. de Min.* cùm non ſit ætatis excuſatio adversùs præcepta legum ei, qui, dum leges invocat, contra eas committit. *ibid.* Neque læditur contra juſtitiam , ſi Minor fateatur delictum verum, vel ſponſalia , quæ verè iniit: ſed qui non læditur contra juſtitiam, non meretur hoc beneficium. *arg. l.11.§.4.ff eod.* Si tamen in continenti oſtenderet, ſe ex metu vel inconſulta præcipitantia falſú eſſe confeſſum, reſtitui poſſet, per *l.6. §.5.ff. de Confeſſis.*

Dico 3. Ut Minor,Eccleſia &c. reſtituatur, 6
requiritur , ut cauſa vel negotium ſit civile (non criminale,vel delictum) 2.validum. 3.& ex natura ſua reſcindibile. Membrum 1.decîditur *l. 1.C.ſi adversùs delictum,* ait *in criminibus ætatis ſuffragiô non juvantur ; etenim malorum mores infirmitas animi non excuſat:* ſic,ſi Minor propter furtum condemnatur in duplum vel quadruplum,non reſtituitur.Si tamen delinquant Adminiſtratores Eccleſiarú , & propterea illæ lædantur locum habet reſtitutio; quia juxta *reg. Jur. 76.in 6.* delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare. Membrum 2.

conſtat partim ex *l.16.§.3 ff.de Minor.* partim ex eo, quia, quod nullum eſt, ampliùs annullari ſeu reſcindi nequit: reſtitutio autem eſt mediũ reſciſſorium. Si dubitetur de valore, conſultũ eſt in libello petere vel declarationem nullitatis, vel reſtitutionem in integrum alternativè. Membrum 3. claret per ſe, quia fruſtra poſtulatur reſcindi, quod ex natura ſua reſcindibile nõ eſt, uti Matrimonium validè contractum, Profeſſio Religioſa validè emiſſa; Ordines validè ſuſcepti: adde, quòd per Profeſſionem Religioſam & Ordines nemo cenſeatur lædi, cùm ſtatus mutetur in melius.

7 Dico 4. Ut Minor, Eccleſia &c. reſtituatur, præcedere debet læſio notabilis ſaltem, vel mediocris. 2. facta vel per culpam adverſarii, adminiſtratoris, aut ipſius Minoris, vel per inconſultam facilitatem aut ignorantiam Minoris. 3. manifeſta, vel legitimè probata in Judicio. Membrum 1. ſumitur ex *l. 4. ff. h. t.* de minimis enim non curat Prætor, ut habet commune axioma: ergo requiritur læſio gravis & notabilis (ſive ſit infra ſive ſupra dimidium) reſpectivè tamen ad contractum &c. v.g. ſi Minor vẽdidit prædium 970. florenis, cujus pretium infimum ſunt 1000. cenſebitur læſio modica, & reſtitutio non concedetur: ſi verò rem valentem 100. venderet 70. vel etiam 90. florenis, cenſeretur læſio notabilis, cui ſuccurritur per reſtitutionem. Membrum 2. colligitur ex *l.* 11. *cit. §. 4* ubi negatur reſtitutio læſis per fatũ vel caſum fortuitum, & ſuadetur indè, quia aliàs nemo facilè contraheret cum Minoribus vel Eccleſiis, non ſine magno tum publici commercii, tum

tum ipſorum Minorum &c. præjudicio, contra *l.24. §.1 ff. eod.* & *c.61. de R.J. in 6.* cùm in eorum diſpendium retorqueretur, quod tamen in ipſorum favorem introductum eſt. Membrum 3. deducitur clarè ex *l 3.* & *8. ff. h. t.* atque ex allata ratione, quia aliàs nemo facilè cum Minoribus vellet contrahere, cùm nunquã foret ſecurus. Cœterùm an Minor (Eccleſia &c.) reſtituendus ſit, vel pretium duntaxat ſupplendum, ſi læſus ſit in pretio infra dimidium, contractus verò abſolutè ipſi expediat, diſputant DD Pirh. *n.17.* cum aliis putat, ſolùm ad pretii ſupplemẽtum agere poſſe plures verò cum Wieſtner *n. 10.* petitionem reſtitutionis concedunt; ſi eam velit, nixi præcipuè *l.27. §.1. in f. ff. eod.* ibi *ſi minore pretio, quàm oportet, vendiderit adoleſcens, emptor quidem juberi debebit prædia cum fructibus reſtituere.*

Dico 5. Reſtitutio in integrum peti & fieri debet à Judice illo, qui competens eſt reſpectu Rei, ſeu illius, contra quem petitur (quia Actor ſequitur forũ Rei. *c. 8. de foro com.*) ſive dein ſit Judex ordinarius, ſive delegatus Principis, vel delegatus ad Univerſitatem cauſarum, vel etiam delegatus alius cùm aliquo imperio & juriſdictione. Modò non ſit delegatus abſque juriſdictione & imperio omni, ut ſunt pedanei Judices, vel ſubdelegati ad cognitionem alicujus articuli tantùm, vel ad meram executionem aut nudum duntaxat miniſteriũ. Et modò non ſint arbitri; his enim poſterioribus denegatur reſtitutio in integrum, ſaltem principaliter, & non merè incidenter tantùm. *c. 9. h. t. l. 2.* & *ult. C. ubi* & *apud quem.* Cœterùm Magiſtratus vel 8

Judex inferior, quamvis poſſit reſtituere contra ſententiam propriam, & inferioris Judicis, prohibetur tamen reſtituere contra ſententiā Superioris. per *l.18.ff.de Minor.* Imò in quibusdam Provinciis uſus habet, ut nemo reſtituat in integrum, niſi ſolus Princeps, vel hujus Supremum Conſilium. Porro reſtitutio in integrum peti poteſt vel directè per modum *actionis*, & tunc opus eſt citare Adverſarium, & lite conteſtata (niſi citatus per contumaciam abſit) ſententiam reſtitutionis ferre cognitâ causâ. Mynſ. *cent.1. obſer.49.* Pirh. *h. n.69.* Vel indirectè & per modum *exceptionis*, ut ſi Minor ſuper contractu, in quo ipſe læſus eſt, conventus excipiat contra Actorem petendo reſtitutionem in integrum. Pirh. *lo. cit.*

9 Quæres, an Eccleſia à Laico læſa neceſſariò debeat petere reſtitutionem in integrum à Judice laico ipſius lædentis, vel an etiam petere poſſit à Judice Eccleſiaſtico? ℞. cum Palao *de Juſt.Commut.d.1.pu.19.§.8.n.5.* & communi, poſſe etiam à Judice Eccleſiaſtico, propter *c. penult. de rebus Eccl.alien. & c.1. h. t.* Quod tamen privilegium non debet extendi ad caſum, quo Clericus in bonis ſibi propriis, ſeu patrimonialibus, eſt læſus à Laico.

10 Dico 6. Reſtitutio in integrum debet fieri ita, ut læſus recuperet rem ſuam, absque ullo detrimento, lædens verò, ſi bona fide egit, nihil perdat de ſuo, adeóque ut neuter fiat ditior, neuter pauperior: cùm reſtitutio ſit repoſitio in priſtinum ſtatum. *c.1.cit.l.24.§.4. de Minor. l. un.C.de Reputationib.* Quare ſi reſtitutio Minoris fiat contra emptorem, Minor debet huic reddere

dere pretium, quatenus in utilitatem ipſius verſum eſſe probatur, item expenſas utiles in rem emptam factas, & æſtimationem laboris. *c. 1. cit. l. 27. & 39. ff. de Minor. l. 10. C. de prædiis Minor.* quod adeò verum eſt, ut emptor poſſit interea retinere rem inſtar pignoris, donec illa fuerint ſoluta. Abb. *in c. 1. cit. n. 3.* Sufficit autem reſtituere expenſas & melioramenta ſecundùm valorem, quo æſtimantur tempore reſtitutionis, licèt tempore, quo facta ſunt, pluris valuerint. Quòd ſi verò Minor pretium ex re vendita acceptum jam abſumpſiſſet, nec indè factus fuiſſet ditior, atque pretium ab emptore fuiſſet ſolutum eidem ſine decreto Judicis, non compellendus eſſet Minor ad reſtituendum pretium, utì nec ad expenſas voluptuarias reſarciendas, nec ad pecunias mutuò acceptas, quas inutiliter prodegit, mutuanti reddendas. *l. 32. §. 4. ff. de adminiſtr. Tutor. l. 27. cit.*

Quæres, an fructus percepti unà cum re reſtituendi? ℞. 1. ſi reſtituatur in integrum Majorennis, utì ex juſta cauſa ſubinde fit juxta dicta *n. 4.* tunc reſtituendi ſunt ab eo, qui juſſus eſt rem reſtituere, fructus naturales (ut opponuntur induſtrialibus) omnes, tam exſtantes, quàm conſumpti, quos percepit, ſi rem mala fide obtinuit, v. g. per metum injuſtum, dolum &c. ſi verò bona fide, ſine metu illato &c. acquiſivit, reſtituere debet ſolùm formaliter exſtantes. *l. 22. C. de R. V.* prout docetur de bonæ & malæ fidei poſſeſſore rei alienæ *ad. tit. de cauſ. Poſſeſſ.* quos tamen percepit poſt litis conteſtationem, utut aliàs in bona fide fuefuerit, reſtituere debet. *l. 22. cit. & l. 25. §. 7. ff. de* 11

petit. hæred. ℞. 2. ſi reſtituatur Minor propter cauſam ætatis, Eccleſia &c. & læſio contigit ex contractu lucroſo ſeu negotio gratuito, puta ſi Minor &c. donavit, hæreditatem repudiavit, beneficium vel dignitatem reſignavit &c. fructus pariter ſaltem exſtantes (demptis tamen expenſis) cum re reſtitui debent. per *c. 1. & l. 24. l. 27. citt.* quia læſio facta eſt non ſolùm in re principali, ſed etiam in fructibus. Si verò læſio contigit ex contractu oneroſo, puta venditione, permutatione &c. tunc ℞. 3. vel læſio eſt facta ſolùm in pretio, vel in ſubſtantia, eò quòd abſolutè alienatio non expedierit, quia v. g. alienavit caſtrum gentilitium, competenti pretio: ſi prius, iterum non tantùm res reddi (vel ſi maluerit Minor aut Eccleſia, ſuppleri defectus pretii) ſed etiam fructus huic parti pretii correſpondentes, reſtitui debent. v. g. vendidit Minor rem conſtantem 1000. ſolùm pro 500. florenis, tunc fructus ex dimidia parte pretii perceptos tenetur emptor reſtituere; & ſic exponendus eſt textus in *§. 1. l. 27. cit.* quia læſus eſt non ſolùm in rei venditione, ſed etiam in hac parte fructuum, quos ſervâſſet vel percepiſſet. Si poſterius (quod tamen raro cótingit) res ſola, & non fructus reſtitui debent; quia læſio non contigit in fructibus; ſicut enim emptor ex re percepit fructus, ita potuit Minor ex pretio, quod ponitur fuiſſe æquale, lucrum æquale facere: quod ſi non fecit, ſibi imputare debet. Ita quoad rem ſentire videntur Leſſ. *l. 2. c 17. à n. 70.* Pirh. *h. à n. 72.* Atque hoc modo conciliantur ſimul Auctores quorum aliqui nimis abſolutè affirmant, alii nimis abſolutè negant, fructus eſſe reſtituendos. Oppo-

Oppones 1. Qui emit à Minore, fit dominus 12
rei ſibi venditæ: ergo fructus, ſaltem ante litis conteſtationem, & ſententiá reſciſſoriam perceptos, non tenetur reſtituere; cùm res fructificet domino ſuo. 2. In *c.* 11. *de reb. Eccl. alien.* Papa voluit quidem reſtitui rem Eccleſiæ cum magno illius damno datam in feudum, fructus tamen indè perceptos conceſſit emptori vel poſſeſſori laico feudi: ergo in læſione, etiam enormi, fructus non ſunt reſtituendi cum re. ℞. ad 1. Diſt. *Ant.* fit dominus revocabiliter propter privilegium reſtitutionis in integrum. C. irrevocabiliter & abſolutè. *N. Ant. & Conſ.* Ad 2. variè reſpondetur ab AA. aliqui intelligunt de fructibus bona fide conſumptis: alii de iis, qui non excedunt expenſas tum in re principali tum in collectione fructuum factas, ſaltem ſi in æſtimationem veniat etiam obligatio annexa ad ſervitia & fidelitatem, ratione feudi præſtanda: alii ajunt, Pontificem ex plenitudine poteſtatis ut ſupremum adminiſtratorem bonorum Eccleſiaſticorum condonâſſe reſtitutionem fructuum, ut caveret varias querelas, & conſcientiam reſtituentis rem liberaret ſcrupulis &c. ſinguli non improbabiliter. Cœterùm ille, qui emit à Minore, ſciens ei competere beneficium reſtitutionis in integrum, per hoc ſolum non fit emptor malæ fidei in ordine ad reſtituendos fructus in foro conſcientiæ, antequam jubeatur reſtituere per ſententiam. Covarruv. *variar. l. 1. c. 3. n. 5.*

Dico 7. Reſtitutio in integrum à Minoribus 13
peti poteſt non ſolùm toto tempore minorennitatis, ſed hodie etiam integrô quadrienniô

Digitized by Google

poſt adeptam majorennitatem, adeóque usque ad 29. ætatis annum completum. Quod quadriennium à die læſionis factæ conceditur etiam Majorennibus (caſu quo gaudent hoc beneficio) Reipublicæ, & Eccleſiis; imò Eccleſiis etiam ultra quadriennium ex juſta cauſa. *l. ult. pr. C. de tempor. in integr. Reſtit. c. 1. h. t. in 6. Clem. un. eod.* olim enim unus duntaxat annus *utilis* fuerat conceſſus. *l. 19. ff. de Minor.* quem Imperator *l. cit.* convertit in quadriennium, partim *continuum*, quia currit conſtanter ſine diſcrimine ad dies feriatos & non feriatos, partim *utile*, qui non currit juſtè impeditis, v. g. vi, dolo, abſentia, vel alio obſtaculo, propter quod reſtitutio intra quadriennium peti non potuit. *text. & gl. V. ſupervacuam & V. excipiatur. d. l.* Adeóque quadriennium hoc reſpectu Minorũ incipit à primo die anni 26. reſpectu Eccleſiæ & Reipublicæ à die factæ læſionis: reſpectu Majorennium verò incipit à die, quo ceſſat impedimentum; ſi tamen ratione metûs fuit impedita reſtitutio, à Majorenni ſolùm intra unum annum; ſi ratione doli, ab eodem intra duos tantùm annos peti poteſt. *l. 14. §. 1. ff. quod met. cauſ. l. fin C. de dolo malo.* juncta *l. fin. cit.* adeóque non per quadriennium. Eccleſiis autem non obſtante, quòd metu, dolo, aut quocunque alio modo impediantur à reſtitutione petenda, indulgetur totum quadriennium; imò ex hujusmodi cauſa vel propter tale impedimentum ex ſpeciali favore conceditur ipſis reſtitutio ultra quadrienniũ (uti dixi) *c. 1. cit. c. penult. de reb. Ecc. alien.* & probabiliter usque ad 30. vel 40. annos, *a g. l. 3. C. de præſcr. 30. vel 40. ann. junct. gl. marg. lit.*

C. Covarruv. *l.1.Variar.c.3.n.12.* Ratio, cur hæc extenſio ultra quadriennium concedatur Eccleſiis, non tamen Minoribus majoritatem adeptis, fortè eſt hæc, quòd Eccleſia ſemper maneat quaſi Minor, & res ejus gubernentur per Adminiſtratores, Minor autem Major effectus per ſe adminiſtret. Cauſæ autem extenſionis ulterioris apud Eccleſias ſunt: ſi toto quadriennio vixit Prælatus, cujus contractu læſio contigit: ſi læſio fuit enormiſſima: ſi colluſione, fraude, metu &c. fuit impedita petitio reſtitutionis in integrum. Quæſtio præterea valde utilis nec ignobilis movetur hic, utrùm reſpectu Eccleſiæ, Reipublicæ, Civitatis &c. incipiat quadriennium à die læſionis *factæ*, utì huc usque ſuppoſuimus, vel an à die læſionis *cognitæ*, ſive an ignorantia læſionis ſit cauſa ſufficiens, propter quam extendi quadriennium ad petendam reſtitutionem indultum: ad quod ℞. &

Dico 6. Neque reſpectu Eccleſiæ quadriennium reſtitutionis petendæ incipit currere à die læſionis cognitæ, adeóque etiam ignoranti læſionem currit tempus. Ita probabiliter Arnoldus Rath *de uſucap.c.5.§.45.* Perez. *in Cod.ad tit. de tempor.in integr.Reſt.n.6.* Wieſtner *h.n.71.* & alii contra Menoch. Engel *n.11.* König *n.22.* & alios plures, qui ſibi ſuffragari praxim ajunt. Noſtræ ſententiæ Patroni ſe fundant in *c.1.2. h.t. in 6. Clem.un.eod.* item in paritate cum Minoribus, quibus ultra quadriennium à die adeptæ pubertatis, & cum Majorennibus, quibus à die ceſſantis impedimenti, propter ignorantiam nihil ampliùs conceditur. Confirmant; quia aliàs nullus ferè vellet contrahere cum Eccleſiis, 14

eò quòd poſt 40. 100. imò 1000. annos poſſent petere reſtitutionem; cùm Eccleſiæ ſemper poſſent prætēdere ignorantiam, & nemo tam ſtultus eſſe præſumatur, quòd ſciens rem, quam ad ſe revocare poteſt, velit relinquere apud alium. Sicut ergo in Præſcriptione, qualem etiam conſtituit poſſeſſio rei per quadriennium detentæ adversùs petitionem reſtitutionis in integrum, nihil prodeſt ignorantia, ita nec in hac Præſcriptione: ſicut igitur aliis actionibus præſcribitur, licèt eas ſibi competere ignoret alter, ita & petitioni Reſtitutionis. Et ſicut Præſcriptio quadragenaria adversùs Eccleſiam *omnem* prorſus actionem excludit. *c.6. de Præſcr*, ita hæc quadriennalis actionem, qua petitur reſtitutio. Id concedo, quòd, ſi Eccleſia lædatur in ipſo tempore (h. e. ſi impediatur intra conceſſum aliàs tempus reſtitutionem petere) iſtud tempus ei non currat; ſi tamen hæc læſio in tempore duraret usque ad 40. annos, quibus Jura volunt etiam contra Eccleſias præſcribentem eſſe *ſecuriſſimum*, ita ut *omnis prorſus* Eccleſiis actio denegetur. *l.4. C de præſcr. 30. vel 40. ann. c.6. cit.* ne lites fiant immortales, ultra hoc tempus nunquam extendendam eſſe reſtitutionem, & juxta dicta ob ſolius ignorantiæ impedimentum ne quidem ultra quadriennium, cenſeo.

15 Oppones 1. In *c.1. & 2. citt.* negatur quidem Eccleſiis reſtitutio poſt quadriennium, ſed tantùm ſi *negligenter omiſerint* eam petere: ſed negligenter non omittunt, ſi ignoranter: ergo, ſi ex ignorantia non petunt reſtitutionem intra quadriennium, etiam poſtea poterunt petere. 2. quadriennium non currit Minoribus à die

adeptæ

adeptæ majorennitatis, ſi juſtum habeant tunc impedimentum, quò minùs reſtitutionem petant, ſed à die ceſſantis impedimenti. *l. 1. C. de tempor. in integr. reſtit.* ergo nec Eccleſiis: ſed ignorantia eſt impedimentum legitimum. *l. 6. ff. de calumniat.* ergo. ℞. ad 1. Licèt ibi negetur reſtitutio *negligentibus*, tamen non hoc ipſo cõceditur ignorantibus; neque hoc rectè infertur à contrario: quia argumento à contrario non eſt locus, quando devenitur indè ad correctionem Juris, uti hic deveniretur; nam Minoribus & Majoribus propter ignorantiam non extenditur tempus, & Præſcriptionem impediri per ignorantiam nolunt Jura. Adde, quòd ad evitandam correctionem Jurium *negligentia* ibi poſſit ſumi etiam pro *ignorantia*, tanquã negligentia præſumpta. Ad 2. Inter juſta impedimenta non cenſeri hic debet ignorantia, quia verſamur in materia Præſcriptionis, qua extinguitur jus poſtulandi reſtitutioné. Adeóque argumentum procedit de aliis impedimentis. Et in *d. l. 6.* ſermo eſt tantùm de actione, quæ ibi proponitur contra calumniatores.

TITULUS XLII.

De Alienatione Judicii mutandi causâ.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit alienatio Judicii mutandi causâ.*
2. *Duplex remedium competit læſis per hanc alienationem.*
3. *Sub quibus conditionibus illud concedatur.*

SCiendum 1. hoc Titulo remedium, valde vicinum Reſtitutioni in integrum, concedi 1
ijs,

ijs, qui læſi ſunt alienatione rei, factâ ideo, ut mutetur Judex vel Judicium. Is enim dicitur *alienare Judicii mutandi causâ*, qui rem, de qua litem timet vel ſuſpicatur ſibi movendam, dolosè transfert in alium, ut ſcilicet Adverſario rem faciat deteriorem, ac difficiliorem litis proſecutionem; quod fit, ſi rem, vel actionem ad rē, cedat alteri potentiori, vel valde rixoſo, vel exiſtenti in alia provincia aut ſub alio Judice, item tali, qui ratione perſonæ eſt privilegiatus, uti Clerici, quoad forum. *l.* 1. *ſeqq. c.* 2. *h.t.* In hoc poſteriore graviter prohibetur Clericis, ne litem alienam in ſe transferri patiantur vel curent eo fine, ut Actores Laicos ad forum Eccleſiaſticum pertrahant.

2 Sc. 2. Remedium, quo ſuccurritur læſis ex prædicta alienatione, eſſe duplex, & ipſorum arbitrio relinqui, utrum eligere malint. Primū eſt *actio in factum* Prætoria adversùs alienantem, qua intentata Prætor ex officio ſuccurrit læſo petitori, ipſum reſtituendo in integrum ita, ut conſequatur omnia perinde, acſi alienatio facta non eſſet, ſeu reſtituendo totum intereſſe, quanti nempe intereſt petitoris, alium Adverſarium, vel in alio loco, non habere, item obligando alienantem ad reſarcitionem expenſarum ac incommoditatis, per alienationem forſan cauſatæ, non tamen ad ipſam alienationem reſcindendam. *l.* 1. *l.*3. *§.*3. *&* 4. *l.* 4. *§.*5. *ff. h.t.* Alterum remedium eſt *actio in rem* (quam vocant *utilem rei vindicationem*) *l.un. C. eod.* datúrque adversùs poſſeſſorem rei alienatæ, imò etiam adversùs ipſum alienantem, qui rem dolo poſſidere deſiit; quia dolosè alienans fictio-

ne

ne Juris habetur pro poſſeſſore. *l. 27. §. 3. l 36. ff. de R.V.* Utraque hæc actio eſt rei perſecutoria, conſequenter tranſit ad hæredes ex parte læſi. *l. 4. cit.* non verò ex parte lædentis ſeu doloſè alienantis vel poſſidentis ; quia videtur oriri ex delicto. *l. 7. ff. h. t.* actio autem ex delicto non ſolet tranſire ad hæredes delinquentis, niſi in quantum ad ipſos aliquid pervenerit indè.

Dico. Ut duplex hoc remediũ ſeu actio locũ habeat, requiritur 1. ut vel dominiũ vel ſaltẽ poſſeſſio rei ſit in aliũ translata, ſive titulo oneroſo, ſive lucrativo. 2. & quidẽ judicii mutandi causâ, non ex alia cauſa, v. g. morbi, ſenii, ad ſolvenda debita &c. 3. judicii futuri ſeu imminentis causâ (ſi enim Judicium jam fuiſſet cœptum, alienatio rei litigioſæ eſſet ipſo Jure nulla. *l. 2. C. de litigioſis*, atque adeò actione opus non foret) 4. dolô malô, h. e. ea intentione, ut conditio petitoris ſeu Actoris reddatur durior, eive moleſtior opponatur Adverſarius, & re ipſa etiam facta ſit ejus conditio deterior. 5. inter vivos, & non per ultimam voluntatem; quia tunc nemo cenſetur agere doloſè. Colliguntur hæc ex *l. 1. 4. citt. l 8 ff. eod. l. 24. ff. Communi divid.* Unde à contrario rectè infertur, non teneri alterutrâ harum actionum, qui rem non alienavit, ſed tantùm locavit, depoſuit, commodato dedit: vel qui alienavit quidem, ſed non dolo malo: vel ſi non intereſt petitoris, rem fuiſſe alienatam: vel ſi alienans rurſus recuperet eam: vel paratus ſit ipſemet ſubire judicium. 3

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XLIII.

De Arbitris.

SUMMARIUM.

1. *Quis dicatur Arbiter: quomodo Compromiſſarius differat ab Arbitro Juris: & uterque à Judice.*
2. *Quomodò conſtituendus ſit Arbiter Compromiſſarius, & quando Arbiter Juris.*
3. *Arbiter differt ab Arbitratore.*
4. 5. 6. *Quis compromittere in Arbitros, in quos, & ſuper quibus cauſis valeat.*
7. *Quæ ſit poteſtas Arbitri.*
8. *Quid Juris, ſi Arbitri in ferendo laudo diſcrepent.*
9. *Quod ſit officium Arbitri.*
10. *Quis ſit effectus Arbitrii, & quam pariat actionem.*
11. *An Laudum reduci poſſit ad Arbitrium boni viri.*
12. *Quomodo exſpiret officium Arbitri.*

1 SCiendum 1. per *Arbitrum* (Schid-Mann / Schid-Richter / Obmann) intelligi virum bonum, qui conſtituitur ad aliquod negotium arbitrandum ſeu æſtimandum, & terminandum. Si eligatur libero Partium diſſidentium conſenſu, nemine jubente, ſeu in quem Partes ſponte compromittunt, vocatur *Arbiter Compromiſſarius*, vel etiam *Voluntarius*: quare *Arbitrium* & *Compromiſſum* ſumuntur pro eodem *l. 1. ff. de receptis, qui arbitrium &c.* ſi verò con-

conſtitui debeat ex præſcripto Legis, vel Statuti, vel Judicis, dicitur *arbiter Juris*, vel etiam *Neceſſarius*. Hoc loco maximè agitur de Arbitro Compromiſſario, quem Partes, antequam rem deferant ad Judicium, vel etiam poſtquã jam detulerunt, ſæpe conſtituunt ac providè, ut is privatim & ſine ſtrepitu Judiciali ſecundùm æquum & bonum pronuntiet *laudum* (ſic appellatur arbitrium ſeu ſententia ab arbitro voluntario dicta) & litem dirimat; ſic enim parcunt & tempori & ſumptibus. Quamvis igitur Arbitrium ſimilitudinem aliquam habeat cum Judicio, & ſerviat ad finiendas lites. *l.* 1. *cit.* ab eo tamen plurimùm differt, adeóque & Arbiter à Judice; nam Judex debet habere jurisdictionem in Partes, non verò Arbiter Compromiſſarius, adeóque illius longè amplior eſt poteſtas quàm hujus; iſte enim nõ poteſt citare propriè Partes, neque teſtes compellere ad teſtandum, neque ipſas Partes litigantes ad aliquid aliud obligare, quàm ad quod ipſæ ſe ſe vi ſui compromiſſi obligârunt; nec exequi ſententiam à ſe latam, nec ipſæ Partes valent appellare ab illa, quia ſe obligârunt ad ſtandum ejus laudo, nec ex pronuntiato Arbitri oritur actio, vel exceptio, rei judicatæ, ſicut ex ſententia Judicis. *l.* 1. *C. de receptis arbitris.* Minùs verò à Judice differt Arbiter Juris; quia huic, utpote conſtituto authoritate publica Legis, vel juſſu Magiſtratûs, competit jurisdictio aliqua (quaſi media inter Ordinariam & Delegatam) vi cujus poteſt citare Partes, examinare teſtes, exigere con-

conteſtationem litis, juramentum calumniæ, ac alia facere, quæ agunt Judices, atque ab ejus ſententia regulariter permittitur appellatio, ſicut à ſententia Judicis ad eum, qui dedit, vel conſtitui juſſit arbitrum, vel ad Judicem Ordinarium. Deſumuntur hæc ex *c.* 11. *&* 39. *& gl. ibid.* Adeóque arbiter Juris multùm diſcriminatur quidem ab Arbitro Compromiſſario, parùm verò & vix à Judice.

2 Sc. 2. Arbitrum Compromiſſarium diverſimode conſtitui poſſe. 1. pactô nudô, ſeu ſolô tum Partium, tum eorum, in quos compromittunt, conſenſu, manifeſtatô ſive per verba, ſive per nutum, ſive per nuntium, ſive per epiſtolam &c. 2. interveniente ſtipulatione, ſeu certa verborum ſolennitate. 3. adjectâ pœnâ ab eo ſolvendâ, qui laudo non ſteterit. 4. adjectô juramentô, quo ſe Partes etiam ex virtute Religionis obligant ad recipiendum arbitrium, ſaltem de Jure Canonico. *c.* 2. *h. t.* quamvis de Jure Civili *Novell.* 82. *c.* 11. juramentum non admittat compromiſſio in arbitrum. 5. unum vel plures. Si tamen plures conſtituantur, ad cognitionem cauſæ & valorem laudi de Jure Civili requiritur præſentia omnium, niſi Compromiſſum habeat hujusmodi clauſulam, *ut uno vel altero abſente reliqui procedere valeant. l.* 32. *§.* 13. *ff. de Receptis &c.* de Jure autem & in foro Eccleſiaſtico præſentia majoris ſaltem partis (modò omnes vocentur ad examinandam & definiendam cauſam) niſi expreſsè voluerint Partes, ut omnes unitim concurrant. *c.* 2. *h. t. in* 6. Arbiter Juris autem

tem conſtitui debet in his caſibus. 1. ſi recuſetur Judex, tanquam ſuſpectus. 2 ſi diverſi Judices diſcordent ſuper revocatione litterarum Apoſtolicarum. 3. ſi Epiſcopus habeat controverſiam cum Clerico ſibi ſubjecto &c. *c.39. cit. c. 14. pr. de Reſcr. can. 46. cauſ.* 11 *q.* 1. Quibus adde caſum, quo ſupremi Principes, qui Judicem non habent, inter ſe litigant, nec res transactione poteſt componi: vel quando exſtat alicubi Statutum, ut ſuper controverſiis, inter perſonas v. g conjunctas ortis, compromittatur in arbitros.

Sc. 3. Arbitrum ab *Arbitratore* diſtingui, & quidem 1. ac principaliter, quòd Arbitrator aſſumi ſoleat plerumque ad negotia extrajudicialia: v. g. ad perficiendos contractus, ea intentione, ut ſecundùm æquitatem naturalem ſimpliciter pronuntiet ſine ullo Judicii ordine, & forma judiciali, adeóque ſine citatione Partium, examine teſtium &c. quem ordinem tamen etiam Arbiter Compromiſſarius obſervare debet, licèt juriſdictione careat. 2. quòd arbitrator poſſit eſſe quilibet; etiam in cauſa & facto proprio: per *l. 30. ff. de operis libert.* quòd arbitrator conſtituatur ſine pacto, expreſſo, vel tacito, acquieſcendi *arbitramento* (ſic vocatur pronuntiatum arbitratoris:) per *l. cit.* adeóque ſi appareat eſſe iniquum; illud reduci poteſt ad arbitrium boni viri per integrum annum imò juxta alios etiam ad 30. annos; quod de arbitrio, ut dicemus, per ſe non procedit. Unde etiam in Germanico, ſi ſtrictè attendantur voces, Arbitrator, in Schid-Mann / Ar- 3

biter verò ein Schid-Richter/ oder Obmann appellatur. Et quamvis multi non faciant diſcrimen inter Arbitratorem, & *Mediatorem, ſeu Amicabilem Compoſitorem*, preſsè tamen loquendo hæc differentia inter utrumque intercedit, quòd Mediator det potiùs conſilium, quàm judicium & ſententiam ſuam edicat, & quòd Partes non teneantur ſequi deciſionem Mediatoris, nec iſte ſuſceptum ſemel officiũ proſequi. *l. 13. §. 2. ff. de recept.* Econtra Arbitrator à ſuſcepto ſemel officio arbitrandi recedere pro libitu non poſſit, Partes verò teneantur arbitramento ſtare, vel illud curare reduci ad arbitrium boni viri. per *l. cit.*

4 Dico 1. Compromittere in arbitros poſſunt omnes & ſoli, quibus permiſſum eſt tranſigere. Ita communis, ac deſumitur ex *c. 5. h. t.* Vid. *tit. 36.* ſuprà *de Transactionib.*

5 Dico 2. Arbitrium recipere, ſeu arbitri eſſe poſſunt ferè omnes & ſoli illi, qui poſſunt eſſe Judices. *l. 1. 3. ſeqq. l. 10. ff. de receptis, qui arbitr.* quia Arbitria ad ſimilitudinem Judiciorum ſunt redacta: conſequenter Arbiter eſſe poterit etiam proprius Judex, ordinarius vel delegatus, filiusfamilias, etiam in re patris. *l. 4. 5. 6. ff. eod. c. 7. & 10. h. t.* Excluduntur tamen ſervi, muti, ſurdi, pupilli, furioſi, mulieres, niſi ſint præcellentes & jurisdictione gaudeant; item excommunicati non tolerati, Religioſi in cauſa extranea & ſine conſenſu Prælati, Laici ſoli in cauſa ſpirituali Clericorum. *l. 7. 8. 9 ff. l. fin. C. de receptis. c. 59. de ſent. Excom. can. 20. & 35. cauſ. 16. q. 1. c. 4. & 8. h. t.* Si tamen compro-

promittatur non in Laicum ſolum ſed ſimul in Clericum, etiam in cauſa ſpirituali admittitur arbitrium Laici vel Laicorum junctim cum arbitrio Clerici, modò compromiſſum ſit cum conſenſu Superioris Eccleſiaſtici, ſaltem Epiſcopi. *c.9.eod.* Wieſtner *n.22.* Dixi autem 1. *ferè*; ſiquidem arbiter eſſe permittitur infamis. *l. 7.cit.* qui tamen Judex eſſe prohibetur: & viciſſim prohibetur eſſe arbiter Minor 20. annis. *l.41.ff.eod.* qui tamen permittitur eſſe Judex. *l. 57.ff.de re jud.* Dixi 2. *poſſunt*, non debent; nam cogi quis non poteſt ad recipiendum arbitriũ, quia eſt officium privatum (non publicum, ſicut Judicis) quamvis cogendus ſit ad proferendum laudum ſuſceptô ſemel officiô arbitri. *l. 3. §.1.ff. de receptis, qui arbitrium.*

Dico 3. Compromitti in arbitros poteſt ſuper omnibus & ſolis cauſis, ſuper quibus tranſigere licet; exceptis ſcilicet valde arduis, & iis, quæ in poteſtate plena compromittentium nõ ſunt, aut poteſtatem juriſdictionis vel Imperii requirunt, aut in aliorum præjudicium cedunt. Communis cum Panorm. in *c.9. de Reſtit. in integr.n.4.c.9 h. t.* Unde in arbitros compromitti nequit. 1. in cauſa Matrimoniali, quando agitur de valore Matrimonii. 2 in cauſa criminali criminaliter intentata 3. in cauſa libertatis, ſeu quando agitur, an aliquis ſit liber vel ſervus. 4. in cauſa Reſtitutionis in integrũ, ſi ea principaliter, & non ſolùm incidenter tantùm petitur; quia nempe arbiter nec Imperium, nec juriſdictionem ſimplicem obtinet, ſed meram notionem. Facit huc *l.32.§.6 7.ff.de re-* 6

Digitized by Google

cept. c.9.cit. tum. h.t.tum.de reſtit.in integr. Rurſus arbiter conſtitui non poteſt ſuper cauſa jam deciſa per ſententiam, quæ tranſiit in rem judicatam. *c.* 11. *h. t.*

7 Dico 4. Poteſtas arbitri dependet tota à voluntate compromittentium, & hinc debet obſervare clauſulas ipſi præſcriptas, nec in alia negotia ſe immiſceat; quamvis de rebus cum lite vel negotio, ad quod dirimendum conſtitutus eſt, neceſſariò connexis cognoſcere & pronuntiare valeat, uti ſunt fructus rei, item expenſæ; in quas, uti & in pœnam à compromittentibus conventam condemnare, diem ſolutioni præfigère &c. ad ipſum ſpectat, non verò mulctare Partes, aut ſententiam exequi; nam executio laudi ad Judicem Ordinarium pertinet. Sumuntur hæc ex *c.6.h.t. c. 4. de foro compet. l.32.§.fin.ff.de recept. l.2.§.8.ff.de Judic.*

8 Quæres, cujus ſententia vel laudum ſubſiſtat, ſi plures ſint electi arbitri, & in ferendo laudo diſcrepent? ℞. illud prævalet, quod plures dixerunt. ℞.2. ſi omnes diſcordent, & pronuntiatum unius contineatur in pronuntiato alterius vel aliorum, prævalet illius, qui minimum edixit: ſi verò non contineatur, arbitrium eſt nullum. *c.1.h.t.in 6.l.17.18.27.§.3.ff.de recept.* Unde ſi ex tribus arbitris duo condemnét Titium in 10. unus in 5. ſtabit arbitrium quoad 10. Si verò unus condemnet in 15. alter in 10. tertius in 5. ſubſiſtet pronuntiatum ultimi in 5. per *c.1. & l. 27.citt.* quia in hanc ſummam omnes conſenſerunt. Sed hoc intelligendum eſt, ut cum Covarruv. monent alii quoque

DD.

DD. ſi minima ſumma adhuc ſit intra terminos æquitatis & juſti pretii, ita ut ij, qui determinant majorem ſummam, non poſſint rationabiliter eſſe inviti contra minimam, tanquam injuſtam.

Dico 5. Officium Arbitri conſiſtit in his. 1. ut officium ſemel ſuſceptum non deponat invitis Partibus, & ſine gravi cauſa, antequam laudum edixerit. *l. 3. & 15. ff. eod.* 2. ut proferat laudum juſtum, ſervet formam Judicii, & ordinem actuum Judicialium (niſi compromittentes ultro remittant hanc obligationem, vel voluerint, ut ſummariè procedat & de plano) adeóque laudum pronuntiet in præſentia Partium, quas propterea citare oportet. *c. 10. h. t. l. 27. cit. §. 4.* 3. ut pronuntiet in præſentia reliquorum arbitrorum, ſi plures ſint conſtituti (de Jure Canonico ſufficit, omnes fuiſſe vocatos, & præſentem eſſe ſaltem majorem partem. *c. 2. h. t. in 6.*) & quidem nomine omnium in numero plurali, *nos &c.* per *c. 21. de elect. in 6.* niſi nempe omnes pronuntient; nam arbitrium committitur ipſis non ut Collegio, uti fit, quando Capitulum compromittit in aliquos in ordine ad electionem faciendam, ſed ut ſingulis. 4. ut pronuntiet tempore & loco, quo voluerunt compromittentes: ſi iſti non determinârint tempus, relinquitur ipſius æquitati, modò non pronuntiet die feriato; ſi enim id faceret in die feſto, ſeu in feriis ſacris, arbitrium eſſet nullum. *arg. l. 3. C. de feriis,* & ibi DD. niſi neceſſitas urgeret, vel pietas: ſi in feriis Legalibus, quæ obſervantur in Judiciis, v. g. propter meſ- 9

 ſem

ſem, vindemiam &c. valet, ſi Partes ita voluerint per *l. 36. ff. de receptis.* Si locum non determinârint compromittentes, ferre arbitrium debet in illo, in quo fuit compromiſſum. *l. 21. §. 10. ff. eod.* At in Eccleſia ferendum non eſt. *arg. c. 2. de immunit. Eccl. in 6.* quia Arbiter, quamvis propriè non ſit Judex, eſt tamen talis in ſenſu latiori, & quamvis non exerceat actus Jurisdictionales, exercet tamen Judiciales. 5. ut laudum ſemel prolatum non mutet. *l. 19. §. fin. l. 20. ff. eod.*

10 Dico 6. Effectus prolati arbitrii ſunt ſequentes. 1. finem imponit cauſæ ita, ut ab eo appellari non liceat, adeóque compromittentes teneantur ſtare laudo tam iniquo quàm æquo. *l. 27. ff. eod. § 2.* ferè ſicut tranſigentes transactioni: niſi ſit notorie injuſtum, vel dolo latum, vel præjudicans Eccleſiæ. *c. 2. 3. & 5. h. t.* Et niſi fortè reduci poſſit, de quo poſtea. 2. acta coram Arbitro retinent vim probandi in quolibet Judicio inter eosdem compromittentes. 3. parit actionem coram Judice Ordinario adversùs eum, qui non paret laudo; ſed cum aliquo diſcrimine: vel enim compromiſſum eſt nudô pactô? & tunc ſolùm ex conſuetudine juxta dicta *de Pactis* tribuit actionem; tribuit tamen etiam de Jure, ſi homologatum eſt (ſeu approbatum) à Partibus vel expreſsè, ſubſcribendo v. g. vel tacitè, nempe per ſpatium 10. dierum nihil movendo contrà. *c. 9. h. t. l. 5. C. de recept.* & hæc actio, quæ datur actori, ut rem ſibi adjudicatam obtineat, vocatur *in factum*, vel *condictio ex Lege*: Reo verò rem poſſidenti

con-

conceditur exceptio ſimilis. Vel compromiſſum eſt per ſtipulationem ? & tunc dat actionē ex *ſtipulatu* vel *incerti* ad intereſſe. *c.9.* & *l.27. citt. §. fin.* qua victor agit adversùs condemnatum, ut præſtet omne id, quod ratione laudi ab ipſo præſtari intereſt Victoris; nam per *intereſſe* juxta Panorm. in *c. cit.* non intelligitur res ipſa, quæ petitur, ſed expenſæ, vel jam factæ, vel faciendæ in nova lite, quas cauſat obedire detrectans laudo. Vel compromiſſum eſt cum adjectione pœnæ ? & tunc tribuit actionem non determinatè ad rem ipſam conſequendam, ſed alternativè ad hanc, vel ad ſolutionem pœnæ, ſi arbitrio ſtare nolit Pars adverſa. *c. 9. cit. l.1.* & *2. cum Auth. decernit C. de receptis.* niſi nempe Pars adverſa jam homologaverit laudum; tunc enim cenſetur potiùs elegiſſe obſervare laudum, quàm ſolvere pœnā. Vel denique eſt compromiſſum cum juramento ? & tunc de Jure Canonico parit quidem actionem, per *c. 2. h. t.* non verò de Jure Civili noviore. *Nov. 82. c.11.* & *Auth. cit.*

Quæres, an Laudum, à quo appellari non eſt 11. conceſſum, ſaltem non poſſit reduci ad Arbitrium boni viri, h.e. à Parte, quæ ſe læſam illo exiſtimat, ſubmitti vero Judici (nam *vir bonus* in Jure vocatur Judex competens. *l. 18. ff. judicatum ſolvi*) qui ſecluſa compromiſſione tanquam competens adiri debebat, revidendum & corrigendum ? R. 1. *arbitramentum* poteſt reduci per *l. 76. ff. pro ſocio.* R. 2. *arbitrium* homologatum de Jure non poteſt. *c. 5.* & *l. 27. §. 2. citt.* licèt teſte P. Wieſtner. *n. 52.* conſuetudo

permittat illud reduci ad æquitatem arbitriô boni viri, ſi una Pars ſit enormiter læſa. Textus, qui videntur permittere reductionem, explicandi ſunt vel de arbitramento, vel de arbitrio non homologato, ut Jura concilientur Juribus.

12 Dico 7. Officium Arbitri & totum compromiſſum finitur 1. morte compromittentis, unius vel utriusque. *l. 27. 32. citt. c. fin. h. t.* adeóque quamvis aliis in pactis & contractibus orta obligatio ordinariè tranſeat ad hæredes, per *l. 22. ff. de contrah. ſtipul.* compromiſſum tamen non tranſit, niſi de hoc expreſsè conventum ſit. 2. morte arbitri. *c. 50. de teſtib.* etiam unius tantùm. *c. 30. & 42. de off. deleg.* niſi jam priùs fuerit appoſita manus, vel adjecta clauſula, *ſi omnes non poſſint, arbitrentur reliqui.* 3. recuſatione arbitri tanquam ſuſpecti. *l. 15. ff. de receptis.* quia v. g. ſupervenit odium erga unum ex compromittentibus, vel affinitas cum altera Parte &c. 4. mutuo compromittentium conſenſu. *arg. c. 1. de R. J.* 5. lapſu temporis arbitrio præfixi. *l. 32. §. 3. 11. & fin. ff. l. 1. C. de receptis.* 6. finitâ per ſententiam causâ. *l. 19. ſeqq. ff. eod. c. 11. h. t.* quia tunc Arbiter functus eſt totô ſuô officiô. 7. interitu rei, de qua ferendum erat arbitrium. per *l. 32. cit. §. 5.* Hæc eadem dic de Arbitratore propter paritatem rationis.

O. A. M. D. G.

INDEX

INDEX.

Prior numerus *Romanus* indicat Titulum, *cifræ* autem numeros marginales, & *Prol.* Prolegomena.

A.

ABbas, Abbatiſſa. XXXI. 20. ſeq.
Vide. Prælatus Regularis.
Abbas conferens Ordines. XI. 12.
Abſentes ad Electionem vocandi. VI. 9. ſeqq.
Conſtituunt Procuratorem. 13.
Abuſus in impetrandis Reſcriptis. III. 12.
Actus interni non cadunt ſub Legem Humanam. II. 8. ſeqq.
Actus metu geſti, v. Metus.
Actus requiſiti ad Conſuetudinem. IV. 8.
Adminiſtratio Prælaturæ. VI. 57.
Rerum alienarum. XIX. 1.
Advocatus XXXVII. 2. ſeqq.
Ejus officium. 5. 6.
Obligatio reſarciendi illata damna. 7.
Ejus commoda & privilegia. 8.
Ætas requiſita ad Beneficium. XIV. 2. 8. 9.
Ad Ordines. XI. 22. 34.
Alienatio Judicii mutandi causâ. XLII. 1. ſeqq.
Amentes an obligentur Legibus. II. 50. 51.
An Ordinentur validè. XI. 19.
Amortizatio. II. 33.
Appellatio à Delegato & Subdelegato. XXIX. 29.
Contra Electionem. VI. 49. 51. 59.
Arbiter quis & quotuplex. XLIII. 1.

Ccc 5 Quo-

Digitized by Google

Quomodo & quando conſtituendus. 2.
Quis & ſuper quibus cauſis compromittere poſſit. 4. ſeq.
Arbitri diſcrepantes in Laudo. 8.
Arbitri poteſtas & officium. 7. 9.
Quomodo exſpiret. 12.
Effectus Arbitrii. 10.
Arbitrator. 3.
Archidiaconus, & ejus officium. XXIII. per tot.
Archiepiſcopus. XXX. 6. 12.
Indiget Pallio. VIII. 4. 6.
Non ſupplet negligentiam Epiſcopi in adminiſtranda Juſtitia &c. X. 6. 7.
Archipresbyter & ejus officium. XXIV. per tot.
Authenticum. Proleg. 28.

B.

Baptiſmo carentes invalidè Ordinantur. XI. 19.
Bellum quid & quotuplex. XXXIV. 2.
Requiſita ad licentiam belli Offenſivi. 4. ſeqq.
Cauſa juſta an ſit aucta Vicini potentia. 5.
Quid liceat & non liceat in bello. 8. 9.
Injuſtum gerens bellum ad quid obligetur. 10.
Benedictio electi, & electæ. VI. 72. 73.
Beneficium facit ſubditum Epiſcopo. XI. 10.
Quibus beneficia conferenda. XIV. per tot.
Præſertim Curata. 11.
Quando conferenda. X. 5.
Quænam reſignari poſſint. IX. 5.
Bigamia, & Bigami. XXI. 1. 2.
Illicitè Ordinantur ſine diſpenſatione. 4.
Papa diſpenſat, in occulta autem Epiſcopus. 5. 6.
Etiam Infideles contrahunt Bigamiam. 3.
Bona Caſtrenſia, quaſi-Caſtrenſia, Adventitia, a Profectitia. XXXV. 6. 7.
Breve Apoſtolicum. III. 5. Proleg. 44.
Bulla. Bullarium. Proleg. 44.

C.

Cantor. XXV. per tot.
Capitulatio in Electione. VI. 3. 5. 6.
Capitularis tractatio de Electione. 8.
Capitularibus competit jus eligendi. 16.
Capitulum, & Conventus quid. *ibid.*
Supplet negligentiam Episcopi. X. 6. 7.
Tenetur conſtituere Vicarium. XXVIII. 18.
Cardinales. XXXI. 3. 10.
Eligunt Pontificem. VI. 81.
Caſus fortuitus. XXXV. 19. 26.
Cathedraticum. XXXI. 18.
Cauſa finalis quæ, & impulſiva. III. 15. ſeqq.
Cauſa propria quæ dicatur. XXXII. 10.
Cenſuratus an ſit eligibilis. VI. 25.
Ceſſatio Legis. II. 77. 78. IV. 14. 17.
Chriſma, & ejus confectio. XV. 5. ſeqq.
Non eſt de eſſentia Sacram. Confirm. 6.
Clauſulæ Reſcriptorum. III. 10.
Clementinæ. Proleg. 36.
Clerici quomodo obligentur Legibus. II. 57.
An poſſint eſſe Advocati. XXXVII. 4.
Peregrini. XXII. 1. 2. 3.
Codex Juſtinianeus. Proleg. 27.
Collatio Beneficiorum. XIV. per tot.
Indignis facta an valeat. 8. & ſeqq.
Collatio Suffragiorum. VI. 37.
Communitas quid. II. 4.
Compromiſſarii Arbitri. XLIII. 1. ſeqq.
Compromiſſarii Electores. VI. 42.
Qua forma eligant. 32. 41.
Concilium Generale & Particulare. Proleg. 43.
Generale ſine vel cum Papa. XXXI. 7. ſeqq.
Tridentinum. Proleg. 4[illegible]
Conditiones ad Conſuetudinem requiſitæ. IV. 4.
Confirmans Electum. VI. 62. 63.
Confirmatio ipſa Electi. 60. 61. 64. 65.
Confirmationis Sacramentum. XV. 6. ſeqq.

Conſecratio Confirmati. VI. 66.
Conſecrator Epiſcopi an unicus. 69. 70.
Conſenſus Legalis & Perſonalis. IV. 4. 11. 12.
Conſenſus in Pactis & Contractibus. XXXV. 8.
Conſilium differt à Præcepto. II. 2.
Conſtitutio v. Lex.
Conſuetudo quid & quotuplex. IV. 1. ſeqq.
Differt à Lege, Traditione, Præſcriptione. 6. 10.
Requirit conſenſum Legislatoris. 4. 11. 12.
Actus frequentatos voluntarios. 8.
Tempus juxta Arbitrium Judicis. 9. 10.
Debet eſſe rationabilis ſemper. 7. 8.
Introducitur duplici via. 4.
Effectus Conſuetudinis. 13.
Potens eſt abrogare Legem Humanam. 14. 17.
Abrogabilis viciſſim per Legem. 16.
Quas Conſuetudines reprobent Jura. 15.
Conſuetudines ſunt probandæ. 18.
Contractus, & quaſi-contractus. XXXV. 16. 17. 20. 21.
Ejus Subſtantialia, Naturalia &c. 18.
In Innominato pœnitere licet. 22.
Metu initus. vid. Metus.
Vid. etiam Pactum.
Cooperatio ad actum prohibitum. II. 51.
Cooperatores. XXVIII. 14.
Corpore Vitiati. XX. per tot.
Corpus Juris Civilis & Canonici. Prol. 25. 33.
Credendum quid. I. 5. 6.
Criminoſus an capax Beneficii Curati. XIV. 4. 10.
Culpa Juridica, lata, levis &c. XXXV. 19. 24. ſeqq.
Cuſtos, & ejus officium. XXVII. per tot.

D.

Debilitati ſunt irregulares. XX. 1. 2.
Decanus. XXIV. per tot.
Declarationes Cardinalium. Prol. 46.

Decretum Electionis Communis. VI. 39.
Decretum Gratiani. Prol. 33. 40.
Defectus qui reddant ineligibilem. VI. 22. 23. 26.
Quis defectus dicatur occultus. XVII. 8.
Non neceſſariò manifeſtatur. VI. 55. XII. 5.
Deformes ſunt irregulares. XX. 1. 2.
Delegare quis poſſit. XXIX. 24.
Delegari quæ cauſæ, & quibus. 25. ſeqq.
Delegatus Judex. 2. 3.
Quid poſſit. 12. 13.
An Subdelegare. 14. 15.
Quid debeat facere. 17.
Quomodo finiatur ejus poteſtas. 18. ſeqq.
Delictum facit aliquos ineligibiles. VI. 24. 26.
Dieta Legalis. III. 11.
Digeſta. Prol. 26.
Dignior eſt eligendus ſub peccato. VI. 29.
Et promovendus ad Beneficia Curat. XIV. 7.
Dignus quis Ordinibus. X. 19. ſeqq.
Et Beneficiis. XIV. per tot.
Dimiſſoriales Litteræ. XI. 9. 15. 16.
Diſpenſandi juſtæ cauſæ. II. 86.
Sine quibus diſpenſans illicitè. 84.
Et ſubinde invalidè agit. 85.
Diſpenſandi poteſtas eſt latæ interpretationis, non verò diſpenſatio. 87. XVII. 9. XX. 8.
Diſpenſatio in Lege cui competat. II. 77. 79. ſeqq.
In irregularitatibus occultis. XX. 8.
In votis. Prol. 13. II. 82.
Dolus. XXXV. 19. 23.
Quomodo vitiet Reſcripta. III. 16. 17.
Domicilium facit ſubditum. XI. 10.
Dominium perfectum & imperfectum. Prol. 6.
Donatio Conſtantini M. &c. XXXI. 9.

E.

Ebrii an obligentur Legibus. II. 50. 51.
Eccleſia viduata quæ. VI. 4. VII. 4.

Gaudet

Digitized by Google

Gaudet reſtitutione in integrum. XLI. 4.
Electio quid. VI. 2. 4.
Electionis tempus. 11. 13.
Locus & modus. 14. 15.
Forma ſubſtantialis. 30. ſeqq.
Per Scrutinium. 34. ſeqq.
Per Compromiſſum. 41. ſeqq.
Per quaſi-Inſpirationem. 33.
Electio Canonica quæ. 38. 42.
Digni præ digniore. 29.
Electio Communis quæ. 39. 43.
Electionem quæ præcedant. 3.
Quæ eandem ſequantur. 52. ſeq.
Tribuit jus ad rem, non in re. 56.
Electionis Confirmatio. 60. ſeqq.
Impugnatio, & appellatio. 10. 49. 51. 58.
Irritatio. 26. 27. 28. 40. 55.
Non ſemper ſe extendit ad forum internum. 27. 28. 40.
Electio Prælatorum Regularium. 72. ſeqq.
Abbatiſſarum &c. 77. 78.
Summi Pontificis. 80. ſeqq.
An huic poſſit opponi exceptio. 84.
Electus, laborans impedimento occulto. 27. 28. 55.
Acceptando electionem non acquirit jus in re. 58.
Nec Adminiſtrationem ordinariè. 57.
Tenetur acceptare electionem vel renuntiare. 54.
Petere Confirmationem. 60. 61.
Et Conſecrationem. 68.
Eligentes debent electionem intimare electo. 53.
Eligentes indignum. 47.
Eligere qui poſſint. 16. ſeqq 74. 81.
Eligi quinam. 21. ſeqq. 75. ſeqq. 82.
Epijkia. II. 72. 76.
Epiſcopatus an ſit Ordo ſpecialis. XI. 7.
Epiſcopus. XXX. 13.
Quis dicatur Proprius. XI. 9. 10.
Eſt Miniſter Ordinarius Ordinum. 9. 11.
Ordinans in cenſura. 11. ſeqq.

Vel poſt renuntiationem. XIII. per tot.
Ejus officium. XXXI. 13.
Poteſtas Ordinis & Jurisdictionis. 14. ſeqq.
Poteſtas legislativa. II. 29. 30.
Hæc, uti & juriſdictio non eſt immediatè à Chriſto, ſed à Papa. II. 28. XXXI. 15.
Poteſtas in Exemptos. 19.
In non-Exemptos Regulares. 21.
In Exemptos procedit ut Delegatus. XXIX. 4.
Diſpenſat in irregularitate occulta. XVII. 8. XX. 4.
In irregularitate occulta Bigamiæ. XXI. 5.
In irregularitate Vitii Corporis. XX. 4.
Saltem in dubio declarat vitium. 2.
Quandoque in Lege Papali. II. 80. 81.
Quomodo transferri poſſit. VII. per tot.
Examen. v. Scrutinium.
Excommunicatus eſt incapax Beneficii. XIV. 8. 9.
Extenſio Legis quando facienda. 73. ſeqq.

F.

Famoſa cauſa. XXXVIII. 9.
Favorabilis Lex. II. 59. 60.
Feudum. Proleg. 29.
Fides Catholica. I. 3.
Ejus profeſſio externa. 4. 7. ſeqq.
Filii Clericorum & Presbyterorum. XVII. 5. 6.
Filiusfamilias paciſcens. &c. XXXV. 13.
Fine Legis ceſſante an ceſſet Lex. II. 78.
Fœmina Ordinum incapax. XI. 19. 20.
Forma Electionis. VI. 30. ſeqq.
Forum internum non afficit Lex, actum ſimpliciter irritans. II. 68. 69.
Neque Lex repellens indignum à Prælaturis, aut non ſolenniter electum. VI. 27. 28. 40. 55.
Neque removens Excommunicatum aut Irregularem &c. à Beneficiis. XIV. 8. 9.
Fructus non facit ſuos, qui omittit Profeſſionem, aut ſine intentione ſuſcipiendi Presbyteratum recipit

Bene-

Digitized by Google

Beneficium curatum. I. 8. 9. XIV. 11.
An reſtituendi cum re. XLI. 11. 12.

G.

Gloſſa cujus auctoritatis. Prol. 42.

H.

Hæretici formales & materiales. I. 10.
Quando cogendi ad fidem Catholicam. 11.
Obligantur Legibus Eccleſiaſticis. II. 46.
Hermaphroditi. XI. 19.

I.

Jejunium in Ordinante & Ordinando. XIV. 28.
Ignorantia excuſans à culpa & pœna. II. 40. ſeqq. 50. 51.
Illegitimitas Natalium. XVII. 2. 3.
Impedit ab Ordinibus & Beneficiis. 4.
Specialiter filios Clericorum. 5. 6.
Tollitur ex parte per Vota Religioſa. 7.
Per diſpenſationem verò ex toto, quæ tamen ſtrictè accipienda. 8. 9.
Si occulta eſt, diſpenſat Epiſcopus. 8.
Illiteratus eſt incapax Beneficii Curati. XIV. 10.
Impedimenta Eligibilitatis. V. 5.
Poſtulabilitatis ad Prælaturam. 6.
Occulta non tenetur prodere electus. VI. 55.
Nec Ordinandus. XII. 5.
Nec Sacellanus in actuali Ordinatione. 4.
Imperium Merum & Mixtum. XXIX. 9. 12. 25.
Infames non ſunt eligibiles. VI. 24.
Nec licitè Ordinantur. XI. 21.
An Procuratores ad litem. XXXVIII. 8.
Infantes Ordinantur validè. XI. 19.
quomodo obligentur Legibus. II. 50. 51.
Inferior non diſpenſat in Lege Superioris. 80. 31.
Indigni Ordinatio. XII. 7.
Promotio ad Beneficium. XIV. 8. ſeqq.

Pro-

Promotio in foro interno tenet. VI. 26. ſeqq. 40. 55.
Promoventes tamen puniuntur. 47.
Innocens non eſt condemnandus unquã. XXXII. 6. ſeqq.
Inſtitutiones Juris Civilis. Prol. 25.
Lancelloti. 29.
Interpretatio Legis. II. 60. 72. ſeqq.
Reſcriptorum. III. 23. 24.
Interſtitia inter Ordines ſervanda. XIV. 29. 30.
Intruſi ad Prælaturas & Beneficia. VI. 24.
Inviti Ordinantur invalidè. XI. 19.
Et invalidè transferuntur Epiſcopi &c. VII. 7.
Irregulares omnes referuntur. XI. 25.
Quos inter ſunt etiam illegitimè nati. XVII.
Servi. XVIII. Obligati ad ratiocinia. XIX.
Corpore Vitiati. XX. Bigami. XXI.
Irregulares omnes illicitè Ordinantur. XI. 25.
An ſint eligibiles. VI. 25.
An capaces Beneficiorum. XIV. 8. 9.
Diſpenſantur ab Epiſcopo, ſi irregularitas ſit occulta, etiamſi ex defectu ſit orta. XVII. 8.
Irritatio, & Irritans Lex. II. 59. 61. 62. 66. ſeqq.
Iteratio Sacramentorum non iterabilium. XVI. 2. ſeqq.
Judex. XXIX. 1. ſeqq. XXXII. 5. ſeqq.
Ejus officium & obligatio. 3. ſeqq.
Officium Nobile & Mercenarium. XXIX. 1.
Quis poſſit eſſe Judex. XXXII. 2.
Non poteſt condemnare innocentem. 6. ſeqq.
Non accipere munera. 10. ſeq.
Nec judicare in cauſa propria. 12.
Debet ſupplere, quæ Juris ſunt. 9.
Judex reſtitutionis in integrum. XLI. 8. 9.
Jurisdictio quid & quotuplex. XXIX. 5. ſeqq.
Quomodo acquiratur. 8.
Vicarii Generalis eſt Ordinaria. XXVIII. 4.
Quomodo & quando finiatur. 9. 10.
Jus variè accipitur. Proleg. 1.
Activum proprietatis & jurisdictionis. 2.
In re, & ad rem. 3. ſeqq.
Jus Naturale & Poſitivum. 8. ſeqq.

Naturale eſt immutabile. 12. 13.
Jus Gentium. 17. ſeqq.
Jus Civile. 22. ſeqq.
Publicum & Privatum. 7.
Jus Canonicum. 31. ſeqq. 53. ſeqq.
Quando diſcrepat à Civili, quid agendum. 58. ſeqq.
Juſtitia in genere. Item Commutativa, Diſtributiva, Legalis, & Vindicativa. Prol. 48. ſeqq.

L.

Læſio enormis. XXXVI. 7. gravis XLI. 7.
Læſionis factæ, an cognitæ attendatur tempus. 14. 15.
Laici non eligunt Prælatos Eccleſiaſticos. VI. 19. 20.
Quomodo poſſint intereſſe electioni. *ibid.*
Non poteſt ipſis delegari cauſa ſpiritualis, nec temporalis Clericorum. XXIX. 26. 27.
Laudum quid, & an reduci poſſit. XLIII. 1. 11.
Legatus quid & quotuplex. XXX. 1. 2.
Illius poteſtas & officium. 3. ſeqq.
Miſſi cum poteſtate Legati a latere. 6.
An debeat docere legationem ſuam. 10.
Legiſlativa poteſtas. II. 26. ſeqq.
Legiſlator humanus obligat in conſcientia. 36.
Et quidem ſemper ſaltem ad aliquid. 37. ſeqq.
Non præcipit directè actus internos. 8. ſeqq.
Non obligatur ſuis Legibus. 47.
Neque diſpenſat ſecum ipſo propriè. 83.
Lex quid ſit. II. 2. ſeqq.
Ejus materia. 6. 7. an actus interni. 8. ſeq.
Ejus forma & finis. 12. 13.
Acceptatio. 15. 22. ſeqq.
Promulgatio. 16. ſeqq.
Etiam Eccleſiaſtica lex debet promulgari in ſingulis diœceſibus &c. 19. ſeqq.
Conditor Legis Eccleſiaſticæ. 26. ſeqq.
Conditor Legis Civilis. 31. ſeqq.
Subjectum Legis. 46. ſeqq.
Obligatio Legis. 35. ſeqq.

Igno-

Ignorantia Legis. 40. ſeqq.
Interpretatio Legis. 72. ſeqq.
Ceſſatio Legis. 78.
Diſpenſatio in Lege. 79. ſeqq.
Lex fundata in Præſumptione. 59.
Odioſa, Pœnalis, Irritans, Favorabilis. 59. 66.
Prohibens actum non hoc ipſo irritat. 70. 71.
Irritans ſimpliciter non irritat in conſcientia. 67. ſeqq.
Lex Tributorum. 65.
Lex Antiqua. Prol. 14. ſeqq.
Lex Diœceſana. XXXI. 14.
Liberti Ordinantur illicitè. XVIII. 5.

M.

Magiſtratus. Vid. Princeps.
Majorennis an reſtituatur in integrum. XLI. 4.
An enormiter læſus in Transactione. XXXVI. 7.
Majoritas & obedientia. XXXIII. 1. ſeqq.
Mandati Contractus. XXXVIII. 12.
Mandatum differt à Lege. II. 2.
Mandatum Procuratorium. XXXVIII. 3. 4.
Habens clauſulam, *cum libera. &c.* 11.
Mandatum Vicarii Generalis. XXVIII. 5. ſeqq. 12.
Matrimonium Spirituale. VII. 3. 4.
Metus quid & quotuplex. XL. 1. 2. 3.
Reverentialis. 4.
Non facit licitum, quod eſt per ſe malum. 5.
Nec ullum actum invalidum. 6. ſeqq.
Exceptis paucis de Jure Poſitivo. 11. 12.
Injuſtus tamen facit reſcindibilem. 13. 14.
An metus excuſet à Lege ſervanda. II. 44. 45.
Miniſter Ordinum. XI. 9. ſeqq.
Minor, ſeu Minorennis. v. Pupillus.
Gaudet reſtitutione in integrum. XLI. 2. 3. 5.
Ejus reſtitutio an proſit Majori. 5.
An poſſit eſſe Procurator ad litem. XXXVIII. 8.
Miſſa an neceſſariò audienda in Parochia. XXXI. 25.

Digitized by Google

Monialium Præfectæ qui eligantur. VI. 77. ſeqq.
Moratoria Reſcripta. III. 18.
Mores boni in Ordinando. XI. 24.
In promovendo ad Beneficium. XIV. 4. 10.
Munera non accipiat Judex. XXXII. 10. 11.
Mutilàti ſunt irregulares. XX. 1. ſeqq.

N.

Natalium defectus. XVII. 1. ſeqq.
Negligens Prælatus quando dicatur. X. 1.
Negligentia quorum & à quibus ſupplenda. 3. 4.
Quibus modis, & quibus in rebus. 2. 4. 6. 7.
Negotium integrum. V. Res integra.
Nobiles ſoli poſſunt eligi ad certa Beneficia. XIV. 6.
Nominatio ad Prælaturas. V. 13.
Notitia privata Legis an obſit. II. 18.
Novellæ. Prol. 28.

O.

Obedientia à quibusdam juranda Epiſcopo. XXXIII. 7.
Quibus in rebus præſtanda. 8.
Objectum Juris Canonici. Prol. 54. 55.
Obreptio quando vitiet Reſcripta. III. 14. ſeqq.
Obligati ad Ratiocinia. XIX. 1.
Ordinantur illicitè. 2.
Quid, ſi tamen Ordinentur? 2.
Obligatio Legis. II. 35. ſeqq.
Obreptio quomodo vitiet Reſcripta. III. 14. ſeqq.
Obſervantia. IV. 6.
Legis eſt neceſſaria ad ejus ſtabilitatem. II. 24.
Occultus defectus vel delictum quando. XVII. 8.
In eo diſpenſat Epiſcopus. *ibid.*
Non neceſſariò proditur. VI. 55. XII. 5.
Odioſa Lex. II. 59. 60. 73.
Officium & Poteſtas diſcrepant. XXIX. 10.
Officium & obligatio Delegati. 17.
Judicis. XXXII. 3. ſeqq.
Officium Nobile & Mercenarium Judicis. 1.

Oleum,

Digitized by Google

Oleum, & ejus benedictio. XV. 2. 4. 5.
Ordinatio v. Ordo.
Ordo quid & quotuplex. XI. 3.
Eſt Sacramentum. 4.
Sacerdotij an diſtinctus ab Epiſcopatu. 7.
Ordinis Miniſter quis. 9. ſeqq.
Ordines à quibus invalidè. 19. 20.
Et à quibus illicitè recipiantur. 21. ſeqq.
Conferendi gradatim. 3. 27.
Certis temporibus, & ſub Interſtitiis. 28. ſeqq.
Quo loco. 31.
Prævio examine. XII. 1. ſeqq. 6.
Ordinum ſingulorum officia propria. 3.
Ordines ad Beneficia requiſiti. XIV. 3.
Ordines dans in Cenſura, & illicitè. XII. 11. ſeqq. 32. ſeqq.
Poſtquam renuntiavit Epiſcopatui. XIII. per tot.
Ordines recipiens illicitè. XII. 33. ſeqq.

P.

Pactum quid & quotuplex. XXXV. 1. ſeqq.
Quis pacta & contractus inire valeat. 6. ſeqq.
Quibus modis. 5.
De quibus rebus, an etiam de turpibus. 14.
Pallium Archiepiſcopale. VIII. per tot.
Papa diverſimode conſiderari poteſt. XXXI. 2.
Ejus infallibilitas extra Concilium. 7.
Et poteſtas Legislativa. 8. II. 27.
Non fert Leges politicas per totum Orbem. 34.
Ejus electio. VI. 80. ſeqq.
Patriarchæ. XXXI. 5. 11.
Parochus, ejus poteſtas, officium, privilegium. 20. 24. 25.
Pax quid, & an præcipi poſſit. XXXIII. 1. 3.
Peculium Caſtrenſe, quaſi Caſtrenſe &c. XXXV. 6. 7.
Peregrini non obligantur legibus propriis. II. 52. 53.
Nec particularibus locorum, ubi morantur. 54. 55.
Peregrini Clerici. XXII. per tot.
Permiſſiva Lex. II. 3.
Pœnæ eligentium Indignos & promoventium. VI. 47.
Extorquentium electionem vel promotionem. 48. 50.

 Malè

Digitized by Google

Malè Puſtulantium. V. 11. 12.
Ordinantium & Ordinatorum malè. XI. 32. ſeqq. XII. 6. XXI. 4.
Pœna ignorata. II. 4.
Pœnalis Lex. 37. 59. 62.
Pontifex. v. Papa.
Poſſeſſor Beneficii non proprii an eligat. VI. 18.
Poſtulare & Poſtulatio quid. V. 1. 2. 3.
Poſtulare & Poſtulari qui poſſint. 4. ſeqq.
Poſtulatio ubi interponenda. 7.
Requirit ſolennitates, quas Electio. 8. 9.
Requirit plura ſuffragia, ſi concurrat cum Electione. 10.
Poſtulare pro Advocare. v. Advocatus.
Poteſtas & Officium diſcrepant. XXIX. 10.
Poteſtas Legislativa & Gubernativa. II. 26. ſeqq.
Dominativa & Oeconomica. XXXI. 21. 22.
Jurisdictionis & Ordinis. 14.
Papæ. 8. 9.
Cardinalium. 10.
Patriarcharum & Primatum. 11.
Archiepiſcoporum. 12.
Epiſcoporum. 15. ſeqq. in Exemptos. XXIX. 4.
Vicarii Generalis. XXVIII. 5. ſeqq.
Abbatum & Abbatiſſarum &c. XXXI. 21. 22.
Judicis Ordinarii. 1.
Parochorum. 24.
Judicis Delegati. XXIX. 11. ſeqq. 18. ſeqq.
Præcedentia quibus competat. XXXIII. 3. ſeqq.
Præcepta Ceremon. & Judicialia L. A. Prol. 16.
Præficiendi, ſeu promovendi ad Beneficia. XIV. per tot.
Prælati & Præfectæ Regulares quî eligantur. VI. 72. ſeqq.
Quando illi dicantur negligentes. X. 1.
Qua polleant poteſtate. XXXI. 21. 22.
Præſcriptio differt à Conſuetudine. IV. 4. 6. 10.
Præſumptio, & in præſumptione fundata Lex. II. 39.
Presbyteratus. v. Sacerdotium.
Primates XXXI. 4. 11.
Primicerius & ejus officium. XXV. per tot.

Prin-

Princeps Temporalis ſupremus Univerſales. II. 31.
Inferior particulares fert Leges. 32.
Nullus tamen circa Eccleſias & Clericos. 33.
Privilegia Advocatorum. XXXVII. 8.
Privatio juris Eligendi &c. V. 11. VI. 47.
Probabilem cauſam an Advocatus tueri. XVII. 6.
An Judex ſequi poſſit. XXXII. 5.
Procurationes Viſitales. XXX. 18.
Procurator ad litem & ad negotia. XXXVIII. 1. 2.
Ad Electionem. VI. 12.
Quomodo conſtituendus. XXXVIII. 3. 4.
A quo poſſit, aut debeat conſtitui. 5. 6.
Quis eſſe poſſit. 7. 8.
Quæ cauſæ admittant. 9.
Poteſtas & officium Procuratoris. 10. ſeqq.
Quæ actio competat tam ipſi quàm domino. 13.
Profeſſio fidei. I. 4. 7. ſeqq.
Profeſſio Religioſa. V. Vota Religioſa.
Promulgatio Legis. II. 14. 16. ſeqq.
Præſertim Eccleſiaſticæ Univerſalis. 20. 21.
Prorogatio juriſdictionis Delegato. XXIX. 17.
Proto-Notarii. XXXI. 20. 23.
Pueri quando obigentur Legibus. II. 48.
Pupillus an validè contrahat, ſaltem in conſcientia, ſine authoritate Tutoris. XXXV. 6. 10. 11.

Q.

Quadriennium pro Reſtitutione in integrum. XLI. 13. ſeqq.
Qualitates in Ordinando requiſitæ. XI. 10. 17. ſeqq.
In promovendo ad Beneficia. XIV. 4. 5.
Quarta Decimarum, & Mortuariorum. XXXI. 18.

R.

Ratiocinia. XIX. 1.
Recuſatio Judicis Delegati. XXIX. 16.
Reductio Laudi ad arbitrium boni viri. XLIII. 11.

Regu-

Digitized by Google

Regulæ Cancellariæ. Prol. 45.
Religioſi quomodo obligentur Legibus Civil. II. 57.
Exempti quomodo Legibus Epiſcoporum. 58.
Quinam aſſumi poſſint ad Prælaturas. VI. 75. 76.
Remedium pro læſis per alienationem &c. XLII. 2. 3.
Renuntiatio. V. Reſignatio.
Res integra quando dicatur, & quando deſinat eſſe. XXIX. 18. XXXVIII. 14.
Reſcriptum quid, & quas habeat partes. III. 1. ſeqq.
Gratiæ & Juſtitiæ. 6. 7.
Forma & conditiones Reſcriptorum. 9.
Clauſulæ. 10.
Cauſa efficiens. 18.
Subjectum impetrans. 19.
Contenta. 20. 21.
Interpretatio. 23. 24.
Executio & Executores. 25. 26.
Vitia, maximè ſub- & obreptio. 8. ſeqq. 13. ſeqq.
Exſpiratio. 27.
Reſignatio Beneficii. IX. 1. 2.
Debet eſſe libera & ſpontanea. 6. ſeqq.
Fieri ex juſta cauſa. 9.
Coram legitimo Superiore. 10. 11.
Legitime publicari. 14.
Reſignare quis poſſit. 3. 4.
Quæ Beneficia, & qua de cauſa. 5. 6.
Reſignans in favorem vel cum conditione. 12. 13.
Debet ſupervivere 20. dies. 4.
Reſpublica &c. reſtituitur in integrum. XLI. 4.
Reſtitutio oritur ex Juſtitia Commut. læſa. Prol. 52.
Et ex omiſſa Profeſſione fidei. I. 8. 9.
Reſtitutio in integrum. XLI. 1.
Eâ gaudent Minores ordinariè. 2. 3.
Eccleſiæ, Reſpublica &c. & quandoque Majores. 4.
An Minor adverſùs Minorem &c. 5.
An ejus Reſtitutio proſit Majori, ſocio. 5.
In quo negotio habeat locum. 6.
In qua læſione. 7.
A quo Judice petenda. 8. 9.

Quo

Digitized by Google

Quo tempore. 13. ſeqq.
Quomodo facienda. 10. ſeqq.
Revocatio Vicarii. XXVIII. 9.
Judicis Delegati. XXIX. 19.
Rota Romana. Prol. 47.
Rubrica. Prol. 41.

S.

Sacerdotes requirit vera Religio. XI. 2.
Sacerdoti ſimplici collatio Ordinum. 12.
Et confectio Chriſmatis committi poteſt. XV. 7.
Poteſt confiteri cuilibet approbato. XXXI. 25.
Sacerdotium eſt Ordo & Sacramentum. XI. 4.
Et quidem ab Epiſcopatu diſtinctum. 7.
Debet intra annum ſuſcipi à Curato. XIV. 11.
Sacramentum quid? XVI. 1.
Quid, ſi Sacramentum irreiterabile iteretur? 5.
Vel, ſi aliquid ſubſtantiale ſit omiſſum, vel ſaltem ſit dubium. 2. 3. 4.
Sacrificium debet dari in vera Religione. XI. 1.
Sacriſta & ejus officium. XXVI. per tot.
Sanior pars Capituli quæ? VI. 37.
Scholaſticus & ejus officium. XXV. per tot.
Scientia ad Ordines requiſita. XI. 23.
Ad Beneficia. XIV. 4.
Scrutatores. VI. 34. ſeqq.
Scrutinium in Electione. 31. 34. ſeqq.
Scrutinium in Ordine. XII. 1.
Super quibus rebus faciendum. 3.
A quibus ſubeundum. 2.
Senatusconſultum Macedonianum. XXXV. 18.
Sententiâ Judicis opus non eſt, ut detur obligatio reſtituendi fructus ob omiſſam Profeſ. fid. I. 8. 9.
Bene tamen, ut locum habeat irritatio pœnalis. II. 67.
Ferenda an in Principalem vel Procuratorem. XXXVIII. 2.
Servus propriè & impropriè dictus. XVIII. 1. 4.
Uterque Ordinatur illicitè. 2. 4.

Digitized by Google

Quid, ſi tamen Ordinetur? 3.
Sextus (& Septimus) Decretalium. Prol. 35. 39.
Simoniaci an ſint ineligibiles. VI. 24.
Solennitates Electionis. 30. 40.
Poſtulationis Prælatorum. V. 8. 9.
Sportulæ. XXXII. 10.
Statutum. II. 2. XIV. 6.
Stipendia non ſolvens Militibus. XXXIV. 10.
Stylus fori. IV. 6.
Subditus eſſe debet, qui Ordinatur. XI. 13.
Quot modis quis fiat Subditus. 10.
Subſidium charitativum. XXXI. 18.
Subreptio quomodo vitiet Reſcripta. III. 13. ſeqq.
Suffragia quæ dicantur Majora. VI. 38.
In Concurſu Electionis, & Poſtulationis. V. 10.
In Electione nullus ſibi dat. VI. 45.
Debent Suffragia eſſe ſecreta. 35. 79.
Quomodo colligenda, publicanda, conferenda. 35. ſeqq.
Superior legitimus reſpectu Confirmationis Electi. 61.
Reſpectu Reſignationis. IX. 10. ſeqq.
Supplenda Prælatorum negligentia à quo. X. 3. 4.
Quibus modis, & quibus in rebus. 2. 4. 6. 7.
Syndicus quis. XXXIX. 1. ſeqq.
Ejus poteſtas & officium. 4. 5.
Synodaticum. XXXI. 18.

T.

Tactus phyſicus Materiæ in Ordinatione. XI. 8.
Theſaurarius. XXVI. per tot.
Tempora Ordinationum. XI. 28. 30. 32. 33.
Tempus Conſuetudinis introducendæ. IV. 9. 10.
Reſtitutionis in integrum. XLI. 13. ſeqq.
Beneficii conferendi. X. 5.
Teſtamentum Vetus & Novum. Prol. 14. ſeqq.
Titulus Menſæ. XI. 11. 17. 18. 26.
Tonſura prima eſt Ordo & Sacram. 5. 6.
Tractatus in Electionibus. VI. 7.

Tra-

Digitized by Google

Traditio. IV. 6.
Tranſactio. XXXVI. 1. 2.
Tranſigere quis poſſit & debeat. 3. 4.
Super qua materia. 5.
Tranſactio an ſit reſcindibilis. 6. 7.
Translatio Epiſcoporum & Beneficiatorum. VII. per tot.
Treuga quid, & an præcipi poſſit. XXXIV. 1. 3.
Tributa. II. 65.
Trinitas Summa. I. 2. 5. 6.
Turpi de cauſa an pactum valeat. XXXV. 14.

V.

Vagi quomodo obligentur Legibus. II. 56.
Unctio ſacra quibus impendatur. XV. 1.
Quo oleo, quibus in partibus, à quo facienda. 2. 3.
Non eſt neceſſaria in Ordinatione Sacerdotis. 8.
Neque in Conſecratione Epiſcopi. 9.
Univerſitas quid. XXXIX. 1.
Vicarius quis dicatur. XXVIII. 1. 2.
Epiſcopi in Spiritualibus. 3.
Generalis habet Ordinariam juriſdictionem. 4.
Quid is poſſit vi generalis Mandati. 5. 6.
Ad quæ opus habeat ſpeciali Mandato. 7. 8.
Quomodo & quando finiatur ejus juriſdictio. 9. 10.
Vicarius Capituli. 11. 12. 13.
Vicarius in Divinis, ſeu Parochi. 14.
Perpetuus æquiparatur Parocho. 15.
Temporalis habet juriſdictionem Ordinariam. 14.
Vir bonus quis dicatur. XLIII. 11.
Vis quid & quotuplex. XL. 1. ſeqq. v. Metus.
Viſitationis Procurationes. XXXI. 18.
Vitiati corpore qui. XX. 1. 2.
Illicitè Ordinantur abſque diſpenſatione. 3.
Quis diſpenſet. 4.
Vota Religioſa an tollant vitium Natalium. XVII. 7.
Votum an ſit diſpenſabile ab homine. Prol. 13. II. 82.
Votum pro ſuffragio. v. ſuffragium.
Vox (ſeu votum) activa & paſſiva. VI. 4.

Vocem

Vocem Activam quinam habeant. 16. ſeqq.
Et quinam Paſſivam. 21. ſeqq.
Vocis vivæ Oraculum. III. 5.
Uſus. IV. 6.
Uſus Pallii Archiepiſcopalis. VIII. 5.

X.

Xenia. XXXII. 10.

Errata.

Digitized by Google

Errata.

Pag. 44. poſt med. pro XII. lege XXII.

Pag. 90. poſt med. & poſt verba , *merè indifferentes* omiſſa ſunt hæc. ℟. *ad* 1. *n. conſ. & ſuppoſitum ;* quòd *Lex verſetur circa actiones merè indifferentes.*

Pag. 176. prope finem poſt verba *prolatio ſub conditione* omiſſa ſunt hæc : *valida tamen eſt prolata ſub conditione.*

Pag. 606. poſt med. pro *impedimentum* lege *impediendum.*

Pag. 720. lin. 1. pro *de* lege *ad* defendendum.

Pag. 724. lin. 9. pro *judicato* lege *judicatum* ſolvi.

Pag. 760. lin. 15. pro *qui* lege *quia*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google